



*Bibliotheca*



*Palatino  
Düsseldorfensis.*

Nicht custodier



A. D. J. No 56

JOHN GEORGE REARDEN  
ORIGINE GERMANORVM  
PETITIO

JOH. GERTON ECCLESII  
ORIGINE GEISTLICHORVM

IO

OR

VETV

SCHEDIS

CHR



IVM

IOH. GEORGII ECCARDI v. c.  
DE  
ORIGINE GERMANORVM  
EORVMQVE  
VETVSTISSIMIS COLONIIS, MIGRATIONIBVS  
AC REBVS GESTIS  
*LIBRI DVO*

---

EX  
SCHEDIS MANVSRIPTIS VIRI ILLVSTRIS EDIDIT, FIGVRAS  
AERI INCISAS ADIECIT ET PRAEFATVS EST  
*CHRISTIANVS LYDOVICVS SCHEIDIYS r. c.*



GOETTINGAE,  
SVMPTEBVS IOH. GVIL SCHMIDII VNIVERS. BIBLIOP.  
A. S. H. CID IO CCL.

JOH. GEORGH ECCARDI v. c.  
ORIGINE GERMANORVM  
VETVSTISSIMIS COLLIS, MIGRATIONIBVS  
AC REBUS GESTIS

*A. July 56.*

CHRISTIANVS L. V. 1678. S. N. 1678.



1402 679 01



SERENISSIMO AC CELSISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

CAROLO GVILIELMO

FERDINANDO

DVCATVS BRVNSVICO-LVNEBVRGICI

HEREDI &c. &c. &c.

REGII PORVSSICI AQVILAE NIGRAE ORDINIS

EQVITI,

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.



PRINCIPI IUVENTVTIS  
IN SPEM MAXIMARVM RERVM GENITO  
QVI CVM HEREDITARIO QVODAM IVRE  
VT VIRTVTES CAETERAS HEROIBVS DIGNAS  
ITA EXIMIVM QVOQVE  
IN BONAS LITTERAS EARVMQVE CVLTORES  
AMOREM  
A PRISCIS ILLIS GVELFICI NOMINIS DECORIBVS  
ACCEPTIT  
ET IAM IN TENERA AETATE  
ANIMVM MVSIS AMOENIORIBVS INDVLGENTISSIMVM  
MVLTI DOCUMENTIS PROBAVIT  
SEQVE VEL HOC SOLO NOMINE  
FORTVNA AVORVM PROAVORVMQVE  
QVI OMNES OMNIVM ANTE SE DVCVM VIRTVTES  
NVMERO GLORIA ET FELICITATE SVPERARVNT  
DIGNISSIMVM REDDIDIT

PLAUDENS FELICITATI SAECVLI  
QVOD EX RARISSIMIS  
PRINCIPIS TAM LAETE EFFLORESCENTIS  
DOTIBVS  
NON POTEST NON PROSPERA QVAEVIS OMINARI  
CVM VOTO HYMILLIMO  
VT DEVS O. M.  
PRO IMMENSA SVA IN BRVNSVICENSES TERRAS BONITATE  
SERENISSIMAM SVAM CELSITVDINEM  
OMNIBVS FELICITATIS BONIS FRVI IVBEAT  
ET QVEM SACRAE PVBLICAEQVE REI AD-  
MINISTRANDAE ALIQVANDO DESTINAVIT  
ITA ANNIS ATQVE FORTVNA CVMVLET  
VT RELIGIONIS CVLTVM  
LITTERARVM PATROCINIVM  
ANIMI MAGNITVDINEM  
PRVDENTIAE GRAVITATEM

PROSPERRIMOS CONSILIORVM SVCCESSVS  
VERBOLAETISSIMIIMPERIIDIVTVRNAMFELICITATEM  
SERI NEPOTES VENERARI QVEANT  
HOC VTSPERO NON INGRATVM MVNVSLITTERARIVM  
IN QVO  
PATRIAE GENTISQVE SVAE  
DECORA MONVMENTA EXHIBENTVR  
DO DICO DEDICO  
SERENISSIMAE SVAE CELSITVDINIS

SVBIECTISSIMVS DEVOTISSIMVSQVE CVLTOR

CHRIST. LVDOV. SCHEIDIVS.



rim. que i  
largissima ha  
lucubrationi  
is, que ex  
re iustit  
LENTISS

CESSVS  
LICITATEM  
EANT  
TTERARIVM  
AE  
BENTVR  
VDNIS



B. C. D.



um ab eo tempore, ex quo Regiae & Electoralis Bibliothecae, quae Hanouerae est, cura mihi clementissime mandata est, multa egregia doctorum virorum scripta, GODOFREDI GVILIELMI LEIBNITII cumprimis, atque IOH. GEORGII ECCARDI, oculis vsurpare & tractare coeperim, quae in publicum mortalium conspectum prodierunt numquam, quid in largissima hac messe, in quam diuina destinatio me vocauit, cum tot praeclaris lucubrationibus faciendum sit, anceps diu non haesi; sed posteaquam edendis iis, quae quidem ad litteras earumque incrementa faciunt, manum me admouere iussit liberalissima **ILLVSTRISSIMORVM ATQVE EXCELLENTISSIMORVM PROCERVM** nostrorum indulgentia, ne pronissima

ULTOR



nissima in me voluntas desiderari possit, sedulo curavi. Atque hinc factum, ut emancipato opusculo, quod *Protogaea* inscripserat LEIBNITIVS, hanc ECCARDI *de origine Germanorum, eorumque vetustissimis coloniis, migrationibus ac rebus gestis* dissertationem prelo subiiciendam censuerim, prolusurus ita maioribus operibus, quorum alterum *Origines Guelficas* explicabit, alterum *Occidentalis Imperii annales* continebit, utrumque vero si DEVS O. M. vires nobis & valetudinem concesserit, propediem nostra cura typis vulgabitur. Vix tamen, cur ab his potissimum Opusculis edendis laborum meorum initium capere voluerim, rationem mihi reddendam esse puto. Etenim illi *de prima telluris facie, & antiquissimis historiae in rebus naturalibus monumentis* schediasmati ipse Summus LEIBNITIVS in respectu ad suos, quos de Occidentali Imperio meditatus est, *Annales Prodromi* vices destinaverat; hanc vero *de gentium migrationibus & praesertim vetustissimorum, qui in has regiones venerunt, Germanicorum populorum gestis* Commentationem illustris ECCARDVS prorsus ex mente LEIBNITII conscripsit\*, ut praemitti ipsis Annalibus vel ob hanc rationem debeat. Quamvis forte etiamsi diserta LEIBNITII voluntate destitueremur, hoc solum nobis sufficere possit, quod uterque, quem typis describendum curavimus, libellus non vulgaris eruditionis sit, sed tantum doctrinae apparatus exhibeat, ut haud poenitendos fructus ex iis sperandos esse inficiari nequeant, nisi quibus erroris & ignorantiae efficacia imposuit, vel male feriata mens scientiarum contemptum imperat.

Et quidem de LEIBNITII lucubratiuncula iam non amplius dicam, utpote quam non inuitos Bibliothecis suis intulisse viros doctos ea testatur aviditas, qua a Bibliopola coemta, & mox in Germanicam linguam praeter spem & expectationem nostram transcripta est. Sic igitur solum magni Parentis nomen apud vniuersam eruditorum nationem ipsi pro suspensa hederam fuit, nosque in ea, quam pridem conceperamus, sententia confirmavit, eorum etiam, quae imperfecta reliquit LEIBNITIVS, nihil esse, quod fatum illud metuat ieiunis codicillis familiare; quos, si Vulcani iras effugiunt, conscriptos dixeris,

Ne toga cordillis, ne penula desit oliuis.

ECCAR-

\* Exstat in *Actis Eruditorum Lipsiensibus Anni 1717. p. 360. sq.* idea, quam animo conceperat LEIBNITIVS in delineanda *Historia Brunsvicensi*, ubi praemittitur, inquit, *his Annalibus quaedam dissertatio de antiquissimo harum regionum statu, qui ante Historicos ex naturae vestigiis haberi potest; & alia de migrationibus gentium, praesertim quae in has regiones venerunt.*



ECCARDVS autem primus tanti viri in munere Historiographi Successor, quam multa in hoc, quem iam exhibemus, libello praestiterit, ii iudicabunt, qui a praeconceptis opinionibus vacui illum cum aliis huius generis Commentationibus contulerint. Neque enim vel illud *de gentium migrationibus*, vel alterum *de priscis populorum Germaniae sedibus* argumentum, quod utrumque hic coniunctum cernis, ita comparatum est, ut antea nunquam in eo occupata fuerit doctorum virorum industria. Immo potius habemus hic viros praeclare meritos SAMVELEM BOCHARTVM, PAVLVM PEZRONIVM, OLAVM RVDBEKIVM, GEORGIVM STIERNHIELMIVM, WOLFFGANGVM LAZIVM, VALENTINVM FRANCKIVM, NICOLAVM GVRTLERVM, PETRVM BERTIVM, IOH. MICHAELEM DILHERVM, PHILIPPVM CLVVERIVM, WILHELMVM CHRIST. KRIEGSMANNVM, IOH. HENRICVM VRSINVM, MICHAELEM PRAVNIVM, CHRISTOPHORVM ADAMVM RVPERTVM, MENSIONEM ALTINGIVM, PAVLVM HACHENBERGIVM, IOH. NIC. HERTIVM, CHRISTOPHORVM CELLARIUM, CASPARVM CALVOER, IAC. CAR. SPENERVM, VE PETAVIOS, SCALIGEROS, VSSERIOS, MARSHAMOS, CASAVBONOS, VOSSIOS, SALMASIOS, GROTIOS, RHENANOS, PIRCKHEIMEROS, HVTTENIOS, IRENICOS, WILICHIOS, AVENTINOS, ALTHAMEROS, LINDENBROGIOS, BROWEROS, WELSEROS, MEIBOMIOS, PONTANOS, VALESIOS, BVCHERIOS, CONRINGIOS, VORBVRGIOS, BALBINOS, SCHATENIOS, STRVVIOS aliosque, qui vires suas in arena hac non sine laude tentarunt, & quos omnes nominare nimis prolixum foret, praetermittam. Verum utcumque mihi sacra sint horum omnium merita, nisi mihi suffenus sim, non vana hariolatione auguror, Benevolum Lectorem multa in ECCARDI lucubrationibus diligenter inuenta, rite disposita, plene tradita, acriter & exacte iudicata, explicata denique apte & vbertim reperturum, quae alibi frustra quaesiverit; atque hinc gratias mihi acturum, quod de Bibliothecae Regiae adytis foetum hunc in lucem produxerim. Ut enim de solo iam dicam BOCHARTO, cuius praestantissimum opus *de gentium dispersione, & terrarum diuisione, facta in aedificatione turris Babel*, sub nomine Phaleg siue *Geographiae sacrae* editum, doctorum manibus haecenus tritum satis, ac ob eruditionem prorsus incomparabilem in eo ubiuis obuiam innumeris laudibus cumulatum; notius est, quam ut multis ornari debeat encomiis; quis, quaeso, nescit, clarissimo viro propositum non fuisse, ut in iis se prolixè diffundat, quae exposita ad cognoscendos



singulos Germaniae nostrae populos, eorumque origines & res gestas explicandas praecise faciunt, cum plurimorum horum ne nomina quidem apud eum recenseri constet, tantum abest ut fata & migrationes attigerit. Nec plus BOCHARTO, quantum ad diuersos Germaniae incolas attinet, praestitit GVRTLERVS, qui in *originibus mundi* Regnorum, Rerumpublicarum, Populorum hominumque Duces, migrationes, deos, religionem, mores, instituta, res gestas, ciuiles, sacras, bellicas referre promisit. Equidem quae apud BOCHARTVM generatim dicta erant, propius ad alias terras accommodauit PEZRONIVS Gallus, \* in *Antiquitatibus nationis & linguae Celticae*, lingua Gallica Parisiis 1703. editis; sed dolendum, virum doctissimum eadem, qua olim IOH. BODINVS oberasse chorda, ut nihil non de Celtis dictum, ex coeco erga patriam amore, vni Gallicae genti summo studio vindicare nisus sit; quale quid pro Suecis suis iam antea tentauerant RYDBEKIVS in *Atlantica*, STIERNHIELMIVS in *Praefat. ad Vlpilae Euangelia* & CAROLVS LYNDIVS in *dissertatione de Zamolxi primo Getarum Legislatore* \*\*. FRANCKIVS libellum quidem suum de *Originibus nationum* inscripsit, sed ad *solam Saxonicae gentis*

\* Erat profecto PEZRONIVS vir doctissimus, cui etiam egregium de *antiquitate temporum restituta & defensa contra Iudaeos & recentiores Chronologos* Commentarium orbis eruditus acceptum fert; Sed quod, antequam libellus hic in lucem prodierat, cum innotuisset ei aliquid de scopo PEZRONII auguratus est LEIBNIZIVS ad Iobum Ludolfum scribens, *vereor ne PEZRONIVS nonnihil Rudbeckizer aut Goropizer* (vide Summi Viri *Collectanea Etymologica P. II. p. 57.*) id reuera euenit. Interim utcumque acu non omnia tetigerit PEZRONIVS vehementer tamen postea doluit LEIBNITIVS *ibid p. 59.* quod cum hoc opusculum pars tantum maioris operis fuisse videatur, auctor eo nondum edito, magna interiorum litterarum iactura obierit.

\*\* Triumuiros hos, quorum celeberrima nomina magni facio, non obtreccionis causa in scenam produco, sed ut ostendam, quam facile sit aliquid humani pati, quando amorem patriae studio veritatis in historicis anteponimus. Non vulgaris profecto RYDBEKII eruditio erat; sed quid, quaeso, in historicis expectemus a viro tam foecundi ingenii, qui *Atlanticam Platonis Sueciam esse*, e qua Graeci vates suam olim notitiam hauserint, adeoque sub omnibus Poetarum veterum fabulis res aliquas a Septentrionalibus Populis, Sueconibus nominatim & Gothis, gestas latere existimauit. Nugae sunt & inania somnia apud cordatos quoscumque iudices quicquid pro stabilienda hac sententia IOH. ENBERGIVS in *historica narratione rerum memorabilium, quae Vpsaliae & in vicinia eius a peregrinis aestimari solent*, Sue-





gentis in *Transylvaniam migrationem* respexit, nec de reliquis Germaniae populis quidpiam in medium protulit, ut vix locum in hoc Scriptorum catalogo iuvenire debuisset, nisi titulum tam splendidum mentitus esset. Propius Germaniam uniuersam illustrare voluit WOLFGANGVS LAZIVS in amplissimo *de migrationibus gentium* opere, in quo praeclara multa & ex rarioribus Manuscriptis excerpta, nec alibi facile obuia deprehendi non nego; Ast, qui cum cura & diligentia euoluerit hos molis non exiguae Commentarios, in iis etiam plurima male cohaerentia, atque ita vitiiis deprauata deprehendet, ut, si ex his solis praestantissimum LAZII ingenium aestimare vellemus, nae! parum honoris eius manibus apud doctam posteritatem tribuendum foret \*. Et licet melior his omnibus PHILIPPVS CLVERIVS prodierit, isque in doctissimo *de Germania veteri* opere multa egregie dicta in medium protulerit, atque hinc etiam, ut fieri solet, vitulo eius ararint fere omnes, quotquot post eum res Germanicas scriptis illustrandas sibi sumserunt, ipsi tamen gentis Germanicae historiam a primis suis initiis repetere, atque iusto connexionis filo descriptam exhibere nec animus, nec intentio fuit; potius in sedibus vnus cuiusuis populi, moribus item & institutis delineandis, vnice substitit laboriosa viri de patria bene meriti industria. Ut igitur in tam copioso Scriptorum, qui de rebus Germanicis tractasse videntur, numero, Germani tamen quam diutissime historiam rerum a maioribus suis gestatum desiderauerint: Nam quae IOH. PHILIPPVS VORBYRGIUS sub hoc titulo

Suecica lingua edita, in medium protulit. Nec melius cum Lectoribus suis agit LVNDIVS, qui *campos Elysios* in Suecia inuenit, & *Troianos* etiam atque *Amazones* in Scandinauia natales suos quaerere iubet.

\* Verissimum mihi videtur, quod de hoc LAZII opere tulit, iudicium MATTHAEVS ZAMPINIUS in *tr. de origine & atavis Hugonis Capeti* p. 62. ubi credo, inquit, WOLFGANGVM tum ex nobili sui libri argumento, de gentium nempe migrationibus, tum ex multis, quae scripsit, tum ex honesto loco, quem apud Ferdinandum Imperatorem se habuisse scribit, virum apprime doctum diligentemque fuisse; At plura ex his, quae leguntur in suo libro, tam oscitanter iacent, ut existinem, aut librum vndique deprauatum esse, aut LAZIVM duntaxat memorias collegisse, ut illas postea digereret & ordinaret, & id aut morte praeventum non effecisse, aut ad expoliendos Austruicos Commentarios additum facere neglexisse, & librum propterea indigestum & inordinatum typis traditum fuisse, &c. Sic etiam DN. A LVDEWIG in *Germania Principe* c. 2. quo de Scriptoribus Principum Germaniae familiarum agit, ceperat non raro LAZIVM in gentium originibus describendis fatetur.



titulo ediderat, ita sunt prolixæ, & cum taediosissimo verborum ambitu, admixtis vbiuis rebus multis alienis, immo saepicule sine omni ordine & delectu scripta sunt, vt in legendis iis non possit non defatigari etiam seduli alias lectoris studium & attentio. Sed malo huic hodie obuiam iuit Illustrissimi & Excellentissimi Comitæ ac Domini HENRICI DE BUNAV, atque illustris Viri D. IOH. IACOBI MASCOVII industria, qui duumviri tam eleganter atque copiose res Germanorum vetustissimas exposuerunt, vt qui post eorum doctissimos Commentarios adhuc gentis nominisque Germanici virtutes & parta domi forisque decora, omnemque, quæ antiquitates populi illustrat, rerum gestarum seriem desideraret, is profecto talpis atque noctuis similis esset, qui in ipsa clarissima meridie lucis radios non cernunt. Verum sicuti longe, antequam eximios hos libros aspexerat orbis, Eccardinus hic partus iam conceptus, isque præterea Latine scriptus est, cum lingua Germanica prodierint, quæ Summi Duumviri de patria historia ediderunt, immortalia opera; sic exteris præcipue, linguæ nostræ, vt plurimum, ignatis, rem gratissimam nos exhibituros speramus, quod egregii viri cogitata, quibus veterem Germaniam, nostramque cum primis Saxoniam, non infeliciter illustrat, cum eis communicamus. Nec vereor, vt libellus hic, tamquam immaturus vel informis partus, parentem suum dedecet, licet in ipso statim lucis exordio, quasi sibi, non patriæ genitus esset, tenebris damnatus videri possit. Et quamquam ea omnia mea facere nolim, quæ subinde ab illustri ECCARDO ex meris coniecturis, ipsoque adeo ingenio scripta sunt atque in medium prolata; nullus tamen dubito fateri, quadrare omnino in hanc dissertationem curtum illud sermone rotato MARTIALIS entymema:

*Est aliquid boni, ergo bonus liber est.*

Quare etiam, cum primum de edendo hoc opusculo consilium ceperam, in animum induxi, vt notas quasdam & animaduersiones meas ei subiungerem, atque hallucinationes indicarem, quibus vir caeteroquin eleganter doctus, sed in coniecturis haut raro nimium audax, hinc inde lectoribus suis fucum fecisse videbatur. Et iam natus erat non exiguus huiusmodi castigationum manipulus; sed mutare postea consilium me coëgit honestissima Bibliopolæ petitio, qui serio optauit, vt proximis nundinis venum ire possit libellus, in quo typis exscribendo tarditas & procrastinatio operariorum hætenus patientia nostra mire abusa est. Itaque meditationes meas in aliam occasionem seruare volui. Forte enim, si non inuiti dissertationem hanc receperint patriæ historiæ amato-

res,



res, id mihi imperabo, ut ad tempora usque Caroli M. coeptam heic narrationis rerum in Germania gestarum telam pertexam. Sicuti autem non, ut meae gloriae velificaret, editionem opusculi huius suscepi; verum quoniam cum **PLINIO IUNIORE**, eos omnes, qui praeclari aliquid in studiis faciunt, venerari & mirari soleo; sic etiam serio opto, ut hac qualicumque a me suscepta opera memoriae viri egregii debita praemia persoluantur. Vnde id promitto quam solemnissime, in ipsis notulis meis, si aliquando lucem aspicere ipsis dabitur, prius nihil me habiturum, nihil antiquius, quam ne intempestive manes docti viri turbentur, verum ut etiam in iis, in quibus dissensus meus aperiendus erit, quam modestissime omnia proponantur. Multum enim ab eorum hominum moribus abhorreere soleo, qui dissentire possunt a nemine sine sannis & conuitiis; existimantes forte, sacra Musarum certamina, ubi de veritate inquirenda vel probanda agitur, palaestricis pugnis similia esse; utque retiarii olim a dimicationibus non discedebant, nisi sanguine palaestram foedassent, ita se ab his litterariis disceptatiunculis non prius cessare debere, quam fama aduersarii scommatibus, conuiciolis atque ironiis misere sit dehonestata. Sed de his nostris notulis suo tempore Lectores aequi iudicabunt.

Equidem in huiusmodi antiquis argumentis, ubi certa Scriptorum testimonia haberi nequeunt, difficile & periculosa plenum alea opus est, veritatem ita in aprico ponere, ut non aliqua formido oppositi remaneat. Quo remotiora enim nobis sunt illa tempora, vnde argumentum suum repetit historia, eo maioribus obnoxia est difficultatibus dubiis & incertis. Hinc quam stricta etiam sit illa nostrorum temporum censura & rerum componendarum diffidentia, ubi consecrari omnia difficillimum, iudicare periculosum, & tamen quicquam praeterire desidiosum, adeoque omnibus in omnibus placere impossibile est; tamen numquam forte, si quid erroris committitur, id minus vitii habet, quam in vetustissimis Germanicis, & praecipue Saxonice rebus. Nam licet *Ister*, qui & *Danubius*, antiquissimis Graecorum Scriptoribus celebratus sit, *Rhenum* CAESARIS Commentarii nobilitarint; serius tamen & sub Augusto demum, *Visurgim* & *Albim* arma Romana aperuerunt. Et ad *Visurgim* quidem Drusus cum exercitu accessit, *Albim* TACITO teste *L. IV. Annal. c. 44.* L. Domitius, primus Romanorum ultimusque, transmisit \*. Sed hoc ipsum tamen non

\* Quamuis enim *Albim* etiam Tiberio nauigatum VELLEIUS *L. II. c. 106.* referat, flumen ipsum tamen non transcendit.



euincit, eas, quae inter nobiles hos & Romanae etiam potentiae formidatos fluuios, ab antiquis Scriptoribus memorantur, varias gentes, quae deinde *sub Saxonibus comprehensae*, in vnum *Ossalorum nomen* coaluere, ipsis Romanis fuisse cognitae \*; immo potius ex iis, quae in eorum scriptis de illis relata legimus, id vnum hodie discernimus certissime, Romanos nec populorum horum nomina rite esse explicatos, nec situm & habitationem vnus cuiusvis gentis, mores item, instituta atque fata curate descripsisse. Vnde ingenue fateor, quae de vetustissimo harum terrarum statu cum aliqua fiducia dici possint, tam pauca superesse, vt nugas vendere videretur, qui hic ad inuictas fidei historicae demonstrationes a se relata esse omnia iactitaret.

Succubuit quidem post aliquot saeculorum interuallum, vt nouimus, Germanorum armis, Romana potentia, qua quicquid orbis cogniti cultum acceperat, solis Indis & Persis exceptis, olim continebatur. Sed tantum abest, vt hoc quicquid sit gloriae solis Germanis vindicare liceat, vt potius sedibus suis in victoriae huius partem vniuersi Septentrionis populos excitatos sciamus. Vnde *Vandalorum, Herulorum, Longobardorum, Gothorum, Marcomannorum, Quadorum, Saxonum, Francorum, Alemannorum*, & quotquot sunt horum populorum, qui iam Romanum orbem populati sunt, nomina parum nobis certitudinis de vetustissimis Germaniae incolis afferunt. Immo hoc ipso tempore potissimum regiones & gentes, cum magno recentioris aevi Historicorum incommodo, & nomina & dominos etiam mutasse videntur, vt non temere dixeris, hisce migrationibus priscae Germaniae statum laqueis & difficultatibus magis irretiti incepisse. Nec imperiorum, quae nunc quoque & Europam distinguunt, & Historiae Germanorum pragmaticae initium faciunt, fundamenta prius iacta sunt, quam posteaquam orbis consumpta demum vi procellae ab agitatione resederat, & noua prorsus facies rerum, veluti olim a diluuiio, apparuerat.

\* Vnde etiam *Albi & Visurgi* interflui minores amnes, verbi gratia qui tractum Brunsvicentem irrigant, a nullo Romano Scriptorum memorantur, nec nisi apud barbaros auctores occurrunt; certissimo indicio quod serius innotuerint. Nomen *Leinae* nostrae, quam grandiusculum antiquitus fluuium fuisse, atque adhuc ante aliquot saecula nauigia passam esse varia Hanouerae urbis privilegia euincunt, primum in GEOGRAPHO RAVENNATE inuenisse sibi visus est LEIBNITIVS. *Boda* fluuius ex Harticis montibus delabens in Salicae legis praefatione designatur. *Allera, Ouaer, Obra* Carolino demum aevo simul iugum & famam acceperunt.



ruerat. Iam enim partem Germaniae habitatoribus desertam Sarmatarum progenies, *Slauis*, occupauerunt, reliquum indigenae, *Franci*, *Alemanni*, *Saxones*, *Boioarii* & *Thuringi* tenuerunt; quorum validissimorum populorum nomine & potentia, reliquae, quae Graecis Romanisque Auctoribus memorabantur, sanguinis Germanici gentes absorptae sensum atque ita deletae sunt, vt in plerisque vetustarum sedium vestigia reperire difficillimum sit.

Nimis iam prolixum foret dicere, quomodo & his maioribus ciuitatibus aemulatione atque dominandi libidine, vt fieri solet, inter se commissis, tandem *Francorum* res superior fuerit; quod primi viribus rationem & disciplinam ita miscuissent, vt pro arcano destinationis suae consilio iis ceu instrumentis vti potuerit *NUMINIS*, qua orbis regitur, prouidentia, vt ad mores compositos & sui reuerentiam reliquae barbarae gentes traducerentur. Sed ignorare hoc nemo potest, qui patriae historiam vel a limine salutauit. Igitur cum de omnibus Germaniae populis agere praesentis descriptionis scopus non patitur, intra illum Germaniae tractum, ad Oceani aestuaria vergentem, quem prisci *Saxones* cognatique illis populi sedem habuerunt, nos continebimus, quoniam quae in eo gesta propius ad nos pertinent. Et Saxonum quidem, diffusae gentis, nomen, quod primus apud veteres nominat *CLAVDIUS PTOLEMAEVS*\*,  
ex

\* *L. II. Geograph. c. II.* vbi eos ἐπὶ τὸν αὐχένα τῆς κίβριτῆς χερσονήσου  
h. e. ad ceruicem Cimbricae peninsulae, quae *Hollatorum* hodie est, collocat.  
Qua quidem in re tantum abest, vt errauerit *PTOLEMAEVS*, vt potius recentioribus omnibus, qui aliunde *Saxones* accersunt, ruborem incutiat. Sunt enim *Saxones* certissima *Danorum* propago; & primum ex *Iutia*, vt hodie audit, quae vera est veterum *Gothorum* sedes, in has terras migrarunt. Ac nollem sane ad stipulari *CHRISTIANO HENRICO WEISSIO* qui in *diff. de Saxonum origine*, non vnam aut singularem gentem fuisse *Saxones*, sed complexum potius & concursum multorum ad maris *Balthici* oram habitantium populorum existimauit. Quod enim palmarium est docti viri argumentum, quasi *Saxonum* nomen antea non fuerit auditum, quam latrocinia ipsorum percubuerint; vnde is infert, appellationem hanc certum vitae genus, quod illae omnes, quae confluxere, nationes tenuerunt, & quod proprie *Piratas* significaret, exprimere; atque tandem concludit, plures ad mare *Balthicum* habitantes populos maritimis latrocinii in historia infames fuisse; id e *PTOLEMAEO* confutari potest, cui *Saxones* ob piraticam & latrocinia cognitos fuisse dici nequit. Neque vnquam euinci potest, lingua veteri Germanica *Saxe* proprie *spoliatorem*, *praedonem*, *raptorem* vel *piratam* notasse, qualem primam



ex hodierna appellatione aestimari non debet. Fuit enim tempus, vbi non vnus prouinciae, sed diuersorum Regnorum incolas complectebatur; fuit vicissim, vbi ad *Brunsvicensis terras* prae caeteris & vnice fere pertinebat. In hoc vero tractu, vt arbitror, antiquissimi incolae vel *Hermiones* vel *Ingaevones*, id est partim generis Sueuici populi (vt *Longobardi*, fortasse & *Cerberi*, & qui absque du-

bio

nam Saxonum turbam sese gessisse WEISSIVS existimat; sed si hoc significauit, id *improprie* factum. Scilicet quicquid alii in contrarium afferant, *Saxones* ita dicti fuerunt, a *gladiis*, *cultellis* vel *pugionibus*, quod vox *Sachs*, *Saex*, *Seax*, *Sex* olim significauit, testante etiam, vt ex innumeris, quae supersunt, Scriptorum locis, vnum afferam, veteri Rhythmo apud ENGELHVSIVM in *Chronico*:

*Quippe breuis gladius apud illos Saxa vocatur,  
Vnde sibi nomen Saxo traxisse putatur.*

Et id quidem nominis non tam ideo, quod Britones per fraudem adorti, atque nihil mali metuentes, huiusmodi cultellis vel gladiis interfecerint, vti WITICHINDVS L. I. suspicatur, nacti sunt; quam quod *gladiis bellandi arte excelluerint plurimum*: quae laus eis adeo propria fuit, vt etiam ab Auctoribus sequioris aevi ipsis tribuatur. Conf. LAMBERT. SCHAFFNABVRG. ad A. 1075. Vnde Fridericus II. Imp. in epistola ad Saladinum ap. ROGER. HOVEDENVM p. 650. Saxoniam in *gladio ludentem* dicit. Et ex his *pugionibus*, *gladiis*, vel *cultellis* Saxonum vernacula *Sachs* dictis CASENEVVE vocabulum *Assasin* i. e. *homicidam* deriuat, atque ad MATTHAEVM PARISIENSEM prouocat, qui in vita Henrici III. ait, *Assasinos, quos cultelliferos vocamus*; & in vetusto aliquo libro manuscripto Tolosano se inuenisse testatur verba: *hominem malum, quem cultellarium vocant*. Et haec quidem obiter de Saxonum nomine; neque enim ignoramus aliis alia placere. Sic CASPARVS CALVOER nostras *im alten heidnischen und christlichen Nieder-Sachsen* p. 9. eos a *sago* nomen tulisse existimat, eosque ipsos fuisse hariolatur, quos CAESAR L. VI. de bello Gallico *Tectosages* dicit, & circa Hercyniam sylvam locat. *Tectosages* autem significasse putat, *homines sago*, i. e. *veste militari tectos*; vnde, si Viro Summe Reuerendo credis, *Tectosages* per abiectionem *sages*, ac tandem *Saxones* dicti fuerunt. Alii a *Saxone* quodam Rege suo vel Duce fictitio; Rursus alii a *Sacis*, Asiae populis, atque iterum alii a *Chaucis* vel non rite facta pronuntiatione *Sassos* dictos volunt, vel eos ipsos ab incolatu tandem quasi *Sassen* nomen nactos putant, quod cum plurimi Germaniae populi sedes suas subinde mutarint, & ex vno in alterum locum migrauerint, soli *Chauci* veteres in pagis suis diutius mansisse dicantur. Omnium frigidissime ISIDORVS L. IX. Orig. c. 2. Saxones a *Saxo* deriuat, quod sit *dura & validissima gens*; ad cuius tamen mentem ROSWITA, Poëtria sua actate non inelegans, cecinit:

*Ad claram gentem Saxonum nomen habentem  
A Saxo, per duritiam mentis bene firmam.*



bio pro parte ad nos pertinere *Catti*) partim *Chauci* & *Frisi* fuerunt. Ex illis utcumque coadunatis *Francos* natos fuisse, atque ex his *Salios*, qui a caeteris tamquam nobiliores & potentiores semper distinguuntur, primas ad *Salam Bodam* & *Visurgim* sedes habuisse, *LEIBNITII* est a verosimili non aliena opinio, quicquid alii de *Isala*, vel nescio quibus aliis in Belgio sedibus suspicentur. Vnde ex nostris oris progressi adiunctis vicinis tenuerunt, quod nunc *Westfaliam* appellamus, ad inferiorem ripam *Rheni*, donec in *Belgium* & *Galliam* effunderentur, vacua sede *Saxonibus* relicta. Cum vero & *Longobardi* domo excessissent, tandem *Saxones* vnos omnium a *Thuringis* ad Oceanum inter *Rhenum* & *Albim* terrarum potitos constat. Quamquam & *Nordalbingi* trans *Albim*, & *Belgae Germani* trans *Rhenum*, vel dialecti indicio, eiusdem originis deprehendantur. Nam communi forma loquendi omne vitur *Saxonum* genus, per *Germaniam* ad mare vergentem, facileque a *Superioribus Germanis*, id est *Bauaris*, & *Francis*, & *Alemannis*, & *Thuringis*, & *Silesiis*, & mediis *Misnensibus* discriminatur; quod *Atticum* quiddam sonat *Saxonum* lingua & in nervos contractum, quin & acutiore enuntiatione sibilus ipsis in *tau* duratur, aspiratio in *mutam*; dum *superioribus* populis sermo *Jonia* liquidate laxatur, alicubi & in *Doricum* genus crassefcit. Atque ita quidem *pristinam* *Saxonum* sedes posterorum non seruarunt modo, verum etiam *coloniis* armisque dilatarunt per *Morinos* & *Britanniam* ipsam, & denique *longissimam* *sinus Balthici* oram, excisis ibi obrutisque *Slavis*, & reliqua diuersi generis barbarie subacta, donec postremo *transmissa* *Odera* *Vistula*que, *pulsis* *subactisque* *Venetis* & *Estiis*, per totam *maris Germanici* oram a *Gallia* vsque ad *Prusliam* *Saxonum* simul imperium & loquela *praeualuerunt*; ut regio omnis, quae ad mare inclinatur, olim attributa *Ingaeuonibus*, communem originem *habitatorum* *Saxonum* *hodiernorum* fateatur: Cumque *aduersa* quoque *littora* colat eorum genus, quando *Angli* & *Scoti* a *Cymraeis* & *Hibernis*, *Dani* vero & *Suedi* a *Fennis* (magno testimonio) *Saxones* nominantur; iam apparere puto *amplitudinem* *gentis*, apud quam non *Franci* tantum nati, verum cuius *gloriae* etiam *Scandinauos* ipsos cum

DN. ECCARDVS in dissert. de usu & praestantia studii Etymologici in historia s. i. not. n. quantum nouimus, primus & solus a *Sagen*, quod est *secare*, *scindere*, *Saxonum* nomen producit, fingens, *populum* hunc, qui antiquissimis temporibus *Normannorum* pars fuit, posteaquam ex *Scandinauia* in *Germaniam* discessisset, a suis *popularibus* pro *separato* vel *auxilio* habitum nomen *Saxonum* tulisse. Alias opiniones praetermitto.



cum Hyperboreis suis & Normannis, vbi sibi canunt, velificari arbitramur. Sed *Sacas* illos ad Orientem celebratos, in quorum historia & rebus gestis PAV-  
 EVS PEZRONIVS omnem fere Mythologiam sibi inuenisse visus est, ad nos  
 pertinere adeo non asseuero, vt propior sim neganti, quod constet, nomine hoc  
 pridem antequam id ad Graecos & Latinos propagatum esset, Parthos & Persas  
 Scythas omnes vocasse, quod ab iis e primis suis sedibus pulsi essent, atque hinc  
 eos pro *latronibus*, *impiis* & *sceleratis* haberent, (id quod etiam nomen ipsum  
 significat.) Quemadmodum etiam *origines Americanorum ex Norwagis*, id est  
*Scandinauiorum Saxonum* parte repetendas esse, GROTIUS, magno licet & im-  
 mortali viro, non facile credo; sique verum est, quod nonnulli tradunt, affini-  
 tatem aliquam in lingua Mexicana cum lingua Anglo-Saxonica deprehendi\*,  
 potius eo inclino, vt Americam ante Christophorum Columbum & Americum  
 Vesputium veteribus Norwagis, Danis, Suecis atque Britannis cognitam fuis-  
 se cum CAROLO LYNDIO in *diss. de Zamolxi primo Getarum legislatore p.*  
*54. sq.* aliisque viris doctis existimem\*\*. Sed quicquid sit, satis est totum  
 pro-

\* Sane de *Americanis* & in *Indiis Insularis* STIERNHJELMIVS, qui eorum nihil  
 facile praetermisit, quod ad gloriam Septentrioni suo, quem totius fere humani ge-  
 neris patriam credit, conciliandam facere posset, ingenue fatetur in *Praefat. ad*  
*Vlphilae Euangelia*, adeo nihil in eorum lingua vel rationis aut cohaerentiae & co-  
 gnationis cum aliis linguis deprehendi posse, vt nonnulli, licet temere, suspicati  
 sint, hominum illorum speciem in propria potius terra factam aut exortam, quam  
 ex Adami traduce natam.

\*\* Nuper in *novis Goettingensibus litterariis* (*Göttingische gelehrte Zeitungen*)  
 1750. p. 63. legimus, ANDREAM HESSELIVM in libello Holmiae typis exscripto  
 asseruisse, Americam veteribus Norwagis atque Suecis sub Vinlandiae nomine co-  
 gnitam fuisse; eamque Reges Norwagiae atque Sueciae Olauum Trygguinum atque  
 Carolum II. nauibus aduissse. Quae quidem sententia sicuti noua non est, verum  
 quod ad Olauum Trygguinum Regem attinet, iam pridem ab OLAO VERELIO,  
 in *notis ad Heruorae historiam p. 27.* & THOMA CAMPANIO in *descriptione*  
*nouae Sueciae in America, nunc ab Anglis dictae Pensyluaniae*, Holmiae lingua Sue-  
 cica edita, asserta atque propugnata fuit; ita THORMODVS TORFAEVS in *histo-*  
*ria Vinlandiae antiquae* ex monumentis Islandicis rem omnem prorsus extra dubium  
 posuit, & euidenter ostendit, non semel, verum iteratis vicibus quasdam Americae  
 partes a suis lustratas esse. Nec a similitudine veri recedit, quod a quibusdam tra-  
 ditur, Saeculo post Christum natum XII. Principem quemdam Cornualliae Mando-  
 cum, Oueni Guisnethi filium, in Americam nauigasse, atque in Virginia vel Me-  
 xico fortalitiu exstruxisse, eoque colonias eduxisse. Sed illud omnium maxime  
 mihi





prope Occidentem Borealem nostri haemisphaerii & linguae eiusdem latissime fusae vestigia continere \*, & non immerito Saxonicum dici; vt recte omnino MERICVS CASAVBONVS, atque TOMASSINVS iam olim linguarum Hebraeae Graecaeque late diffusae per orbem cognationes & affinitates extollentibus, Celticam id est Saxoniam linguam velut magnitudine certantem opposuerint.

Vetus ante Francorum imperium Saxoniae diuisio celebratur in Orientalem & Occidentalem, nostri Ostfaliam Westfaliamque, seu rectius Ostwalliam Westwalliamque dixerunt; vtramque Visurgis dudum discriminavit. Scio quidem Angariam etiam ab vtraque velut mediam distingui, sed ambiguis limitibus,

mihî ad rem praesentem facere videtur, quod idem TORFAEVS l. c. p. 71. narrat, Episcopum aliquem Saxonicum, Ionam siue Iohannem, Sacculo XI. primum in Islandia fidem Christianam per quadriennium professum, inde in Vinlandiam ad gentem illam conuertendam profectum esse, postremo supplicio ibi morteque confessionem suam illustrasse.

\* Nec est, vt dicas, adeo populos hos lingua differre, vt alter alterum loquentem non intelligat. Neque enim tam lingua inter se differunt, quam quidem dialecto. id est, linguae eorum quoad substantiam eadem esse deprehenduntur, & forma saltim atque ex accidenti distinguuntur: Vnde scriptis consignata meditati consensus facile apparet, quem si non admitteremus (sunt verba LEIBNITII in Act. Erudit. T. IV. Suppl. p. 237.) inter eos, qui colloqui nequeunt, nec Frisii & Tirolenses simul Germani esse possent, nec Germanus foret OTERIDVS, quem nemo hodie intelligeret loquentem. Non igitur praeter rationem vrget Vir Summus in meditatione de originibus gentium ductis potissimum ex indicio linguarum p. 3. T. I. Miscell. Berolin. multa esse vocabula, quae inde ab Oceano Britannico ad vsque Iapanicum protenduntur, idque exemplis Mare vel Maere i. e. equus; King vel Koenig i. e. Rex probat. De vsu Gothicarum i. e. Celticarum vocum in Taurica Chersoneso & Praecopensi Tartaria MELANCHTHON, SCALIGER, BOXHORNIUS, VULCANIUS, BVSBEQVIUS, GROTIUS, VERELIUS, RACHELIUS aliique testantur. Et licet AVERIUS DE LA MOTRAYE in Itinerario T. II. p. 32. voces has eo delatas existimet, quod complures Germanorum per bella cum Turcis gesta in seruitutem redacti, matrimonia ibidem interint, atque liberos procreauerint, ab horum progenie vero postea patentum & incolarum linguae, vt fieri solet, commixtae fuerint: tamen qui rem curatius considerant, alius longe haec Tartarica vocabula nostrae linguae affinia repetenda, & a Gothis, pristinis earum regionum dominis, deducenda esse facili negotio animaduertunt.



tibus, & plerumque alterutri inuoluitur. Hodie Westfalis proprium nomen durat, Ostfalorum vero appellatio rursus communi Saxonum nomine obliterata est. Et Saxonum Ostfalorum robur in Brunsvicensibus quaeras, qui & Thuringis partem agri ademerunt, cui diu Nord Thuringiae nomen haesit. Vnde cum non amplius Westfali Saxones dicerentur, Misnenses vero nomen hoc nondum adepti essent, tunc ubi locum in Saxoniam situm dixisses, non nisi in hac inferiore nostra quaerebatur. Haec enim erat Imperatorum & Germaniae Regum, quos vulgo Saxonicos nominamus, patria: nec alibi, quam hic, veteris Electoratus Saxonici dignitas quaeri debet. Nobilis haec Ostfaliae antiquae inter Albim & Visurgim, magnos amnes, portio a vicinia maris paulatim assurgit ad metallifera montium iuga, quibus *Hercyniae* vocabulum solis mansit, celebre veteribus, & tota Germania olim, atque si MATTHAEO PRAETORIO in *Orbe Gothico* credis, per Poloniae etiam prouincias ad Borysthenem vsque & Tyram diffusum. In hoc terrarum spatio rerum iam diu potiuntur PRINCIPES INCLYTI, ortu ATESTINI ab Italia, *ascitu*, vt nobis quidem persuasum est, GVELFI; Nam in *originibus Guelficis* vtramque gentem a communi Satore deduxit quidem illustris ECCARDVS, sed narrationem ipsam huiusmodi fulsit coniecturis, quas mirari magis, quam inuidere par est. Vnde nos profecto eius sententiae subscribere haecenus non potuimus. Hi igitur posteaquam Bauariae olim partique Sueviae felicissime dominati, tandem in Saxoniae possessionem a Lothario Imperatore missi, sed mox iterum, aemulatione & inuidia Friderici Barbarossae Imperatoris, totius Germaniae dominatum affectantis, maxima ditionum parte exuti sunt, postremo a *primariis Saxonicae ditionis vrbibus* & axiomate imperii, BRVNSVICI ET LVNEBURGI DVCES dici voluerunt. Fridericus enim secundus Augustus, Guibelingorum vltimus, vt Antecessoris sui Ottonis ex fratre Wilhelmo nepotem, Ottonem, vulgo pueri cognomine notum, cui Romanus Pontifex Imperii decus obtulerat, sibi conciliaret, Guelforum hunc superstitem furculum, vt omnibus notum est, Ducem Brunsvici ac Luneburgi creavit.

Et huius quidem CELSISSIMAE GENTIS munificentiae etiam hoc debetur opusculum. Cum enim Diui Principes GEORGIVS WILHELMVS & ERNESTVS AVGVSTVS primum pro sapientia sua aestimassent, quanti intersit res memoriae dignas nobisque liquidas, sed tempore fugientes in fidem posterorum stylo sisti, LEIBNITIVM elegerunt, virum  
non



non Philosophiae tantum atque Matheseos, sed antiquitatum quoque & historiarum studio illustrem, quem Historiographi munere condecorarent. Annuit mox instituto SERENISSIMA AVLA GVELFERBYTANA, quae semper & literatissimos Principes, & egregios artium promotores tulit, & in partem salarii pro acuenda Historici industria liberalissime consensit. Horum igitur voluntati obsecutus LEIBNITIVS regionis pariter huius ac stirpis regnatricis historiam tradere aggressus est, materia etiam itineribus conquisita. Diligentiam & seueritatem in tanto opere perficiendo tum studium veritatis, quod LEIBNITIO alia diuersi generis scripta non abrogabunt, tum osor adulationis MAGNORVM PRINCIPVM, quorum causam agebat, animus Lectori pollicebantur; sed coepta haec mors abruptit. Interim non modo illa *Scriptorum Rerum Brunsvicensium* volumina Summo Viro debemus, verum praeter prima stamina Rerum Guelficarum ab vltimis originibus vsque ad Ottonis Pueri aetatem, *Annales Occidentalis Imperii* collegit atque elaborauit ab initio Regni Caroli M. ad annum vsque 1005. perductos. Reliqua suis Successoribus supplenda reliquit. Hunc coelo illatum Virum in munere Historiographi proxime excepit DN. IOH. GEORGIUS ECCARDVS, qui, vt origo Serenissimae familiae remotissima in clariore luce poneretur, simulque res praecclare a veteribus Germanis, *Cimbris praecipue, Sueuis, Vandalis, Langobardis, Francis & Saxonibus* gestae ab obliuione vindicarentur, altius ascendere, & origines horum populorum atque migrationes insigniores, ingentis libri argumentum, breui hac, quam iam vulgamus, Commentatione pandere voluit. Cuius quidem egregii profus atque laudabilis instituti poenitere numquam debuit virum doctissimum. Horum enim gloria (liceat ita loqui homini in Superiore Germania nato, sed qui Inferiorem hanc Saxoniam non illiberalem & honorum & bonorum dispensatricem expertus est) nostra est, vel quod ex his terris ipsimet prodierint, vel quod ab iis ortos Principes suos atque progenitores sciant Brunsvicensis & Luneburgici tractus incolae. Vnde si non alius, hic tamen fructus in nos redundat, vt DEI omnia sapienter gubernantis beneficia in nos cumulate collata deuota mente veneremur, & quanto certius natura duce atque exemplis maiorum eo quisque ducimur, vt origines nostras venerari, atque celebrando quam augustissimas facere cupiamus, tanto impensius virtutis exempla in antiquitate intueamur, & si quid vocare in exemplum & aemulationem possimus, a parentibus discere cupiamus. Sane aliquam morum probitatem ac praestantiam, iuxta fortitudinem & consiliorum prudentiam in veteribus



bus Germanis, iis etiam temporibus admirari licet, ubi illos a barbarie plane absolvere non possumus, cum scilicet Orbi Romano vastitatem inferrent. Neque enim tunc corporibus magis, quam animis magni & erecti illi erant, licet in caeteris non multum forte a Tartaris nostri temporis, ne dicam Americanis, differrent, nisi quod adeo crudeles non fuerint, ut pleraeque Americanae gentes. In Tartaris Laconica sapientia, in Americanis sensa generosa praedicantur; & adulescentes a barbaris ad cultum traducti plus nostris ostendunt insiti vigoris, ut animalia sylvestria domesticis praestant. Et ex historia constat, Germanos ascitos atque admatos Principibus Romanis, mox in palatio & exercitu supra caeteros eminuisse. Ut credas adeo, si durum viuendi genus cum virtute, & disciplina cum libertate conciliarentur, siue morum felicitate, siue sapientia Legislatorum, populum sic institutum facile caeteris superiorem fore. Tales Romani, tales Germani aliquamdiu fuere; nec magis tenuere imperium, quam meruere.

A Carolo M. autem suos auspiciatum esse *Annales LEIBNITIVM* (ut de his obiter dicam) non mirum\*, quod praeter res Brunsvicenses *restituti per Germanos Occidentalis Imperii historiam* iisdem lineis ducere voluit Vir Summus. Praeterea ante illum Magnum Carolum interior haec Saxonia iacuit solis fere populorum nominibus nota; immo haec pleraque, si ad genium linguae nostrae ea referimus, ita misere distorta deprehendimus, ut ab homine Germano hodie vix agnosci & intelligi queant; magno indicio, corrupta ea esse a Romanis & Graecis Auctoribus, vel quod hi aures non satis acutas haberent, ut pronunciationem barbararum vocum commode affecuti sint, vel quod vocabula haec peregrina sibi incognita & male intellecta ad linguae suae vernaculae flexionis modum data opera detorquerent. Licet etiam haec ipsa nomina parum hodie nobis cognita prodere videantur, non ab vna semper gente terras has fuisse habitatas\*\*. Nam mutatio linguarum manifeste mutatarum gentium & incolarum

\* Ipse Vir Summus huius sui instituti rationes reddidit in scheda, quam *Actis Eru- ditorum Lipsiensibus A. 1717.* insertam legimus p. 360. sq. Nostrum iam non est prolixè hos Annales commendare; id tamen sine furo & adulatione dicere possumus, satisfecisse Virum immortalem spei, quam lectores suos de hoc opere concipere iussit.

\*\* Non dissimulo, nihil verisimile semper visum esse *ASINII QUADRATI* effatum:



rum aperit vestigia; quod vna gens per se linguae corpus non mutet, tamen diuersas nouas facies sumat, sed ad mutationem linguae mixtura nationum opus sit; vti exemplis omnium fere linguarum docemur, quae vel a lento commercio cum exteris, vel a subitis irruptionibus aliorum populorum, aliquando etiam mutatione dominorum primam suam faciem & formam amiserunt. Hanc ipsam igitur Saxoniam cultus omnis vel expertem, vel ita infelicem, vt si quid praeclari in ea gestum, id omne fere posterorum memoriam fugiat, quia non fuerunt, qui id annalibus consignarent, Carolus M. Christianam reddidit, eiusque historiae scribendae nobilissimam inchoauit periodum. Nam ab hoc Principe inelyto & magnanimo hanc illa animi morumque culturam accepit, vt perpetua temporum serie fide historica describi possit. Immo mox Carolingis deficientibus Principes Imperio dedit, qui cum Germania Italiam & proximam vtrique Galliam magna auctoritate moderarentur, ac nominis sui terrore ita omnia implerent, vt licet dignitatem veteris Romae omnino restituere fata prohibuerint, maiestatem tamen Imperii contra Graecos Imperatores atque Reges exteros quoscumque sibi vindicarint, eiusque iura facta tectaque conseruarint. Id trium Ottonum, & alterius ab Aucope proauo Henrici, (omnium, vt supra inuimus, si ex more hodierno loquimur, Brunsvicensium Principum) insigne beneficium est, per Francos & Sueuos Imperatores, qui eos exceperunt, continuatum. Interea Italia, quos redderet nobis Principes, parauit, Germanicae quidem originis, & ex vetere Longobardorum no-

stro-

*non vniam esse gentem, quae Germaniam habitatoribus impleuit, sed diuersissimae originis colonos post primam illam nationum dispersionem sensim in hoc vastissimum & populosissimum Regnum effusos esse; Et quo plus in Etymologiae studio Germanica vocabula ad examen reuoco, eo magis inclino, vt existimem, e Cimmericis terris circa Pontum Euxinum egressam Scytharum siue Celtarum propaginem, Gothos, Teutones, Vandalos, Sueuos, Langobardos &c. Germaniam inundasse, deinde Slauios superuenisse, & non modo Poloniae se insudisse, verum etiam totam pene Germaniam oppressisse; Vnde aliqua linguae Germanicae & Slaonicae mixtura facta, quae quidem alibi locorum magis, alibi minus sese prodit, interim tamen per vniuersam Germaniam, quaedam sui vestigia reliquit. Vt grauitur omnino errent, qui Germanos omnes pro vna gente habent. Quod etiam illis reponendum censeo, qui pro Ascenaze, Iapheti per Gomerum filio, Germanicae gentis conditore pugnant. Sed hic prolixum esse non iuuat, posteaquam somnia haec breuiter & neruose iam pridem confutauit illustris D. KOEHLERVS, magnum hodie Academiae Goettingensis ornamentum, in dissertatione de origine Germanorum ab Ascenaze.*



strorum, ut plerisque eruditus haecenus creditum fuit, aut, si mauis, ex Boioariorum stirpe cum Carolo M. in Italiam delata ortos. Hinc enim *Atestinam Familiam* per Tuscos, Ligures, Insibres, Venetosque late dominatam descendisse post Summos viros LEIBNITIVM & MVRATORIVM, qui primi hoc agnouerunt, operose in *originibus Guelficis*, quarum primum iam volumen prelo liberatum, illustris ECCARDVS probauit. Haec FELICISSIMA ATESTINA GENS in Boioariam & Alemanniam, ac deinde Saxoniam NOVOS misit GVELFOS, veterum Guelforum ut in amplissimis ditionibus, sic etiam in consiliis pro reipublicae Germanicae gloria atque salute successores, postremo Luneburgicorum, Northeimiorum & Brunsvicensium Principum heredes, qui acerrimi Guibelingorum aemuli amplam Historiae Germanicae materiam dederunt, donec vtriusque gentis casu, dum se mutuo conficerent, pene dissolutum Germanorum Imperium corruisset, nisi nouo diuinae destinationis consilio summo totius orbis Christiani bono acciti ex veteri Alemannia HABS-  
BVRGII PRINCIPES, Germaniae pariter, ac rei Christianae tutelam propitio coelo suscepissent, & fortitudine sua atque sapientia nominis Germanici gloriam non tuiti modo essent auspiciatissime, verum collapsam fere Imperii maiestatem suo robore, sua virtute reparassent. Cum tempestas ista defauiisset, *Guelficae*, ut diximus, *propagini* ex naufragii velut tabulis *Brunsvicensis Luneburgensisque* in Germania *Tractus* superfuit; *Atestinis* autem, ex Guelfi, Azone nati, fratre Fulcone descenditibus, *Mutinae Regiique ditio* in Italia Ducatum titulo nunc quoque mansit. Facile igitur intelligi potest, a Carolo Imperatorum huius nominis primo, ad quartum Ottonem, ex Guelfis Brunsvicentibus Augustum, Historiam Imperii Occidentalis & Brunsvicentem nexu tam arcto coniunctam esse, ut non vno capite eadem omnino videatur; sed de his aliquando in ipsa illorum Annalium editione melior erit dicendi locus. Haec enim eo tantum fine praefati sumus, ut & quo consilio a LEIBNITIO coeptum sit Annalium opus ostenderemus, &, quid boni ex eo in rem publicam litterariam redundaturum sit, declararemus. Nunc ad ipsum libellum DN. ECCARDI, quem typis iam exscriptum damus, reuertamur.

Plurima hic aliter narrari, quam vulgo solent, libenter fatemur. Sed in hoc *de gentium origine* argumento, quod vel veterum lectio Scriptorum, vel doctae quantumuis coniecturae, vix ac ne vix quidem semper possunt discutere, difficillimus, immo non raro frustraneus labor est, ingentem sententiarum

rum

rum varietatem ita tollere, vt non vel materiae difficultas, vel amor patriae animum in transuersum agat. Desunt enim Historicorum coacuatorum testimonia, & quae ex morum conuenientia, vel aliunde a doctis viris hauriri solent, suspiciones, licet alicuius ponderis sint, neque profus spernendae, omnia tamen in arduo hoc negotio plana & expedita reddere nequeunt. Hoc vero in DN. ECCARDO vehementer laudandum puto, quod, cum probe cerneret, nullius nationis antiquitates explicari posse, nisi aliqua de humano genere in vniuersum attingerentur, ad primam vsque mortalium originem ascendere vouerit, & multa deinde de *Scythis*, *Celtis*, *Cimmeriis*, *Gothis*, adhibito maxime linguarum concentu, in medium protulerit alibi non facile obuia, vt scilicet ex his, tamquam ex praemissis, eo certius de rebus Germanicis agi possit. Nam super omnium monumentorum aetatem linguae assurgunt; neque aliquid efficacius abditis populorum originibus aperiendis nobis relictum est. Ast in vtroque argumento occurrentes difficultates innumeras quis, quaeso, ita resecabit, vt aliquando dicere possis, nihil amplius dubii superesse. Sic enim quando de *primis Germaniae incolis* sermo est, a vero (vt modo diximus) non alienum videtur, si non omnem Germaniam, maximam certe eius partem, nostrasque etiam oras primum a *Celtis*, deinde a cognatis *Teutonibus*, *Cimbris*, *Gothis*, *Sueuis*, *Langobardis* &c. habitatas, quibus alicubi *Slauini* successere; & *vnam Scythiam*\* ingentes populos, velut ex eodem alueari diuersa examina, in reliquum orbem emisisse, *Celtas*, *Cimbros*, *Gothos*, *Slauos*, *Hunos*, *Cuma-*

\* E Scythia se venisse adeo olim certi erant veteres Septentrionales populi, vt etiam suam *laetitiae domum*, *Glaedsheim*, locum illum, vbi beatorum manes post hanc vitam aeterna gaudia expectare credebantur, non alibi, quam in *Scythia* collocarint. Immo *Scythiam* etiam *Gudheim* i. e. *Dei mundum* dixerunt, quoniam ex ea *Odinus*, quem pro Numine ante recepta Christiana sacra coluerunt, venisse credebatur; ceu pluribus id ostendit BARTHOLINVS in doctissimo *de causis contentae apud veteres Danos mortis* Opusculo L. II. c. 8. nisi forte dicere velis vel *Getas* dictos fuisse, qui postea *Gothi*, tandem *Scythae* audiuerunt, Thraciae habitatores, id quod post MESSENIVM in supra laudata dissertatione *de Zamolxi primo Getarum Legislatore* CAROLVS LVNDIVS affirmavit; vel per *Scythiam* in Mythologia Septentrionali non intelligi regionem communi *Scythiae* nomine indicatam, verum ipsam *Sueciam*. Nam NICOL. KEDERVS in *explicatione diuersorum numorum* Lips. 1706. edita prolixus in eo fuit, vt exterorum pariter & domesticorum Scriptorum testimoniis probaret, *veteres Suecos Sithas seu Scythas, & Suediam Scythiam vocari.*



*manos, Tartaros, in Europam sese a tergo velut impellentes: In Asiam vero Parthos, qui & Persae\**, postea *Turcas*. Sed cum ignoretur penitus, qua via egressi sint hi populi e Scythia exules, qui Germaniam petierunt, an prius haec nostra, quam aduersa Scandinaviae litora ab iis impleta fuerint, aeterna forte, neque quicquam profutura lis erit, cui immiscere se velle, id ipsum esset, ac sponte prouocare aduersarios \*\*. Neque enim eruditorum quispiam ignorat, quan-

\* Hos enim omnes Scythas esse vel ex linguis probare volunt. Vnde etiam qui *Persicae linguae cum Germanica harmoniam* aliquam crepant, (quamuis ea iudice Summo LEIBNITIO in *Miscellan. Berolin. l. c. p. 4.* non tanta sit, quantam vulgo ferunt,) cogitare debuissent, mirum id non esse, quoniam Parthi, qui cum Germanis ex Scythiis orti, Persidem diu tenuerunt.

\*\* CONRINGIVS multis a Suecis beneficiis maectatus, atque hinc in partes eorum procliuis valde, Gothos, quos ex Suecia egressos putat, has terras nostras primos omnium post extinctam gigantum sobolem inhabitasse existimauit, in suo *de vetustissimo Helmstadii statu* Opusculo; hoc potissimum ductus ratiocinio, quod quaedam locorum nomina apud nos cum nominibus vnus alteriusue in Scandinavia loci consonent. Sed si alia non suppetunt argumenta, hoc solum sane rem non desinit. Poterant enim Gothi haec nomina ex Germania secum in Scandinaviam attulisse; & si modo TACITVS nihil osecitanter scripsit, reuera attulerunt. Is enim quando *Guttones in confinio Lygiorum*, non procul a Carpatiis montibus, degisse narrat, euidenter probat, concedi quidem doctis Septentrionalibus posse, Gothos, qui Saeculo V. longe lateque per orbem Romanum victricia arma circumtulserunt, e Danica Sueciaque tunc egressos esse, licet antea in Germania habitarent, quam in Scandinaviam ipsam venissent. *Lygii* enim profecto in *hodierna Silesia* habitarent. Vnde qui vel Germanos omnes, vel Francos praecipue Saxonesque, a Gothis deducunt, aliud non concedunt, quam eos ortos esse ab eodem populo, qui aliquando etiam in Scandinavia habitauit, & hodiernorum tractus illius habitatorum fateri existit. Sed inquis cum ION. MESSE- NIO in *Scondia illustrata*, Tuisconem, quem Germani pro Deo & conditore gentis suae coluerunt, sub auspicio Getae vel Godi, siue Gogi, Noae de Semo abnepotis, primos in Scondiam colonos expediuisse, hos sensim Sueciam, Gothiam & Norwagiam habitatoribus repleuisse, tandem aucto eorum numero etiam in Germaniam concessisse, atque hinc illam qualemcunque Scondiotarum cum Thuisconibus linguae similitudinem venire. At enim quis MESSENI verba pro oraculo habebit, antequam sciat, vbinam inuenerit huiusmodi vetustos Codices, quos testes tuto allegare liceat? Erat hoc, vt mox de Gothlandis obseruabimus, superioribus saeculis in his regionibus moris recepti, vt fabulas cuderent viri haud indocti, quibus vulgo quidem hominum fucum facere potuerunt, non autem illis, qui primam hanc esse historici legem sciunt, non facile credere. Et vt obiter dicam, vel solum *Tuisconis* aut *Tuisstonis* nomen omnia





quantum GEORGIO STIERNHIELMIO aliisque doctis in Suecia viris bilem conciuerit PHILIPPVS CLVVERIVS, eo solum asserto, quod Gothorum primas sedes atque nomen in Borussiam & Cassubiam transtulerit\*. Et

omnia mihi suspecta reddit. Hic enim humani quid passus videtur TACITVS, ex quo Heroem hunc fictitium cognoscimus. Nam quando is refert, *celebrari in Germania carminibus antiquis Tuistonem Deum terra editum, & filium Mannum, originem gentis conditoresque*; totus hic locus deprauatus apparet. Equidem si post tot eruditorum virorum coniecturas etiam mihi quid sentiam dicere licet, *Tuistonis* nomen per illud Germanorum veterum *Tbiudans* reddendum puto. *Tbiudans* autem vetustissimo tempore Regem significasse nostratibus quis ignorat? Jam vero qui conferre vult c. 39. eiusdem TACITI, mox videbit, *Regem* ipsis & *Deum* Synonyma fere fuisse: Etenim de Semnonibus, Sueuorum propagine, verba faciens, locum, ubi genitor eorum e terra editus, sacrosanctum ipsis esse commemorat, *eoque*, ait, *omnis superstitio respicit, tanquam inde iniria gentis, ibi Regnator omnium Deus.* *Tbiudans* igitur, id est *Regnator omnium Deus*, a Germanis pro conditore gentis habitus, quod historia de creatione Adami apud eos per traditionem propagata fuit, ut etiam CLVVERIVS iam obseruauit, qui tamen in eo errat, quod per *Tuistonem* ipsum *Adamum*, primum hominem, intellexerit. Neque enim magis nomen proprium alicuius personae est vocabulum *Tbiudans*, quam hodiernum nostrum *Gott*, vel Latinorum *Deus*, aut quodcumque aliorum populorum vocabulum, quo *Supremum Numen* intelligitur: Deinde in ipsis TACITI verbis culpa, ut puto, librarii adest naeus ex particula coniunctiua male locata ortus. Scribe enim: *Celebrant carminibus antiquis Tbiudans, (Deum) & terra editum filium Mannum, originem gentis conditoresque*, & habebis omnia clara & perspicua. Nec profecto adeo stolidos fuisse Germanos existimo, ut Deum suum sicuti tuberos & boletos e terra natum crediderint. Sed credidisse eos primum hominem, quem iam Dei filium nominant, *e terra fuisse editum*, id quidem est, ex quo melius apud eos, quam apud multas alias gentes conseruatam fuisse primaeuam creationis historiam intelligere liceat. Sed haec obiter, prohibet enim chartae huius angustia, ut in argumentum hoc pro dignitate sua plenius inquiramus.

\* Stat tamen spreto STIERNHIELMII rationibus a partibus CLVVERII illustris LEIBNITIVS in saepe laudato Opusculo *de Originibus gentium ex indicio linguarum ductis*. p. 13. & MATTHAEVVS PRAETORIVS ex idiomate Sarmatico Prussico nomina populis Gothicis tributa omnia deriuare, totamque bellicosissimam gentem Sarmatiae suae in notissimo libro *Orbis Gothicus* inscripto vindicare voluit; CHRISTOPHORVS HARTKNOCHIVS etiam in *Borussia vetere & noua* c. 2. totus in eo est, ut Gothos non tam ex Scandia, quod quidem IORNANDES & HVGO GROTIVS voluerunt, quam ex Pomerania accersat. Verum has componere lites nostrum non est.



Et vt olim inter Scythas & Aegyptios de generis vetustate diuturna fuit contentio, sic nullam fere hodie gentem nouimus, quae populo sibi vicino antiquitate cedere velit. Hoc vnum forte in hac incertitudine certum, quod in *Miscell. Berol.* etiam a LEIBNITIO iam obseruatum l. c. p. 10. antiquissimas migrationes omnes terra factas esse, serius & aegre magnam multitudinem nauigasse, quamquam TACITO contrarium exciderit. Vnde serius Britanni, & Scandinauiae habitatores, quam quidem Germani, Galli, Celtiberi, id est Hispani fati videntur\*. Cimbro, autem, gentem Romanis formidatam, litus nostrum antiquissimis temporibus tenuisse, tot inuictis constat argumentis, vt vix de eo dubitari possit. Nec alios, quam hos ipsos puto, qui sibi Cymraei, id est Cambri, aliis Walli \*\* vocantur; qui cum in Britanniam traiecissent, Saxones (Ju-

\* Sed quicquid horum sit, sicuti nec totam Germaniam pro Gothorum colonia habemus, ita etiam a Germanis Gothorum gentem prorsus diuersam esse non credimus: quae enim MATTHAEI PRAETORII modo recensita sunt somnia, quasi Sarmatae potius, quam Celtae fuissent Gorbi, parum curamus. Cognationem sane Germanorum & Gothorum vel Regum horum nomina probarent, si caeteris argumentis certissimis deficeremur. Nec multum ex eo lingua mutauit. Nam & vetus translatio Euangeliorum in dialectum Gothorum Istro vicinorum VLPHILAE adscripta, magna ex parte Germanica agnoscitur, etsi sine interprete non intelligatur. Vt inde etiam motus HIKESIUS, plane eam VLPHILAE abiudicari, Teutonemque aliquem VLPHILAE aetate vel aequalem, vel forsitan superiorem versionis istius auctorem esse existimauerit; immo alibi penitus in hanc inclinauerit sententiam, dictos a Graecis Gothos, re ipsa Teutones siue Germanos fuisse. Nec dissentit quantum ad VLPHILAE Euangelia OTTO SPERLINGIUS, vir doctissimus, & si quisquam alius, in hac lite iudex competens, in Commentariolo de Danicae linguae & nominis antiqua gloria & praerogatiua inter Septentrionales §. 15. sqq. Quamquam ne quid dissimulem, cum VLPHILA ipse non Gothus, ceu quidem vulgo existimatum, atque ab ipso etiam OLAO VERELIO in manu ductione ad Runographiam Scandicam antiquam p. 12. traditum est, verum Cappadox fuerit, sicuti ex PHILOSTORGII, qualiscumque fidei, non semper tamen contemnendi, & quod praecipuum argumento huic pondus addit, VLPHILAE popularis & coactanei scriptoris testimonio in *Hist. Eccles. L. II. c. 5.* docemur; id mirum non est, si multae ab eo peregrinae voces usurpatae, atque sic tota haec versio scripta est, quemadmodum tunc temporis Gothi Moesiam, id est bodiarnam Walachiam inhabitantes, atque cum aliis populis foederibus, vicinia, matrimonii, commercioe commixti, locuti sunt. Vt igitur puram Gothorum linguam, eamque, qua vsi sunt, antequam ex Scandinauia migrarunt, in VLPHILA quaerere non debeamus.

\*\* Wallorum appellationem compluribus in Europa nostra gentibus competiisse videmus.



(Lutiae, vt dictum, incolae, nouaque adeo *Cimbrorum colonia*) vna cum *Chaucis & Frisus*, iis, vt in his regionibus, ita & in transmarinis successerunt. Sed qui iuxta *Cimbros* non solum in *Nordalbingis*, verum in vniuersa hodierna *Trans- & Cisalbina Saxonia atque vicino Baltico litore* ad nostrum vsque *Brunsvicensem agrum* habitasse traduntur, siue *Gothi* fuerint, siue *Vandali, Herulique*; (de *Langobardis* enim res incertior est, vt in nostra *Praefatione ad Tom. I. originum Guelficarum* diximus) ii, nisi me omnia fallunt, cum ex *Scandinauia* ad nos venerint, id iam probant euidentissime, etiamsi *Germania* ante *Scandinauiam* habitata fuisset, immo primi *Regnorum Borealium* habitatores prius in *Germania* confedissent, quam vterius *Septentrionem* versus progressi partes has coloniis suis impleuerant, negari tamen non posse, ipsos inde aliquando regressos esse. Atque hoc modo vera est assertio nostra, quod tractus ille, quem nos tenemus, non ex *Scythis* modo, *Celtis*, atque *Slauis & Venedis*, verum e *Scandinauia magna* habitatores suos acceperit; quemadmodum vicissim ex eo *Britanniam & Galliam* plus semel colonias recepisse apparet; immo etiam aliquando tempus fuit, vbi *Gallia* opulentissimos nobis potentissimosque habitatores reddere voluisse videbatur\*.

Haec vero cum tanta incertitudine laborent, egregiis illis fabularum architectis iungi nolo, qui *gentis Germanicae originem* inde a *Babelica turri*\*\* deducen-

demus. Nec aliunde descendit *Gallorum* nomen; frequens enim fuit litterae *W.* in *G.* mutatio; &, vt angustis praesentis scriptionis limitibus impeditus, vnum tantum exemplum proferam, quos veteres *Guasos, Guesin, Gesaros, Gesellen* i. e. *Comites, famulos* dixerunt; eos postea *Vassos & Vasallos* in omnibus monumentis appellari deprehendimus. Esse autem *Walliam & Cronwalliam* in *Britannia*; *Ostwaliam & Westwaliam* (nam vt supra diximus, ita rectius quam *Ostfalia & Westfalia* scribitur) in *Germania*, nemo est, qui nesciat. Quin immo & *Wallisiam* in *Heluetia* habemus. Descendit haec vox a Germanico *wallen*, i. e. *proficisci, peregrinari*; quae sententia, si quid intelligo, longe rectius se habet, quam illa, quae a *IOH. BODINO* in medium est prolata, qui in *Methodo Historica C. IX. p. 490.* a vocabulis Gallicis *ou allons nous* nomen hoc ridicule satis deriuare voluit.

\* ALBERTVS CRANZIUS & HERMANNVS HAMELMANNVS existimarunt, plerosque potentiores in *Westfalia & Saxonia* nostra *Dynastas* natione *Gallos* fuisse, a *Carolo M.* adductos, & populo ad rebellionem procliu praefectos; vnde etiam nomina Gallica *Halremont, Pirmont* aliaque venisse suspicantur.

\*\* Immo nonnullis eorum rem adhuc altius repetere placuit. Sic v. gr. VALVASOR in



ducentes, nescio quas non de vetustate nominis & historiae Germanicae fabulas adoptare, atque exinde iustum (si Diis placet) de primis potentissimae gentis ad nostra vsque tempora fati systema texere, quam fateri malunt, omnia in rebus tam longe a memoria hominum remotis tenebris & incertis narrationibus premi; qua in re nisi alios & *Hibernos* praecipue *Gothicos*que Historicos imitati essent nostrates, qui plurima abs nullo alio Historico animaduersa & manifeste fabulosa tradiderunt, vt imperitis fucum facerent, & in nominis vetustate atque gloria primas tenerent, merito nobis hodie erubescendum esset, quod cum non defint praeclara certissimaque Germanici nominis decora, in nugis atque affaniis ab iis patriae nostrae gloria quam diutissime fuerit quaesita. Quare etiam tantum mihi non tribuo, vt audeam, *veterem Scytharum linguam*, siue ea cum *Gothica*, *Cimbrica* & *Celtica* eadem sit, siue quod OLAO RYDBECKIO & Clarissimo WACHERO visum, diuersa,\* non modo matrem *Suecicae*, *Danicae*, *Germanicae*, veterum

*in gloria Ducatus Carniolae T. II.* prolixam fati instituit disquisitionem: num ante diluuium Carniolae Ducatus iam habitari coeperit? Et doleo vehementer, quod CONRINGIVS etiam in opusculo suo *de Antiquissimo Helmstadii statu* chartam illius rei huiusmodi gerris Siculis voluerit. Vanitatem *Hibernorum* in Annalibus suis ea referentium, quae ante diluuium euenissent, post multos egregie explosit RICHARDVS COX. Et doctissimus Vir, EVIL. NICOLSONIVS, cum commemorasset, DVNTONVM vniuersalem Angliae Historiam promississe, addit, parum eum aptum fore Historicum, dum a diluuiio operis sui exordium facturum sese esse fuerit pollicitus. De *Gotblandorum Annalibus*, qui ab eluuiionis Noachicae temporibus res Septentrionis perpetuo filo ordinant, & a Gomero, Iapheti filio, Noachi nepote, Cimbro deducunt; ita vt Reges omnes ab his temporibus sibi mirifico ordine substituunt, non est vt multa dicam. Nemo enim eruditorum hodie in Dania viuuit, qui non has NICOLAI PETREII, NICOLAI MICHAELIS, IO. NICOL. STRELOVII, CLAVDII CHRISTOPH. LYSCHANDRI aliorumque nugae certissime falsas esse credat. Summus mihi que, dum viueret, amicissimus Vir IOH. GRAMMIVS, in cuius morte ante biennium Dania & vniuersa eruditorum natio ingentem iacturam fecit, in doctissima *de vocabulo Herremand* Commentatione T. II. *Script. Soc. liter. Hauniens. p. 314.* Gothlandiam famosam Saeculo XVI. fabularum & commentorum officinam nominat: nec TORFAEVS in serie *Dynastiarum & Regum Daniae* aliter de PETREIO & LYSCHANDRO sentit, quam a nobis modo factum est. Conf. etiam NICOL. PETRI SIBBERN *Biblioth. Historica de Scriptoribus rerum Dan. Norwegicarum C. II.*

\* Nam & *Celtarum* gentem a *Scyrbis* diuersam credidit PEZRONIVS, quod *Celtarum*



rum item *Tuscorum* \*, *Gallorum* & *Galatarum*, *Britannorum* denique & *Hispanorum* dicere; verum etiam cum SALMASIO, BOXHORNIO, STIERNHIELMIO primogeniam, ac per consequens ipsa *Hebraea*, *Graeca* & *Latina* antiquiorem iactitare \*\*. Etenim hic quemque sensu suo abundare libenter patior; eodemque

*tae a Gomerio*, primogenito Iapheti filio, descendant, dicti hinc apud veteres *Gomarithae*; *Scythae* vero a *Magogo*, Gomeri fratre, natales repetere debeant. Et IOH. GEORG. WACHTERVS, Vir doctissimus, qui in originibus Germanicae linguae inuestigandis magnam aetatis partem tam felici successu, sedulaque cura & diligentia collocavit, vt princeps in hoc studio salutari queat, in commentatione doctissima, quam prodromi instar luculentissimo suo *glossario* Lipsiae a 1727. praemisit, & postea iterum cum ipso glossario inter prolegomena recudi curavit, discrimen gentium inter *Scythas*, *Celtas* ac *Celto-Scythas*, cuius iam STRABO meminit, negligi sine magna rerum omnium confusione non posse grauitur monet. Iungi potest his duumviris magni SCHILTERI iudicium, qui in Commentatione *de originibus linguae Teutonicae* multus in eo est, vt ostendat, ante *Scythas* in Occidentales Europae partes per Illyrium delatos fuisse *Celtas*, illosque Germaniam etiam tunc temporis adhuc habitatoribus destitutam occupasse, & linguam secum attulisse a *Scythica diuersam*, quae omnium posthaec in Europa natarum linguarum mater exstiterit. Sed Palaemonis partes in hoc dissensu vindicare nobis non audemus.

\* Sane quod ad priscam *Tuscorum* linguam attinet, in alia longe iuit doctrina sua atque nobilitate generis longe illustrissimus Italiae Marchio, SCIPIO MAFFEVS, cui *Origines Etruscae & Latinae* litteratus orbis debet. Is enim *Tuscos* veteres a *Canaanais* repetit, suamque, vt solet, opinionem nouam prorsus & nemini antea in erudito orbe cognitam variis iisque non prorsus contemnendis rationibus defendit.

\*\* Licet *Gothicae linguae* magnum pretium statuendum esse censeam, nimium tamen eam extollere mihi semper visi sunt, qui cum RVDBEKIO, STIERNHIELMIO, VERELIO, LVNDIO, IONA RVGMANNO, aliisque eam & antiquiorem & nobiliorem caeteris linguis omnibus faciunt. Sane quamdiu inter doctos Suecos de linguae suae cum aliis harmonia res non erit exploratior, exteris potius fabulam ludere, quam rem seriam agere videbuntur. Quam enim OLAVS RVDBEKIVS, Iunior, in *Ichthyologia Biblica* eandem fere cum *Hebraica*, si litteris Gothicis scriberetur, linguam esse affirmavit, ea si STIERNHIELMIO in Praefat. ad *Vlphilam* crederis, *Graeca* erit. Iam autem quantum inter linguas *Graecam* & *Hebraicam* discrimen interfit? tuam fidem testor, Lector. Vix enim credo, facile te assensurum HERMANNO VON DER HARDT, docto caeteroquin & ingenioso viro, qui, vt in sententiis paradoxis nimium sibi placuit, sic e *Graecia* accersendas esse linguae *Hebraicae origines* existimavit, idque tanta audacia, vt eruditos iusserit a se poscere quodcumque velint *Hebraicum* vocabulum, illudque sine mora e *Graeco* se deriuaturum sponderit. Nec magis verum esse puto, quod post RVDBEKIVM probare contendit



que vultu & serena fronte GEORG. CHRISTOPH. PEISKERYM & IOH. PETRYM ERICVM\*, aliosque ei similes, qui *Germanicam linguam Graecae, Chaldaicae, Hebraicae, Phrygicae, Arabicae*, vel cuiuscumque alterius linguae; *filiam faciunt\*\**, respicere possum, ac quidem ADRIANVM SCHRIECKIVM,

OLA-

LAURENTIVS INGEWALDVVS ELINGIVS *in historia Graecae linguae*, Graecos a veterum Gothorum Runis litteras & scribendi artem accepisse. Quamvis enim etiam IOH. AVGVSTIN. EGENOLFVS *in historia linguae Germanicae P. II.* Runas litteras, quas *Iapeticas* vocat, omnium litterarum antiquissimas dixerit; mihi tamen Gothicae litterae, quas in VLPHILAE *Euangelis* deprehendimus, tantae antiquitatis esse non videntur; potius eas ex Graecis efformatas puto. Id tamen lubentissime concedo CAROLO LVNDIO *in diff. de Zamolxi primo Getarum legislatore*, ANDREAE BYREO *in descriptione Sueoniae politica*, aliisque Viris doctis in Suecia, lapsum esse CONRINGIVM, quando ante VLPHILAM ne Runicas quidem litteras Septentrionalibus vsitatas esse existimavit. Etenim saxa illa ingentis magnitudinis Runicis litteris insignita VLPHILAE aetate multis saeculis sunt vetustiora. Sed hae Runae adeo ab illis VLPHILAE sunt dissimiles, vt ad Latinas litteras proxime accedere videantur.

\* Totus in eo fuit ERICVS, natione quidem Germanus, sed Patauii Professor, *in renato e mysterio principio Philologico*, vt omnium vocabulorum Europaeorum origines ex Aegyptiaco & Graeco fonte, tamquam prima sua & vnica scaturigine deriuaret; PEISKERYVS vero *in Indice de Vernaculae & rerum Germanicarum significatione* pro Graecae & Germanicae linguae analogia ita pugnavit, vt vocabula Germanica non alius, quam Graecae originis esse, linguamque Germanicam & Graecam haut aliter a se differre contenderit, quam vulgaris a lingua erudita solet. Eandem tibiam insularunt MATTHIAS BRAENDELIVS in Anomaliae suae, quam *Μισελληνων* vocat, praefatione, & MICHAEL NEANDER in prima parte operis, quo orbis terrarum breuiter explicatur, vbi, prolatis ex ALTHAMERI expositione in TACITVM vocibus quibusdam, vtriusque linguae Graecae & Germanicae cognationem probavit; quibus postea succinit MATTHIAS BERNEGGERVS in eundem TACITI libellum *quaestione XI.* Immo ante hos omnes iam pridem in hoc argumentum inquisiuit IOH. CAMERARIVS DALBURGIUS, Vangionum Pontifex, qui teste AVENTINO aliquot millia vocum, quae in vtraque lingua Graeca & Germanica idem significant, collegit. Huic etiam WOLFFGANGVS LAZIUS successit in libro *de gentium migrationibus*, qui tamen pessime describendo multas bonas voces Graecas corripit, multas Graeco Barbaras admiscuit, quasdam excogitavit ipsemet, nonnullis etiam significationem plane fallam affinxit.

\*\* Sic *Vestigia linguae Germanicae in lingua Arabica indicat* ADAMVS EBERTVS *in epistola de eruditione Arabum & Turcarum*, quam exhibent *Act. Erudit. Lips. T. VII.*



OLAVM RVDBECKIVM, GEORGIVM STIERNHIELMIYM, &, qui hos omnes audacia superat, GOROPIVM BECANVM fero, qui linguam *Gothicam*, seu *Cimbricam*, Belgicae atque *Germanicae* matrem, mundo ipsi antiquitate parem esse, adeoque aliarum omnium & ipsius etiam Hebraeae matricem dixerunt\*. Sed ipsimet,

*T. VII. Supplem. p. 420.* quasdam etiam *Germanicas voces ex radicibus Arabicae linguae* derivatas ex HINKELMANNO exhibet TENZELIVS *Monatbl. Untertredung 1694. mensè Sept. p. 737. sq.* IOH. CONRADVS WAKIVS in libello peculiari Ratisbonae 1713. in vernacula edito *Germanicae linguae origines ex Chaldaica*, quam eandem cum Celtica credit, deducit. PAVLVS PEZRONIVS sicuti Germanos ex Phrygiis ortos putavit, ita etiam sollicitus fuit, ut linguae Germanicae & Phrygiae convenientiam euinceret in supra laudato libello Gallico *de antiquitatibus nationis & linguae Celticae*. Conformitatem Hebraeae & Germanicae linguae exponit HARSDOERFFER *Phil. Germ. Disquis. VII. p. 127.* Plura de parallelis linguis exhibet idem HARSDOERFFER *Disqu. XII. p. 275-303.* TREMBLAYVS *traité des langues c. 17. p. 115-127.* MORHOFF *Polyhistor. L. IV. c. 3. §. 7. sq.* in primis quoad linguam Germanicam DN. ECCARDVS nostras *Hist. Studii Etymol. c. 2.*

- \* Multum sibi in hoc argumento superiore saeculo placuerunt SAMVEL RACHELIVS eximium Academiae Kiloniensis decus, & DANIEL GEORGIUS MORHOFFIVS, vir ob praestantiam ingenii & doctrinam prorsus egregiam inter primarios eiusdem Vniuersitatis doctores merito suo locandus. Horum enim duumvirorum iudicio Graeci & Latini a Barbaris, quorum nomine Scythae ac Celtae venerant, non *Philosophiam* solum, verum *linguam* etiam acceperunt. Vnde postea quod similitudinem aliquam vocum apud veteres Graecos & Latinos usurpatarum cum prisca *Cimbricis, Anglo-Saxonicis, Runicis, Gothicis, Theoriscis*, atque *Francicis* inuenisse sibi visus esset MORHOFFIVS, & simul audiuisset, in nonnullis Asiae prouinciis, *Persia* nimirum & *Arabia, Aegyptro* etiam, quin ipsa *America*, quorundam vocabulorum Germanicorum vestigia deprehendi, audacter satis exinde coniecit, non probabile tantummodo esse *Germanorum linguam Graecam Latinamque aetate praeiuisse*, verum etiam *ditionum radices* quam plurimas in lingua illa, qua maiores nostri vetustissimi vsi sunt, quaerendas esse. Latius postea in hoc argumentum quantum ad Graecam linguam inquisiuit GEORGIUS HENRICVS VRSINVS in *Onomastico Germanico Graeco*, suasu PRASCHII edito, IOH. NIC. FVNCIVS V. C. in *tr. de origine linguae Latinae C. 5.* quantum ad linguam *Latinam* vero ipse modo laudatus IOH. LVDOVICVS PRASCHIVS, qui praeter binas dissertationes *de origine Germanica linguae Latinae* libellum etiam *Organon Latinae linguae* inscriptum cum erudito orbe communicauit, in quo Latinam linguam instar filiae, Germanicam instar matris habendam esse non modo magno ausu contendit, verum etiam nullum sibi hactenus *vocabulum Latinum* cognitum esse asseruauit, quod *radice sua Teutonicum* non inue-



ipsimet, qui tam magnifica crepant, quem in partes suas trahant, videant: mihi enim nec declamare contra eos, nec causam eorum agere placet, qui tam lynceus non sum, ut in tantis tenebris clarum videam. Id vnum vero scire mihi & certissime exploratum habere videor, quemadmodum nulla omnium linguarum hodie superstium, adeoque nec *Hebraea*, nec *Arabica*, nec *Armenica*, nec *Syriaca*, nec *Chaldaica*, nec denique vlla alia totius orientis, multo minus vero *Graeca*, *Celtica*, *Gothica*, *Scythica*, aut quaecunque extra orientem vltata, honorem primae illius linguae, qua totius humani generis parentes vsi sunt, vindicare sibi potest\*; sic rem fore facillimam, quam-

inuenisset; quod ut exemplis doceret, adiecit Organo suo *Onomasticon Germanico-Latinum*, quo catalogum vocum Latinarum plus quam octingentarum, quae cum Germanicis euidenter conueniunt, exhibet, cui ipsi tamen mox subiunxit alterum *Onomasticon Latinum*, in quo vocabula exhibet quam plurima, quae cum Germanicis non ita euidenter, immo forte nullo modo conspirant. Succinit PRASCHIO celeberrimus vir IOH. NICOL. FVNCCIUS in doctissima commentatione *de origine Latinae linguae c. 1. § 5. & matrem linguae Latinae Celticam sive Germanicam linguam esse omni nisu probare contendit*. Quamuis nec hoc nouum sit *παραδόξον*; etenim hoc ipsum CORNELIVS GISELBERTVS PLEMPIVS *Orthographia Belgica* productis in medium ducentis & triginta exemplis priscarum Celticarum vocum, quas Latium adoptauit, iam pridem ante laudatos viros defensum iuit. Praeterimus magni IVLII CAESARIS SCALIGERI, qui tamen non infimi est ponderis, consensum, qui in oratione in laudem eorum, qui in bello Turcico in oppugnanda Vienna vrbe ceciderunt, recitata, *erigite*, inquit, *nunc animos vestros, Germani viri, Romanis ipsis vos hac in parte vel loquendi leges, vel saltim principia atque elementa tradidistis*.

\* Valde sane naturale est, has omnes aliasque illis affines linguas tractu temporis & dispersione humani generis demum natas esse, illam ipsam autem linguam primigeniam ita e memoriis hominum excidisse, ut quidem in iis omnibus quaedam sui vestigia reliquerit, in nulla autem earum integra deprehendi aut agnosci amplius possit. Quemadmodum in linguis Italica, Gallica, Hispanica cernimus, eas certissime ex veterum Romanorum lingua natas esse, licet nulla illa ipsa sit, qua Quirites olim vsi sunt. Quae quidem sententia sicuti non noua est, aut a me primum excogitata, sed iam pridem Viros Summos SCALIGERVM, GROTIVM, CLYVERVM, MORHOFIVM, HVETIVM, IO. NIC. FVNCCIVM defensores & patronos nata est; ita nihil detrahit, *sanctitatis elogio*, quo *Hebraeam linguam* vulgo condecorare solent non Iudaei tantum, verum etiam Christiani Theologi. Nam *sanctitatis nomen* ea quidem promeruit, non quia Adamus in Paradiso caesus est, vel ex peculiari





quancumque velis linguam *primigeniam* dicere, caeterasque aut *immediate*, aut *mediate* ex ea ortas pronunciare, si quidem velis viros illos doctos imitari, qui non verba solum, quae *materialiter* vel *formaliter* ex alia lingua hauriri debent, verum etiam quae per *metathesin*, *apocopen*, *syncopen*, *prothesin*, *epithesin*, *paragogen*, *metonymiam* item, *antiphrasin*, *metaphoram*, *synecdochen*que aliquam cum altera *similitudinem* habere deprehenduntur, mox ad eam, *tanquam matrem*, reduxerunt. Ast ita forte haut raro tibi eueniet, vt rerum peritus tua legens exclamet:

*Speclatum admissi risum teneatis amici!\*\**

Exposuimus haecenus difficultates quam plurimas, quas in eo, quod explicandum sibi sumsit, argumento offendit DN. ECCARDVS; sed superest adhuc earum maxima. Scilicet vt vnus hominis humeri & aetas non sufficiunt ad remouenda omnia illa obstacula, quae amissae veteris linguae radices in nominibus propriis fluminum & locorum nobis relinquunt; sic profecto onus Aetna grauius in se suscipit, qui gentibus illis omnibus, quas veteres Romani & Graeci Scriptores in Germaniam locarunt, iustas suas sedes adscribere vult. Non solum enim horum populorum vestigia fere omnia iam tempore Caroli M. ita in Germania deleta erant, vt nihil fere amplius eorum superfuerit; verum ipsi, qui de his tractarunt, Graeci & Romani auctores tam raro inter se conueniunt, vt, cui ex iis calculum adiicias, saepe non constet. Equidem duos praecipue vulgo sequi solent auctores, qui de vetustis rebus Germanicis apud nos haecenus scripserunt, TACITVM scilicet & PTOLEMAEVM\*. Sed quod ad

culiari aliqua diuina inspiratione eam didicit, verum quia sanctissima oracula diuina & vaticinia de redemptione orbis per CHRISTVM ea primum consignata humano generi innotuerunt.

\* Lepide omnino SARRASIN in libro Gallico *Jeu des Echecs* p. 247. *En matière d'Etymologie les mots sont comme des cloches, à qui l'on fait dire ce que l'on veut.*

\*\* Qui ante hos res Germanicas exposuerunt, fuerunt PLINIVS SENIOR, LIVIVS, IVLIVS CAESAR, STRABO, POMPONIVS MELA, & C. IVL. SOLINVS Grammaticus, si modo vera sunt, quae de SOLINI aetate GESNERVS T. IV. *suae Bibliothecae* habet. Sed LIVII *Historiarum liber Centesimus quartus* & PLINII *Libri XX. de bellis Germanorum cum Romanis* penitus interierunt. Et licet IVLIVS CAESAR quaedam nobis reliquerit, quae ad gentis Germanicae illustrationem facerent desu



ad PTOLEMAEVM attinet, qui post TACITVM, imperante M. Antonino, Alexandriae opus suum conscripsit, PAVLVVS MERVLA in Praefat. ad Geographiam iam pridem conquestus est: plurima magno auctori scripta esse ab auditu & ex aliorum fide, eamque ob causam ipsius Geographica ex alieno concinnata relatu, male & incemendate scripta, atque innumeris deformata esse erroribus, ita ut multa in iis sequiorem naeta stationem extra rerum locata situm hodie appareant; & grauius adhuc PHILIPPVS CLVVERIVS, vir, si quisquam alius, de vetusta Geographia Germanica meritissimus, in eum inuehitur, quando L. III. c. 1. Germ. antiqu. scribit: Adeo omnem perturbasse Germaniam PTOLEMAEVM, ut, si auctoritatem eius fidemque in omnibus sequi vellemus, id quod factitatum plerisque saeculi nostri Geographis dolere se, immo indignari, plane diuersam a veteri habituri simus Germaniam. Solus igitur restat TACITVS, quem inuidendis, ut plurimum, maectare solent elogiis\*. Sed quantumcumque alio-

desiderauit tamen iam Asinius Pollio in iis diligentiam, teste SVETON. in Vit. Caesar. c. 56. STRABONEM, MELAM, SOLINVM grauius subinde hallucinatos esse non semel ostendit CLVVERIVS. Quin ipse STRABO L. VII. Geogr. fatetur, quae trans Albim ad Oceanum sunt, penitus sibi esse incognita; neque se priorum quemdam compertum habere, qui istud litus praeternauigasset, aut terrestri itinere perlustrasset; neque ultra Albim sita Romanos adiiisse. TACITVM igitur & PTOLEMAEVM nominamus, quod eos in hoc argumento reliquis palmam praeripuisse certum est.

\* Sane ipse Summus noster LEIBNITIVS, cuius iudicium mihi haut raro pro norma esse solet, in Praefat. ad T. I. Script. Rer. Brunsvic. n. 1 de TACITO: Hic, inquit, Belgicae Procurator libello de moribus Germanorum tribuit nostrae genti, quod demis Hebraeis, Graecis, Romanisque, & fortasse Aegyptiis Persisque nescio an alia in omni antiquitate naeta sit, accurata tam regionis populique persuaasionem. Et illustris IOH. GVIL. BERGERVS, magnum eruditae Germaniae ornamentum, in dissertatione Witembergae 1722. habita, qua priscum Germanum haut illiteratum fuisse demonstrauit, §. 4. ita mentem suam explicat: Laudo studium grauissimi Scriptoris ac prudentissimi, cui praecipue quicquid nouimus Germaniae veteris, referimus acceptum. Hoc teste locupletissimo Germana virtus, quae hostium obreectatione oppressa iacuisset, effertur altius & enitescit, &c. & paulo post. Quod si beatus sibi videbatur Plinius, si Annalibus TACITI inferretur, hocque sibi acriter experendum censebat, quanti tandem putabimus Germani a TACITO res patriae antiquissimas integro quodam libro expositas fuisse? Sic nobis, sic aliis, magis aestimandus est scriptor tam insignis, mandandus etiam memo-

aliorum virorum doctorum iudicia sacra mihi esse solent, neque ego facile ab iis  
 dissentio, quibus in republica litteraria primatum aliquem deberi existimo;  
 impetrare tamen hactenus a me non potui, vt crederem, TACITVM in *Geo-*  
*graphia Germanica* tantum posteritati praestitisse, quantum laudis quidem opuscu-  
 lo eius tribui solet. Cuius mei syncretismi rationes vt in compendium re-  
 digam, id vnum vrgebo, non posse nos ab hoc eloquentia caeteroquin  
 & vbertate ingenii grauissimo Scriptore curatam Germaniae descriptionem  
 exspectare, quod non modo is ipse Germaniam Magnam oculis lustravit num-  
 quam, licet in eius vicinia, nimirum in Belgio, Procuratorem Caesaris egerit;  
 verum etiam nullum hominem nosse potuit, qui tot diuersos populos tanta  
 inuiarum sylvarum immensitate diuisos disclusosque, vastis interiectis tot soli-  
 tudinibus lustrarit. Etenim homines cultos atque mansuetiores, vt omnia di-  
 ligenter perquirerent, & fando nonnulla perciperent, bellorum hominumque  
 iniuriis prohibitos nouimus, quo minus id, quod litteris memoriaeque tradere  
 vellent, esset exploratissimum\*. Accedit, quod euariantes linguae, morum  
 ruditas, ac locorum interualla commercia vel foedera communia inter ipsos  
 Germanos coalescere passa non sint; tantaque, vt verbo dicam, iis innata fuerit  
 ferocia, & bellandi studium, vt ex facili causa armorum odiorumque ansam  
 ipsimet inter se mutuo arripuerint. Denique quod olim Nomades, & adhuc  
 hodie agunt Barbarae nonnullae gentes, Cosaci cum primis atque Tartari, con-  
 tinuae apud eos familiarum atque minorum nationum migrationes factae sunt,  
 vt, prouti vel pabula inuitauerant, vel cedens aut sequens hostis exegerat, vel  
 ipsae modo pepulerant alias, modo ab aliis pulsae essent, ita res opesque secum  
 traxerint, castra vt plurimum, aut tuguria in castrorum speciem habitantes\*.

Atque

*memoriae, ponendus ante oculos, auctor denique adhibendus in primis, vbi agitur  
 de rebus Germanorum.*

\* Vulgo quidem Pythaeas Massiliensis vniuersam Europam Septentrionalem obiisse fertur;  
 quod annis circiter CCL. ante natum Saluatorem factum CLYVERIVS existimat.  
 Sed quicquid de hoc Pythaeae itinere credant eruditi, praeter eum rari admodum  
 sunt in Germaniam & Septentrione peregrinatores. Neque mirum. *Quis enim,*  
*inquit TACITVS ipse, Asia aut Africa aut Italia relicta Germaniam peteret infor-*  
*mem terris, asperam coelo, tristem cultu aspectuque?*

\* Et ex his crebris migrationibus non potest non venire ingens rerum omnium confusio.



Atque hinc nullibi locorum forte id frequentius, quam in Germania euenit, ut, qui veteres modo erant coloni, quando gleba nouis huiusmodi potentioribus aduenis uisa est aliquantulum fertilior, pulsi ab iis & solum uertere coacti fuerint, ceu solo exemplo *Ansbartorum* ex TACITO ipso L. XIII. *Annal. c. 53. sq.* inpraesentiarum probabimus; Hi etenim pulsi a Chau-

Sic v. g. quis persuadeat sibi, CAESAREM nesciuisse *Menapiorum* veras sedes; & tamen is L. IV. *de bello Gallic. eos ad utramque Rheni fluminis ripam agros, aedificia & vicos habuisse* ait; cum contra TACIT. L. IV. *hist. c. 28.* eos *Cisnostanos* faciat, & a Rheno remoueat, atque PLINIUS etiam eos *inter Mosam & Scaldim* ponat. Sic porro *Vsippii* vel *Vsiperes*, quos L. IV. *hist. c. 37.* agrum Moguntiacum obsediisse refert TACITVS, c. 32. ad alueum Rheni iuxta Catos locantur, ut pateat, eam esse *Cis Rhenanam gentem*; quos ipsos tamen DIO CASSIUS L. 54. *Histor. ad Rhenum infra Vbios, populum Trans Rhenanum*, ponit. Ut taceam alia exempla. Nam etiam ex his paucis patet, quam recte iudicauerit HUGO GROTIUS, vir in omni eruditionis genere maximus, L. VII. *Hist. Belg. ad A. 1598. vetera certe nomina* (antiquae *Cis & TransRhenanae Germaniae*) *cum recentibus conciliari speciosius, quam verius posse. Nam & priscos auctores parum introspecta Germania hanc eadem memorasse; & mox omnia crebris gentium inter se migrationibus turbata esse; augere denique obscuritatem secutos interpretes, antiquam famam ad suae quisque gentis decora trahendo.* Idem profus est PETRI BERTII iudicium, qui posteaquam in *Comment. Rev. Germ. L. 1. c. 18.* annotasset, insignem inter STRABONEM, MELAM, PLINIUM, TACITUM atque PTOLEMAEVM dissensum esse, mox causam hanc subiungit: *Nam quum Scriptores illi aliena fide interiora Germaniae referrent, neque adhuc ea omnis Romanis exacte nota esset, singulaeque insuper eius partes variis mutationibus ob incolentis populi migrationes essent obnoxiae, non est mirum, si vel regiones quasdam alii praetereant, ab aliis forte commemoratas, vel quas hic pro suo acuo ita descripsit, alius aliter mutatis gentibus disponat: neque enim gentes a locis, quae incolebant, sed loca ipsa a gentibus plerumque nomen habuerunt. Quod si loca ipsa sedesque nationum propriam certamque habuissent appellationem, potuissent ut in domiciliis urbibusque, ita in terrarum tractibus, mutatis licet cultoribus, seruari semper eadem regionum nomina, sed quia a populis terrae sua nomina traxerunt, euenit necessario, ut cum migratione populorum ipsae quoque appellationes regionum mutarentur.* Vnde liceat nobis prouocare ad auctoritatem Illustrissimi Comitis DE BUNAV, Viri in patriae suae gloriam nati, qui in *Hist. German. T. I. p. 12.* pro incomparabili suo iudicio ait: *Derjenige der die eigentliche Gränzen des alten Teutschlands und der Teutschen Völker unter sich selbst genau beschreiben wolle, werde eben so viel anrichten, als derjenige würde thun können, der die Gränzen der Tartarischen und Calmuckischen Horden auf Landcharten ausdrücken wolte.*



Chaucis, & sedis inopes, quia validior gens erant, Frisios expulerunt, utque Ansvariorum horum terra quondam Chamauorum, mox Tubantum, & post Vespiorum fuit, sic postea e Frisia iterum eiectione retro ad Vesprios & Tubantes concesserunt, eorumque terris denuo exacti errore longo hospites, egeni, hostes in aliena vixerunt. Quae cum ita sint, nec certa nomina regionibus atque prouinciis aptata prius fuerint, quam eae terminis distinctae atque conclusae essent; necessario consequentiae filo patet, curate definiteque prouincias Germaniae limitibus atque terminis describi non potuisse, quam diu nulli certi atque perpetui habitatores adfuerunt, sed prouti luberet, permutare sedes, nec vacuas tantum occupare, verum ipsos possessores manu minus validos e suis latebris, tuguriolis atque domunculis depellere ac eiicere moris erat. Et licet montes, syluae, fluuuque, ut plurimum, situm suum antiquum retineant, nomen tamen pristinum non ita facile retinent; cum naturale sit, ut in occupatis iure belli aut per colonias prouinciis nouae, quae superuenerunt, gentes huiusmodi nomina pro linguae suae atque dialecti diuersitate deformant misere & detorqueant, immo introducendo linguae suae nomina penitus immutent. Quae cum ita sint, apud omnes etiam, constare arbitror, vetustam Germaniae Geographiam simplicem non admittere conceptum, sed in periodos varias dispelci debere, prouti populi isti, qui vastissimum hoc Regnum inhabitauerunt, mox victores, mox ab aliis victi fuerint. Atque hinc qui periodos has accuratissime non notat, quas notasse TACITVM non memini, non potest non subinde fallere & falli. Quodcumque igitur TACITI Germaniae statuamus pretium, tamen necesse est, ut in legendo hoc libello terminum a quo & terminum ad quem, ut in scholis Philosophorum dicitur, Geographiae Germanicae assignemus; adeoque solius TACITI effata non pro decempeda habere possumus, iuxta quam reliquos auctores omnes emendemus. Quamquam nec ita semper securi sumus, ne decipiamur ab eo, & in errores praecipitemur. Vti enim Geographia praecepta sua mutuari debet a Geodacia, cuius saepe ignari Historiographi, ut ait VOSSIVS de scient Mathemat. c. 27. §. 6. falluntur in magnitudine regionum, insularum &c. describendo; sic ad situm locorum populorumue, & fines atque terminos eorumdem indagandos, denique ad vicinos unicuique suos iuste & sine errore adscribendos, necesse est, hausisse haec ex monumentis fide dignis, & eiusmodi testimoniis, quae fallere nos nec volunt, nec possunt; quales fontes fide dignos an TACITVS habuerit? tuum sit iudicium, Lector Candide: mihi sane videtur aliter fieri non potuisse, quam ut ignotas sibi prouincias sine duce



atque comite idoneo, percurrens enormiter subinde errauerit, sibi que ac alijs imposuerit. Impossibile enim est, hominem, vtut exercitatissimum, pro conditione humanitatis in tenebricosa & aspera peregrinatione aliquando non caespitaturum, atque a recto itinere in tali labyrintho deflexurum. Atque haec etiam mouerunt iam pridem viros quosdam eruditos, vt existimauerint, TACITO ne quidem in mente fuisse, vt exactam Germaniae descriptionem Lectoribus suis exhiberet; potius eum, cui triste fuit, saeuia cernere & virtutibus infesta tempora sua, libellum hunc composuisse, vt in corruptos Romanorum mores satyram eo tutius componeret, suosque ciues a pristina morum innocentia immane quantum deflexos, sicubi pacto aliquo fieri posset, in viam virtutis & seuerioris vitae reuocaret\*.

Sed

\* Sane illustri IOH. GVIL. BERGERO, ad quem paullo ante prouocauimus, sententiam hanc animo sedisse, non obscure colligimus. Licet enim is quouis modo amoliri a se suspicionem velit, quasi serio hunc TACITI libellum Satyram crederet; tamen in supra laudata dissertatione, qua *priscum Germanum bant illitteratum fuisse* docuit §. 8. disertis verbis dicit: *Qui TACITVM cum cura euoluunt, his adhibito mediocri studio obscurum esse non potest, Romanorum mores cum Germanorum moribus ab illo studiose contendit. Habuit causas quare id faceret iudicii Scriptor prudentissimus in his non postremam, vt ea quidem comparatione a Romanis, apud quos res peregrinas componeret, explicatius intelligeretur. Et suae reipublicae corruptelis offenditur, sic vt quotiescunque integriores apud Germanos reperit mores, semper fere patrios, rectius apertius, castiget. Tali cura muneris historici grauitatem sustinet, quod potissimum suscipitur non delectandi causa, sed docendi exemplisque melioribus emendandi. Eadem opinio fuit Perillustri DN. DE WESTPHALEN, Viri in quo praeter incomparabilem vtriusque tam Germanici quam Romani iuris peritiam, tanta reliquarum, quae ad humaniores literas spectant, disciplinarum cognitio elucet, vt nemo non eruditorum lubentissime ei assurgat. Hic enim in tractatione Historica de consuetudine ex sacco & libro in Germania sigillatim in Megapoli p. 51. iis, qui TACITVM suis Commentarijs illustrant, obiicit, quod non rite satis obseruariunt, primum TACITI finem fuisse, comparare inuicem Romanorum & Germanorum mores, eorumque dissimilitudines eruere, neuiquam vero omnes Germanorum consuetudines ex instituto describere. Bona fide cum scripserit, sed bona fide multoties errasse. Ad iniuria Germaniae eum non accessisse, multa retulisse ex auditu, multa iudicasse ex moribus non curate perceptis. Addamus Auctori huic Excellentissimo alium non minus celebrem, ac post vltima funera ob praecelara ingenij monumenta fama meritisque immortalem prorsus virum, puta IOH. GOTTL. HEINECCIVM, qui*



Sed siue vera haec sit opinio, sin minus, superest tamen noua adhuc ratio, cur de TACITI Germania tam magnifice sentire non debeamus, ac vulgo quidem fieri solet. Etenim quam forte in scribenda historia Romana foecundus est praestantissimus auctor, tam in rebus exteris litteris consignandis incurius fuit, immo insubidus atque ieiunus. Quod ne temere vel ex calumnia scripserit videar, rogo, vt Lectores mei perpendant, quam indigna ea sint, quae in illo, quo Iudaeorum res\* exposuit, *Historiarum libro quinto* nugatur. Aut enim me omnia fallunt, aut necesse est, fateantur mecum quotquot adhuc veritatem amant, *nihil posse frigidius dici de gente tunc temporis toto terrarum Orbe notissima, quam ea, quae TACITVS ibidem commemorat.* Iure pronunciaueris, esse

## Aegroti veteris meditantis somnia mystae

quae

qui in *Comment. ad leg. Iuliam & Papiam Poppaeam L. 1. c. 2. §. 6.* TACITI locum, quo de Germanis c. 19. dicit: *Numerum liberorum finire, aut quempiam ex agnatis necare flagitium habetur; Plus ibi boni mores valent, quam alibi bonae leges, more solito, id est eruditissime, explicat: Contendit, inquit, auctor praestantissimus Germanorum Romanorumque mores, & vti toto fere illo libello ea potissimum, in quibus a perditissimis Romanorum moribus Germanici discrepabant, eleganter exponit, ita & hic similis plane occurrit σύνκρισις.* Nec forte abs re erit, Triumuiris his IOH. NICOL. HERTIVM, eximium profecto eruditae Germaniae decus, adiungere, cuius in *notitia veteris Germaniae Praefat. ad P. 1. §. 2.* haec sunt verba. *Melius agunt, qui per litterarum secreta, quae TACITVS viros pariter ac foeminas Germanorum ignorare dicit, intelligunt litteras amatorias, furrim commicare solitas. Id enim praecipue in libello hocce egit TACITVS, vt Germanorum mores cum Romanis contenderet, & hos interdum tacite perstringeret.*


\* De Christianis iam non dicam; licet *Annal. L. XV. cap. 44.* exitiabilem superstitionem persuasionem illam sanctissimam, quam de expiatione generis humani per CHRISTVM facta habemus, nominet, & posteaquam retulerat, quam crudeliter a Nerone aduersus eos, qui Christo nomen dederant, animaduertum sit, dictatorio more, *fontes eos & nouissima exempla* meritis pronunciet. Vtut enim impotenti prorsus animo haec scripserit TACITVM nemo non cernat, eoque ipso iudicare possit, quod, qui huiusmodi leuitati mentis succumbere, iisque, quae sola aliorum fama spargebantur, tam facile assentire poterat, ab illis dotibus, quae bonum Historicum decent, multum absit; tamen quia hoc vitium omnibus Paganis Historicis cum TACITO commune est, vt in fide Christiana cauillanda nullis facile probris atque scommatibus parcant, hoc pro fide eius infirmaada non amplius vrgebo.



quae is ibidem de Iudaeis Creta insula profugis, & a monte Ida primum Idacos, post Iudacos nominatis garrit. Nec melioris farinae sunt, quae de Ducibus Iudaeorum, Hierosolymo & Iuda, ac de Solymis, carminibus HOMERI celebrata gente, Urbis Hierosolymorum conditoribus, memoriae prodit. Et quam, quaelo, spem de Scriptore hoc facere licet, qui quando ob scabiem & lepram ex Aegypto expulsos Iudaeos fabulatur, adeo se improbum praestitit, ac si mercede conductus fuisset, ut conuiciis atque probris Iudaeos vexaret, & infelicem ac omni calamitatis genere tunc temporis oppressum populum magis apud Romanos infamaret? quam ingens lapsus historicus est, ubi eiectam ex Aegypto Iudaeorum multitudinem post sex dierum iter in deserto emensum septimo die terras illas obtinuisse ait, in quibus urbem & templum exstruxerunt. Quam indigne tractat Moesen, virum, quem si accurate in vitam eius, res gestas, Leges, dogmata atque placita inquirere voluisset, etiam si diuinae missionis atque vocationis characterem in eo forte non agnouisset, nulli tamen in antiquitate celebrato Heroi postponere, quin immo omnibus etiam veteribus Philosophis praeferre, & eo prosequi honore debuisset, quo ornatum illum nouimus a DIODORO SICULO, cui libro ultimo audit: *cumulatae prudentiae & fortitudinis laude insignis vir Μωσῆς φρονήσει πολλῇ καὶ ἀνδρείᾳ πλείστον διαφέρον\**. Quam turpiter denique silentio praeterit veteres Iudaeorum Reges, & nouo profus commentu nugatur, gentem hanc despectissimam semper fuisse, quam diu Assyrios penes, Medosque & Persas Oriens fuit; nec imposuisse sibi Reges, nisi posteaquam Macedones inualidi, Parthi nondum adulti, & Romani adhuc a finibus Iudaicae terrae nimis remoti essent, quam ut eam in melius mutare potuerint. Nihil iam dico de illa OnolatRIA, quam temere Iudaeis impingit TACITVS; nihil de impudenti calumnia, qua rationem, cur a suilla carne abstineant, tradit; nihil denique de nugis venalibus, quibus causam explicat, cur septenarius numerus sacer apud eos habitus fuerit. Haec enim omnia & plura alia huius commatis commenta facile sedulo cuius Lectori sese inge-

\* Eundem in modum DIONYSIVS LONGINVS, non semi Christianus, quod docti quidam viri suspicati sunt, sed Paganus homo, ex qualicumque librorum Moſis leſtiuncula tantum profecit, & ob folius ſtili ſublinitatem eo adductus eſt, vt Moſen, Iudaeorum Legislatorem, *virum minime contemnendum*, id eſt eximium, dixerit in illo περὶ ὕψους libello Sect. IX. n. 18. vbi ὁ ἴων Ἰαδαίων δεσμοθέτης, ἐκ ὀρχῶν ἀνήρ.





ingerant, atque id manifeste euincunt, putidissimis conuiciis, Siculisque gerris TACITI scripta scaterè, nec immerito de eo dixisse TERTVLLIANVM in *Apo- logetico cap. 16.* quod sit *rabula & homo mendaciorum loquacissimus* \*. Et profecto eo grauius molestiusque hoc in TACITO ferendum, quod licet forte APIO ALEXANDRINVS, APOLLONIVS ALABANDENSIS, MANETHO SEBENNYTA DYOSPOLITANVS, Sacerdos Aegyptius, aliique tunc temporis obuii Scriptores ex inimico erga Iudaeos animo calumnias quam plurimas in gentem hanc sparserint, is tamen ignorare potuerit neutiquam, solide eas confutatas esse a IOSEPHO & PHILONE ALEXANDRINO, grauissimis doctissimisque viris \*\*, cuius prioris *Libri XX. antiquitatum Iudaicarum* eo minus in-

cogni-

- \* Nec proderit quidpiam, reponere nobis, has atque alias aniles fabulas atque nugigerulorum somnia a TACITO nec excogitata primum esse, nec aliter referri, quam sicuti ab aliis dicta; quae fere sententia esse videtur B. WORMII, quam in doctissimo libro *de corruptis Antiquitatum Hebraearum apud TACITVM & MARTIALEM vestigiis* Hauniae Anno superioris Saeculi XCIII. proposuit. Sicuti enim calumnias atque inuenta ab aliis scommata propagare numquam a crimine abest, a quocumque id fiat, ita praesertim *Historicus omnem fidem perdit, quando criminandi atque maledicendi libidine a studio veritatis, cui totum semet mancupare debet, abripi se patitur.* Etsi igitur omnium ea Romanorum aliorumque gentilium persuasio esse videatur, Iudaeos v. g. immundi illius animalis, suem intelligo, affici reuerentia, atque caput asinum pro Deo colere; ceu etiam ille elegantiarum pariter atque nequitiarum artifex PETRONIVS innuit, quando *p. 683. edit.* BYRMANN. ait:

*Judaeus licet & porcinum numen adoret,*

*Et Cilli summas aduocet auriculas.*

& PLVTARCHVS quoque in *Symposiac. L. IV. qu. 5.* infami hoc conuicio eos rodit; ideo tamen excusatione dignus non est TACITVS, quippe qui haec vt Historicus refert, & in tam serio argumento pertractando versatur, vt cum VORBVRGIO in *Histor. Germ. T. I. f. 36.* excusare eum non possis, quasi ex communi illo Romanorum erga religionem Iudaicam odio eius maledicta venerint; nec credere, quod sparserit ista conuicia, vt Lectoribus risum moueret, ceu quidem iocandi gratia aduersus Iudaeos calamum acuit Satyricorum suae aetatis princeps IUVENALIS *Satyra XIV.*

- \*\* Immo non in eam angustiam redacta erat Iudaeorum natio, vt ex duobus tantum, vel tribus Historicis, iisque gentis suae hominibus, res eius gestae hauriri debuerint; Sed fuerunt omnino Graeci & Latini, iique Ethnici Scriptores, qui ex instituto res gestas Iudaeorum & Historiam nobilissimi populi pertexuerunt. Cur igitur non

ALE-



cogniti esse potuerunt TACITO, quod Auctor eorum non modo ob ingenii & eruditionis gloriam Romae statuum promeruit, verum etiam Vespasiano, sub quo

ALEXANDRVM POLYHISTOREM, ARTAPANVM, HECATEVM ABDERITAM, THEODOTVM, &, qui de Iudaeorum rebus Latine quid commentatus est, ANTONIVM IVLIANVM consuluit, quos omnes & longe plures hodie temporis iniuria a tinea & blattis deuoratos TACITI aetate adhuc fuisse superstites, nullus dubito. Ac, vt etiam illud dicam, non adeo obscuri nominis erant apud Romanos Iudaei, vt, quae ad mores eorum atque res a maioribus gestas spectant, ab ipsis suis ciuibus discere non potuisset, si, vt Historicum decet, lapidem mouere omnem, nec insultare genti tunc despiciatissimae contra manifestam boni Historici fidem voluisset. Ecquis enim credat, oblitteratam penitus fuisse TACITI aetate foederis illius memoriam, quod Iudas Macabeus cum Senatu Populoque Romano olim contra Syriae Reges inierat? quis persuadeat sibi, Romae neminem amplius sciuisse aliquid de priuilegiis quam plurimis, quae Iudaei ob fidem ac fortitudinem Romano Populo probatam ex Senatus Consultis acceperunt? de quibus adeo confidenter loquitur IOSEPHVS *Antiquit. Iudaic. L. XIV. c. 17. sqq.* vt *uniuersis ciuibus Romanis id notum esse dicat, Iudaeos ab Imperatoribus eorum magni semper habitos fuisse ob fidem ac fortitudinem; ac mox subiungat: quoniam multi, quibus exosum est Iudaeorum nomen, non credunt Persicarum vel Macedonicarum rerum scriptoribus de virtute & integritate Iudaeorum testimonium perhibentibus, necesse esse, Romanorum decretis credant, nam haec publice dedicata esse in urbibus, atque etiam in Capitolio aeneis tabulis esse insculpta.* Praeterea quis, quae scio, nescit, quanto in honore apud Caesarem, Antonium atque Dolabellam fuerit Hyrcanus, summus Iudaeorum Pontifex atque Ethnarcha? quod Antipater, ob nauatam Iulio Caesari in bello Aegyptiaco operam egregiam, iam ab eo ciuitate Romana donatus & Iudaeae Procurator declaratus fuerit? quin immo quod fuerint etiam iam olim ex ipsis Ciuibus Romanis, qui detrimento cutis in Hebraeorum placita iurarunt: vt id vel solo exemplo Q. Caecillii, Verris in Sicilia Quaestoris, constat, in quem illa extat M. TVLLII CICERONIS, quae *diuinatio* dicitur oratio. Immo etiam apud nobilissimas Matronas Romanas assensum meruit Iudaeorum religio. Sic IOSEPHVS *l. c. L. XVIII. c. 5.* meminit Fulviae, nobilis foeminae, quae Iudaica facta amplexa est, multumque auri atque purpurae Hierosolymas ad templi & sacrificiorum usum misit; quam liberalitatem eius aegre tulit maritus Saturninus, qui querelas desuper ad Imperatorem Tiberium detulit, cumque permouit, vt de Iudaeis Roma pellendis consilium ceperit, quod executioni mandatum esse cum ex IOSEPHO, tum ex SVETONIO *in vit. Tiberii c. 36.* atque TACITO *L. II. c. 85.* discimus. Taceo Iudaeos (vt pote qui iam ante Hierosolymorum vrbs excidium per omnem fere Europam vagati sunt, ceu DN. DE LYDEWIG *in Comment. ad A. B. P. I. p. 848. sq.* obseruauit,) Romae etiam Proseuchas suas habuisse, in quibus, antequam a Tiberio Caesare vrbe submoueretur, nemine prohibente secundum Reli-

quo TACITVS inclarescere coepit, atque Tito Imperatoribus valde familiariter vsus est. Sed inquires forte, quid hoc ad TACITI de rebus Germanorum Commentariolum pertineat, si lapsus ille est in rebus Iudaeorum consignandis, vel maligno dente populum hunc sua aetate Romanis vehementer exosum momordit? Maltum; respondeo. Iam enim sicuti, qui aliqua animi magnitudine & studio veritatis censentur, Scriptores non tam procliuves sunt in adoptandis vulgi praeiudiciis; ita ex tot erroribus circa res Iudaicas a TACITO admissis quam parum ille veritatis inuestigandae amore arserit ipsemet iudicabit aequus Lector \*.

Et

Religionem patriam conueniebant; vti quidem id diserte tradit PHILO IYDAEVS *de legation. ad Caium Caesarem p. m. 847.* quin Augusti Caesaris aetate Romae vixisse tantam Iudaeorum multitudinem, vt Legatis ab Herode M. Romam missis iunxerint se plus quam octo millia Iudaeorum urbem incolentium, teste IOSEPHO *l. c. L. XVII. c. 12.* Ex HORATII *Satyra 9.* Fuscum Aristium Iudaeum fuisse patet, quem ipsum tamen amasse HORATIVM facile ex *L. 1. ep. 10.* colligimus. Vtque ante Tiberii tempora, sic etiam postea in aulis Caesarum atque apud Cives quosdam Romanos Iudaeorum nonnulli in summa dignitate atque existimatione fuerunt, vti v. g. Aliturus mimus Neroni charissimus.

\* Agnoui hoc meus in munere Historiographi praedecessor, Vir meo encomio maior, DN. IOH. DANIEL GRUBER in doctissimo opusculo *de Iudaeo milite c. 2. §. 1.* omnium minime, inquit, aniles fabulas expectasses ab Historicorum Principe CORNELIO TACITO, qui Iudaicae gentis fata famosaeque Hierosolymorum urbis supremum diem traditurus, tot nugae admiscet vero, vt reliquorum etiam de longinquis populis narrationum fidem ex ea causa faciat ambiguum. Actum esset de notitia veteris Germaniae, Germaniaeque populorum, nisi superstes esset TACITI de situ, moribus & populis Germaniae libellus, aureus sane, Germanisque omnibus ediscendus. Minus tamen huic opusculo pretium statuendum, si TACITVS in historia populi Hebraei lapsus est. Iudaeam eius tempore omnem perdomuerant Romani, multaque Iudaeorum millia inde a Pompeii & Augusti Caesaris temporibus Romae debebant, vnde perfectam eius gentis notitiam haurire licuit Historiarum Scriptori. Germaniam neque ipse obierat, neque victrices Romanorum aquilae unquam penitus peragrauerant; Qua fide igitur de ea commentatus sit difficile iudicatu, quum desint monumenta, quae cum eius traditis comparari possent. In Iudaicis autem eum hallucinari diuiores libri manifestum faciunt. Ad hanc igitur Viri grauilissimi mentem liceat nobis more Logicorum per inductionem concludere: TACITVS tot deprauatae aut male intellectae Historiae Iudaicae specimen dedit; cum tamen gens Hebraea & olim amplissimis in orbe Romano commercis floruerit, & per longum tempus primum amicitia atque foedere Populo

F

Ro-



Et haec quidem nostra de TACITO sententia est; quam ipsam sicuti nemini obtrudimus, ita alios nobis credendi sentiendique libertatem saluam integramque relicturos speramus. Verum antequam hanc tractationem claudamus, paucula reponenda censuimus Consultissimo & Amplissimo Viro, DN. IOH. PETRO ANCHERSENIO, Iurisconsulto & Eloquentiae in illustri Hauniensium Academia Professori Publico doctrina & meritis inclyto, meo olim per decennium Collegae coniunctissimo, atque hodie, ut spero, Fautori & Amico certissimo. Is cum ingeniosissimam Commentationem sub *Vallis Herthae deae & originum Daniae* nomine, Musis non infeliciter obstetricantibus in publicam lucem emisisset, a me vero subinde in priuatis sermonibus vnum hoc opusculo suo lucernam & arrosos vngues bene olenti reponi audiuisset, quod nimium auctoritati TACITI tribuerit, aegre hunc dissensum meum tulit, inultumque animo commotus duobus ab hinc annis opposuit mihi tale quid non opinanti dissertationem publicam *de scientia fideque Taciti Geographica & historica in Germania*. Nihil tunc reponendum censui Viro illustri, ne offenderem amicum, quem demto hoc dissensu nec mihi, nec cuipiam homini malum noui, immo vero ab eo tempore, quo in Hauniensi Academia vixi, suspexi mirifice; licet vehementer optassem, ut non tam mei, quam WESTPHALII, Viri Illustrissimi, causa

*Romano iuncta, postea vero sub clientela eiusdem vixerit; atque ob bella cum vicinis, aliisque Orientis gentibus, speciatim Chaldaeis, Persis, Phoeniciis, Aegyptiis, ac, post destructum ab Alexandro M. Persicum Imperium, cum Graecis, vel potius, qui ex Graecorum Regno surrexerant, Syriacis Regibus gesta, omnibus, qui gentium harum historias edolarunt, non potuerit esse incognita; potius tam inter Graecos, quam Latinos Scriptores doctissimos viros naeta sit, qui maiorum suorum res gestas litteris consignarint; & denique ipsamet multa praeclara aluerit ingenia, quae recocta haec conuicia iam pridem refutauerant prosligauerantque: Ergo vel nihil, vel parum ab eo expectari potest, ubi de Germaniae populis loquitur, maxima ex parte nec vllis commerciis, nec auditione quidem, vel iusto rumore Romanis notis. Ac profecto iis omnibus, quae ad subsidia historica pertinent, cum de Germania scriberet, destitutus erat TACITVS, utpote qui eo tempore, quo in Germanorum moribus & vitae institutis inuestigandis calamum exercuit, ut diximus, nec ab exteris Scriptoribus lucem foenerari, nec domesticis consulere, nec ob deficientem totius Germaniae notitiam ab ipsis Germanis, si quos forte nouerat, auxilium expectare, potuit, cum plurimis Germanis tunc extra pagum, quem quilibet incolebat, non magis communis patria, Germania, cognita fuerit, ac nobis quidem cognitum est, quid incolae lunae, si qui sunt, agant.*

causa, cuius latus eodem schediasmate petiit, in pugna hac litteraria verba magis in factum, ceu Iurisperiti loqui solent, temperasset. Ne tamen debellatum me credat, vel victum penitus, vir Celeberrimus, vnum hoc iam publice ab eo expeto atque efflagito, vt, si quid pro fide TACITI reponendum censuerit, scrupulos hos, quos hactenus proposui ex animo meo euellat. Pugnabimus amicam pugnam; neque enim vt veterem nostram amicitiam fatiget vel euertat TACITVS, operae pretium est. Et vt sciat vir illustris, in quo cardo dissensus nostri vertatur, vnum hoc argumentum discutiamus, *an ea tuto sequamur, quae TACITVS in definiendis terris atque prouinciis, quas prisca Germaniae populi inhabitauerunt, memoriae prodidit?* Negari hoc a me non dissimulo. Vir Celeberrimus contra illud affirmat, his potissimum ductus rationibus: I. *Superfuisse TACITI aetate deperditos hodie LIVII atque PLINII libros, situm & mores Germaniae exponentes.* Ast quid ex his superstitionibus libris TACITVS quoad interioris Germaniae notitiam Geographicam discere potuerit, nondum video; cum ipsa haec interior Germania armis Romanorum tunc temporis, cum LIVIVS & PLINIUS scripserant, tentata nondum fuerit. Perierunt sane hi libri cum magna historiae patriae iactura, quod ipse non inficior; quoniam multa a Maioribus praeclare gesta simul periere; sed etiam si eos haberemus superstites, plenam tamen Germaniae vniuersae notitiam ex iis haurire non possemus. Sed pergit vir Celeberrimus, (2) *Potuisse TACITVM de his rebus edoceri a ciuibus suis, qui bellis Romanorum contra Germanos gestis interfuerant; praecipue quod ea aetate, qua is scripsit, Romanorum arma in Germaniam quam longissime ultra Albim, & non modo in Holsatiam, Mecklenburgum, Marchiamue, verum etiam in fines Semnonum ac Hermundurorum, i. e. ultra Magdeburgum penetrauerint.* At enim non necesse esse putamus, multis dispicere verbis, quid auctoritatis tribuendum sit illis siue Ducibus exercituum, siue militibus Romanis, quos subinde in Germania castra metatos esse legimus. Quamuis enim rara haec contigerit veteri Romano Imperio felicitas, vt milites aluerit arte non minus, quam Marte claros; iique quoniam Minerua cum Bellona apud eos in contubernio vixisse videtur, aptissimi fuissent ad prouincias & regiones Germaniae explorandas; plus tamen iis de Germania cognitum fieri non potuit, ac quidem oculis lustrarunt. Iam autem primus quidem eorum Germaniae pedem intulit Iulius Caesar; sed is Rhenum flumen vix transgressus est, in ipsam vero Germaniam penetrauit numquam: vt merito de eo dici possit, quod Germaniam potius ostenderit Romanis, quam tradiderit. Et licet ab hoc tempore vsque ad



TACITI aetatem saepius, quamquam vario & incerto Marte, cum Germanis arma contulerint Caesares Romani, ipseque iam Augustus blanda spe Germaniam in prouinciam redigendi lactari visus sit; aliud tamen nihil quisquam eorum perfecit, quam vt aliquam Germaniae partem, quae Romanis sub *Germaniae Trans Rhenanae* nomine venit, victoriis suis terruerint interdum, & tandem etiam in qualemcumque prouinciae speciem redegerint; atque hinc *inferioris & superioris Germaniae* Magistratus, Proconsules atque Propractores, quin *utriusque Germaniae* Legatos creauerint quidem; sed vel imperio Romani populi magnam illam *Germaniam* subiectam fuisse vmquam, vel vltra Albim vllas ab iis copias deductas esse, id quidem est, quod haectenus ignorare me profiteor. Vnde quantum ad gentes illas Transalbinas, & qui iis adhuc remotiores sunt, militibus Romanis plus notum esse non potuit, ac nobis quidem notum est de iis, qui in Groenlandia, & sub polo Arctico habitant. Virget Vir doctissimus (3) *ipfos Germanos Principes nobilissimosque iuuenes Romae frequentes adfuisse aut securitatis gratia, aut ad commoda praetorianae militiae, ad quam inde a tempore Iulii Caesaris adhiberi solebant, certatim accurrentes conuolantesque; quos Romanae linguae peritos TACITVS consulere potuerit.* Sed qui vel obsides Romanis a Germanis dati erant, vel sponte ad eos concesserant, atque patria derelicta stipendia in Latio meruerant nobilissimi & lectissimi iuuenes, non plus TACITVM in scribenda *Germaniae Geographia* iuuare poterant, quam quidem rusticus Seelandicus patrios agros numquam egressus iuuare possit virum doctum in Islandiae Geographia occupatum; cum vt supra dictum, veteres Germani numquam ita foedere communi coaluerint, vt v. g. Longobardis, Reudingis, Chamanis vel Angriuariis tutum fuerit Marignos, Carinos, Burgundiones, Suardones, Herulos, Lugiones, Quados, aliosque remotiores populos adire, situm eorum explorare, & quae reliqua apud eos obtineant instituta atque mores tradere. Aut igitur probare debet Vir illustris, nullam esse earum nationum, quas ad Germanos refert TACITVS, (ne ipsis quidem Sionibus, Suionibus, Scirris, Gothonibus, Naharualis, Aestiis, Peucinis atque Fennis exceptis,) ex qua non aliqui inter Romanos militauerint, & notitiam aliquam Romanae linguae acceperint\*, aut concedere,

\* Nonnullos Germanos tum occasione bellorum cum Romanis gestorum, dum ex commerciis, quae a Romanis in Germaniae finibus exercita fuerunt, aliqualem Romanae linguae notitiam accepisse; maxime vero facultatem Latine loquendi eos sibi parasse Ger-

re, TACITI *Geographiam*, si non intuitu Germaniae vniuersae, (quod a me dictum esse non memini,) certe quoad eos populos, quos propius noscere non poterat, non posse non vitis laborare, & ingenti incertitudine premi. Omnium vero maximum pro TACITI fide argumentum in eo posuisse videtur vir illustris, quod (4) *Romani tabulas habuerint Geographicas, in publica porticu orbis totius oculis, teste PLINIO, ab Augusto propositas & vere publicatas.* Ac profecto non me fugit, AETHICVM in prooemio *Cosmographiae* referre, *Julium Caesarem, cum Consulatus sui fasces erigeret, ex Senatus Consulto censuisse, omnem orbem iam Romani nominis admetiri per prudentissimos viros, & omni Philosophiae munere decoratos, atque a Consulatu Julii Caesaris & M. Antonii usque in Consulatum Augusti decimum, annis XXX. mensibus VII. diebus X. a Zenodoxo (Xenodoxo) orientalem, a Polychito meridionalem, a Theodoto vero septentrionalem partem dimensam esse.* Quae ipsa relatio si vera est & genuina, procul dubio tabulae confectae sunt Geographicae, quae vt *orbis Romani*, sic etiam *Barbariae*, (ita enim constanter Romani Scriptores orbem diuidunt, omne illud, quod alienum erat a Romano imperio, *Barbariam* vel *Barbaricum* nominantes,) per consequens *totius* quoque *Germaniae oras, earumque diuersos incolae, Romanorum oculis subiicerent.* Neque etiam dubitavi vmquam, Romanis aequae ac nostrae aetatis hominibus in primis humanae prudentiae partibus fuisse, vt certam exploratamque orbis terrarum notitiam haberent. Verum enim vero quemadmodum nobis hodie terrae multae vel minus exploratae, vel prorsus sunt incognitae; ita id vnum vrgeo, Germaniam Romanis parum cognitam fuisse, adeoque eorum tabulas Geographicas de hoc terrae tractu aut nullas, aut mendosas prorsus atque vitiosas esse debuisse. Et quisquis fuerit ille AETHICVS ISTER\*,

Peri-

Germanos, qui a primo post Christum natum Saeculo & paulo ante stipendia in Romanorum castris meruerant, pridem iam ostendit Illustris & a me summo obseruantiae & honoris cultu prosequendus Cognatus meus DN. IACOBY BURCKHARDVS in Commentatione doctissima *de linguae Latinae in Germania per XVII. saecula amplius faris.* Sed cum ultra Albim, vt diximus, non transierint, Romani, Latinae linguae usum etiam quatuor prioribus post Christum natum saeculis ultra illud flumen extendendum non esse, multo minus in Septentrione, quem totum ad Germaniam retulisse videtur TACITVS, usum aliquem eius linguae fuisse, doctissime, vt solet, ostendit.

\* Mirum qui doctissimus Vir tantum pretium statuere velit AETHICO, homini, in quo, praeter alia boni scriptoris dona, iudicium etiam desiderauerunt, quotquot eum legerunt. Multa sane apud eum occurrunt, quae infimi subfellii magistrum produunt.



Peripateticus Philosophus, seu, vt tunc temporis Philosophi dici solebant, Sophista, is profecto est Scriptor Constantino M. iunior. quoniam Constantinopolis meminit; adeoque de re tam antiqua, &, quod maximum est, tanti momenti, silentibus Romanorum Annalibus \*, nullum certum testimonium perhibere potest; quod regula est quoad fidem historicam fallere nescia: *temere in rebus historicis illud credi, quod nemo narrat, nisi Scriptor sequioris aevi.* Habuerint igitur Romani *mappas Geographicas* in porticu publice suspensas, certe *Germaniam in charta vel exhibere non potuerunt; vel si ausi sunt eam spectatorum oculis subiicere, falsam & mendacem Germaniae descriptionem pro vera venditarunt.* Pergit Vir doctissimus (5) *facile fuisse actate TACITI errores praecauere in describenda Germania urbibus vicisque destituta; nec obesse quid-*

Nihil frigidius dici potest, quam quae is de elementis, de orbis creatione, de mundi mirabilibus nugatur. Sed quoniam de Germania nobis sermo est, audi, quaeso, quantum ille ex mappis Geographicis Romae in porticu suspensis profecerit. Rhenum ait, *Bicornium proprio suo nomine dici*, alibi autem *Ararim* etiam appellari. Plura exempla non addo, hoc vno enim constabit certissime, antequam AETHICVS bonis auctoribus annumerari mereatur,

aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrin.

\* Nihil in contrarium me mouet doctissimi Galli, NICOLAI BERGIERII, auctoritas, qui L. III. c. 6. in praestantissimo de publicis & militaribus Romanorum viis opere, quod Latine redditum GRAEVIUS *Antiquitatum Romanarum thesauro* inseruit, huiusmodi orbis descriptionem sub Caesaris & Augusti principatu factam esse, scriptoque signatam, credere non erubuit. Licet enim idem etiam credere videatur PETR. BERTIUS L. I. *Commentar. de Rebus Germ. c. 18.* qui, posteaquam dixerat CICERONIS *γεωγραφικὰ*, si vel maxime exstarent, nullius hodie in describenda Germania vsus fore, subiungit, optare quidem se, vt exstaret Theodoti illius Septentrionis descriptio; mox tamen addit: *sed si meliora illa certioraque non sunt iis, quae ab AETHICO, qui se illa proditurum initio suae Geographiae pollicetur, notata sunt, non videre se, quomodo ex illis distinctam locorum noticiam haurire potuissemus.* Suppeditat deinde nouum argumentum, ex quo totam hanc fabulam factae a Theodoto Septentrionis, adeoque etiam Germaniae, descriptionis egregie confutare possumus. PLINIUS inquit, *accuratus vt aliarum rerum omnium ita & istarum lector & obseruator, in toto suo opere, quo naturae historiam complexus est, ne citat quidem Theodotum.* En argumentum, ex quo dicas, eum nullibi existisse, nisi in cerebro AETHICI.





quidpiam crebras commigrationes & mutationes sedium, dum satis sit, quo scripsit acuo. si ut se inuicem exceperere gentes, quibusque locis habitauere, recte ac plane descripsit. Verum utrum TACITVS recte locauerit Germanicas gentes, prouti inuicem sese vicinia locorum habitationumque tetigerant, id illud ipsum est, de quo disputamus; quod ut probet Vir illustris, haecenus iure aliquo nostro exegisse nobis visi sumus. Immo si TACITVS recte & plane descripsit populos Germaniae, prouti suo acuo habitauerant, cur ipsemet vir doctissimus TACITVM subinde erroris postulat in suis originibus Danicis & descriptione vallis Deae Hertbae? cur more Criticorum tantum sibi potestatis in tam egregium & omnia recte planeque describentem auctorem arrogat, ut ex ingenio eum emendauerit, populosque Germaniae vnum alterumue aliter locauerit, ac quidem TACITVS eos locauerat. Denique ait Vir Celeberrimus (6) ipsum TACITVM non modo summo nisu a se amoliri suspicionem, quasi eo animo scripsit, ut Romanorum & Germanorum mores inuicem contenderet, verum exempla a Perillustri DN. DE WESTPHALEN in medium prolata id non probare. Sed quae vis sit horum exemplorum ad euincendum illud, de quo iam disputamus, id quidem examinare curatius otii nostri rationes non patiuntur; vnum hoc addimus, quod protestationes a TACITO factas attinet, frustra in iis aliquid roboris pro sententia sua quaerere virum Celeberrimum. Notum enim, plerosque, qui Satyris ludunt, auctores id affectare quam maxime, ut rem seriam lectoribus suis egisse viderentur. Verum ne in longius progrediatur sermo noster, prohibet praesentis scriptiois scopus: Pauca vero haec a me contra doctissimam suam disputationem in medium prolata esse, ne aegre ferat, id quidem est, quod pro veteri, quae inter nos intercessit, amicitia maximopere a Viro longe Celeberrimo contendo. Ego sitanti pretii visum ei fuerit, ut in hoc de TACITI fide argumento, pro tergo caeteroquin politissimoque scriptore defendendo alia in posterum moneat, id non modo non grauabor, verum sedulo curabo, ne quantum in me est, impositi sui stomachus abominandaque bilis disceptationem hanc amicam infamet.

Sed ut semel adhuc ad Opusculum DN. ECCARDI reuertamur. (vela enim ut contrahamus, nundinarum proximitas iubet,) has modo dictas & plures alias difficultates in argumento, quod sibi pertractandum sumsit, vir doctissimus inuenit; quas si non omnes felicissime superauit, neque veterem patriae historiam omnibus dubiis exemit, id quidem facillime ipsi condonandum est. Nobis sane iniquum visum, libellum caeteroquin egregium ob vnum forte alterumue Auctoris lapsum  
aeter-



aeternis tenebris premi: Vnde etiam Bibliopolae auctor fui suasorque, vt nullis sumptibus parceret, quo etiam decenti habitu inter eruditos vertari possit; quod cum lubentissime fecerit vir honestissimus, multas adieci figuras aeri incisas, ex quibus dicta claritatem nanciscerentur, ne Lector, tamquam ad mutam quandam scenam absque interprete consisteret. Caeterum si, quod de edendis aliorum scriptis cepimus, consilium nostrum aequus Lector non improbauerit, lapidem mouebo omnem, vt iam etiam non contemnendam Collectionem veterum mediae aevi Scriptorum & monumentorum hactenus ineditorum, quae ad illustrandam historiam & Iurisprudentiam faciunt, sub *Analectorum* nomine prelo exire iubeam. Et quemadmodum grauer ab eorum moribus abhorreo, qui noctuis similes tenebras perpetuas esse malunt, aliorumque scripta, quantum in se est, supprimunt; sic per omnem vitam meam non committam, vt vllam de re litteraria bene merendi occasionem ex mea culpa negligentiaque dimittam. Vale iam Humanissime Lector, & mihi non ita suae, vt alienae, laudis studio, remque magis laboriosam, quam gloriosam tractanti, faue.

Scribcbam Hanouerae d. IX. Calendarum Aprilis A. R. S. H.

CIO IO CC L



Con.

## Conspectus Libri I.

Quo origo populorum Germanicorum, nec non migrationes  
maiorum nostrorum vetustissimae, ac gesta eorumdem vsque ad  
Christi natiuitatem exponuntur.

- I. *Humani generis origo in Armenia.*
- II. *Post diluuium reliquiae generis hu-  
mani in Armenia conseruerunt.*
- III. *Diuisio terrarum inter Noachi filios.*
- IV. *Iapheti posteritas & Gomeri signifi-  
catio.*
- V. *Gomeri posteritas.*
- VI. *Magog, Mesech & Tubal eorumque  
terra.*
- VII. *Maiai & Iauan cum suis posteris.*
- VIII. *Tbiras.*
- IX. *Germani an Noachi posteris?*
- X. *De Berofo aliisque, qui de gen-  
tium originibus quaedam suppedi-  
tant.*
- XI. *Quid de Germanis Herodotus ha-  
beat?*
- XII. *Antiqua Germanorum carmina  
Tuiskonem gentis conditorem cele-  
brant.*
- XIII. *Mannus a Tuiskone ortus.*
- XIV. *De Ingaconibus, Istaconibus,  
Herminonibus & Arminio, Princi-  
pe horum & Deo.*
- XV. *Germanorum Celtarumque maio-  
res in consuiis Asiae & Europae  
habitauerunt.*
- XVI. *Iidem Germani & Cetae Graeciae  
colonias immiserunt antiquissimas  
Fabulae de Joue & Diis expositio.*

*Migratio nostrorum versus Occi-  
dentem.*

- XVII. *Ex primis, qui in nostras terras  
venere, Germanis fuerunt vetustissi-  
mi Hiberniae & Hispaniae inco-  
lae, & residui apud nos Frisii.*
- XVIII. *Scoti sunt Hiberni. Ratio hu-  
ius nominis.*
- XIX. *Vnde Hiberni dicti Scoti & Britan-  
nis Guydbill.*
- XX. *Hibernorum linguae cum Frisica  
conuenientia.*
- XXI. *Reliquiae vetustissimorum Germa-  
niae incolarum Frisii & Chauci.*
- XXII. *Germanos non ex Suecia, sed  
Suecos ex Germania venisse.*
- XXIII. *Sueci ex Vandalis sub Odino  
Chersonesi Cimbricae habitatoribus.*
- XXIV. *Scandinauia vetus erat Cherso-  
nesus Cimbrica, cum insulis Balibi-  
ci maris & litore nostro ad Vistul-  
lam vsque.*
- XXV. *Diuersae coloniae ex Cimbrica  
Chersoneso in Septentrionem du-  
ctae. Saxonici etiam nominis ibi  
vestigia.*
- XXVI. *Conuenientia vtriusque sermo-  
nis & nominum locorum nobis fa-  
uet.*
- XXVII. *Germani primi & soli suae ter-  
rae*

- rae coloni; omnes Saxoniae nostrae  
fluuii, montes & Syluae Germa-  
nica nomina habent.
- XXVIII. In Chersoneso Cimbrica etiam  
non alia quam Germanorum vesti-  
gia.
- XXIX. Montium sylvarumque nomina  
sunt Germanica.
- XXX. Nec Scythae, nec Celtae, nec  
Gotbi in terris nostris unquam fue-  
runt.
- XXXI. Mores maiorum vetustissimorum  
& quae de iis ex tumulis ipsorum  
sciri possunt.
- XXXII. Amictus & arma.
- XXXIII. Munimenta regionum & ha-  
bitationum.
- XXXIV. Nauticae arti ab antiquo de-  
diti, & Gallicae orae inuasores.
- XXXV. Picti in Britannia a Saxoni-  
bus orti.
- XXXVI. Nauiculae myoparones,  
asci & pramen.
- XXXVII. Ciulae maiores naues &  
inde nomen Cellae & Kilonio.
- XXXVIII. Quid de defunctis senserint  
veteres, & cur iis ingentes lapides  
posuerint?
- XXXIX. Lapidés sepulchrales ingentes  
neque a gigantibus, neque giganti-  
bus erecti.
- XL. Defuncti diuino pene honore culti.  
Alia de superstitionibus veterum  
ex cornu Tunderensi.
- XLI. In tumulis & urnis vetustissimis  
lapidea utensilia inuenta.
- XLII. Acrea in urnis utensilia.
- XLIII. Tumuli Buekensfs & Helmsta-  
diensis.
- XLIV. Tumulis adiecti luci.
- XLV. Hominum in Germania veteri va-  
ria conditio.
- XLVI. De habitationibus veterum, ea-  
rumque appellationibus.
- XLVII. Ratio simplex aedificandi apud  
veteres.
- XLVIII. Quomodo in nostras regiones  
maiores nostri venerint? soli condi-  
tio, Sucuiae veteris descriptio.
- XLIX. Qua via in terras nostras ven-  
tum.
- L. Italia & Gallia ex Germania primos  
inhabitantes accepit.
- LI. Celtarum Gallorumque vetustissimae  
migrationes & populi agnati.
- LII. Cimmerici, vbi coluerint? Celtici  
generis fuerunt.
- LIII. Rhaeti, Tufci, Umbri & Ligures  
origine Celtae fuerunt.
- LIV. Veneti etiam Celtae. Venetiae ve-  
teris breuis descriptio.
- LV. De Venetorum Colonia Ateste. A-  
etii vbi degerint. Itolorum quo-  
rundam sententia Principes Esten-  
ses ab Aetii Romanis descendere,  
explosa.
- LVI. An Antenor in Venetiam venerit?  
De Deo Beleno & Recarano Her-  
cule.
- LVII. De Diis Celtarum in monumento  
Parisino commemoratis.
- LVIII. De ceteris Celtarum Diis.
- LIX. De moribus veterum Celtarum  
quaedam. Nos Bardos non habui-  
mus.

- mus. De Bardeuici origine quaedam.
- LX. De origine Scytharum, eorumque expeditionibus. Vbi habitauerint. Fabula de Anthyrio Ducum Meclenburgensium satore explosa.
- LXI. De Origine urbis Romae. Fabulosa in historia Romuli & Remi. De vetustissimis Celtarum in Italiam a nostro latere incursionibus.
- LXII. Galli Rheno superato non venere in Germaniam; neque Germani aut Franci ab iis orti.
- LXIII. Alpes Germaniae vocati Hyperborei montes.
- LXIV. Gallorum occupatio & direptio Romae, Romanorum Scriptorum mendacia.
- LXV. Varias alias Gallorum cum Romanis concertationes.
- LXVI. De Alexandri M. rebus gestis Fabulae de origine Francorum aut Saxonum ab exercitu Alexandri M. reliquias. De insignium Meclenburgensium significatione.
- LXVII. Diuisio Imperii Alexandrini. Celtis inde occasio Orientem inuadendi.
- LXVIII. De expeditionibus Celtarum in Pannoniam, Illyricum, Thraciam & Macedoniam.
- LXIX. De iis, qui sub Brenno Graeciam inuasere. Gallos hos Cimbrenos fuisse demonstratur.
- LXX. De Gallis qui Asiae partem occuparunt, Galatiam ab ipsis dictam.
- LXXI. Delphorum oppugnatio Gallica, Gallorumque ad eos clades.
- LXXII. De vera origine Alemannorum ex Germanis.
- LXXIII. Germanorum in Belgicam irruptio. Taciti locus de nomine Germanorum explicatus.
- LXXIV. Boiorum & Germanorum bella aduersus Romanos.
- LXXV. Coloniae Romanorum in deuclorum Gallorum terras in Italia ductae.
- LXXVI. Germanorum motus, & Sueuorum Aforum, Cimbrorum & Teutonum expeditiones in Septentrionem. De Thoro vetustissimo Principe.
- LXXVII. Cimbri quinam fuerint, & vbi habitauerint?
- LXXVIII. Quinam fuerint Teutones & vnde dicti?
- LXXIX. De Cimbrorum nomine, & quod Germanica appellatione Franci fuerint dicti.
- LXXX. Causae, ob quam Cimbri patria emigrauerint.
- LXXXI. Via, qua Cimbri Italiam petierint. Francofurti ad Oderam origo. Arma Cimbrorum.
- LXXXII. Per Alpes Iulias Italiam intrarunt fuso Cn. Carbone.
- LXXXIII. Cimbrorum Teutonumque societas cum Heluctiis. Clades Romanis illatae; Marius aduersus eos destinatus Teutones deuicit.
- LXXXIV. Cimbrorum clades ad Verceilas. Honores Mario delati.
- LXXXV. Quaedam reliquiae Cimbrorum in Alemannia.

LXXXVI. Aliqui ex Cimbris Teutonisque domum redierunt.

LXXXVII. Hi cultum patriae suae intulerunt praesertim artem metalli tractandi.

LXXXVIII. Cimbrici videntur literarum usum patriae intulisse. Germani prius Runas habuere, quam Septentrionales. Refutatio Suecorum, qui ex recentioribus Runicis inscriptionibus antiquissimas faciunt.

LXXXIX. Quinam populi Cimbrorum terras occupauerint, aut post eos inde egressi sint? De Scoringia & Scyris, de Asis Vandalis & Ambris. De Winulis & Langobardis, eorumque sede.

XC. De Romanorum acquisitionibus. Odinum ex Asia, Romanorum metu, in Septentrionem profugisse fabula est. Chronologia Odini & Wodani.

XCI. De Ariouisto, populis ei subditis, & bello Caesaris aduersus eum.

XCII. Alia Caesaris in Gallia gesta. Plurimae ciuitates ipsi se dedidere. Aremorici, Vspitii, Tencherique victi. Germania, Rhenotransito, ter-rata. Vbi Caesar Rhenum transierit?

XCIII. Caesaris expeditio Britannica.

XCIV. Britannia variis Regulis parebat.

XCV. De nummis Regum & Principum Britannorum argenteis.

XCVI. Treuiri coeerciti, Rheni transitus altera vice tentatus. Bacenis sylvia ostensa.

XCVII. Galli Germanique quidam Caesarem in civili bello secuti.

XCVIII. Augusti initia. Galliae sub eo Praesides. Vbiorum translatio &

Vrbis Coloniae origo. Viae militares ab Agrippa institutae.

XCIX. Germaniae diuisio in Primam & Secundam, vel in Superiorem & Inferiorem. Quae fuerit Germania magna?

C. Clades Lolliana, Vetera, vbi sita? Sicambrorum Duces.

CI. Rhaetia a Druso subacta. Ejus descriptio. Hermundurorum in Rhaetis colonia.

CII. Drusi expeditio in Vspetes, Sicambros, Frijios & Brueteros. Fossa Drusiana, Fleuus. Embdae ciuitatis origines.

CIII. Drusi expeditio altera, qua ad Visir-gim vsque peruenit. Alisonis ad Lup-piam & Castelli ad Rhenum aedificatio.

CIV. Vnde Carri venerit, & quid nomine eorum designetur? De Pago Hassi-gau & Hessen arce.

CV. Vltima Drusi expeditio, qua transito Visurgim ad Albim vsque peruenit. Mors eius, & honores post mortem. Tropaea Drusi vbi fuerint.

CVI. Castellum Drusi ad Visurgim an Mun-da; An Castellae quoque opus eius sint?

CVII. Gabretam sylviam esse Harticum ne-mus ostenditur.

CVIII. De Getarum Dacorumque Regno. Iornandes Getas cum Gothis confudit. Quaedam de Gotborum antiquitatibus.

CIX. Tiberii expeditio in Sicambros, & translatio eorum trans Rhenum.

CX. Honores in Tiberium collati. Secessus eius Rhodiensis.

CXI. Maroboduus molitiones. Populi ei sub-iecti. Regio Bouiasmum. Boiorum expulsio e Boiobemo. Boioariorum origo & Ducatus.

CXII. Maroboduus bellum cum Boiis Christo nascente feruit. Iani templum sub na-tiuitatem Christi non fuit clausum.



defect  
& no  
nihil,  
men  
genti  
repar  
loco  
num



B. C. D.



§. I.

es in Germania nostra remotissimis temporibus & a prima gentis origine gestas, iusto historiarum filio expedire difficillimum est. Hominum enim incuria, scriptorumque defectu eae obliuioni traditae iam dudum euanuerunt, & nobis inde saepe praeter coniectandi licentiam, aut nihil, aut parum admodum restat. Humanum tamen genus libri mortalium vetustissimi, iidemque gentibus sacri ab Armenia arcessunt. Ibi nati populi reparatique memorantur, altissimo inter maria Asiae loco, vnde Tigris Euphratesque nascuntur in Oceanum decliues, & oppositi *Phasis* atque *Araxes* in Euxinum

Humani generis origo in Armenia.



xinum mare aut Caspium vergunt. Circa horum fontes primam Adami sedem a Mose collocatam apparet: eadem accolarum interpretatio est, quam multis eruditius probatam doctissimus RELANDVS renouauit, argumentisque iuuuit (a). Nam & *Pison* regionem aluit auro abundantem, vnde Phasin esse facile credas, quem auri causa deinde Argonautae adiere. Nec abhorret *Gebonem* pro *Araxe* haberi, dum in aduersa quoque parte Caspii maris alius Araxes, testimonio Nubiensis Geographi *Gibon* dictus, vt utroque nomine *flumen* generaliter significatum vicinis videatur.

### §. II.

Post diluuium reliquiae generis humani in Armenia confederunt.

Postea terrarum harum cultoribus ingenti diluuiio merfis, reliquias eodem fere loco ad Araratum montem Armeniae sub Noa confedisfe, inde in colonias longe lateque missas proditur. Hebraeorum *Ararat* Graeci interpretes in Regum Historia (b) Armeniam vertere. Idem fecit in Genesi Latinae translationis Auctor. BEROSVS apud IOSEPHVM (c) *Gordiacos* montes nominat, IONATHAN vero Chaldaicus Paraphrastes & ONKELOS *Kardosios*, qui hodie sunt *Curdi*, atque adhuc circa Araratum vagantur.

### §. III.

(a) in *Diff. peculiari de situ Paradisi*.

(b) *IV. Reg. XIX. 37.*

(c) *Ant. lib. I. c. 4.*





## §. III.

Noae filios terrarum spatia partitos, proxima traditio est; *Chamo* Africam cum Aegypto & vicina Palaestina obtigisse; *Iapheto*, quae in occidentem vergunt; *Semo* Asiam altiore. Id fabula *Iouis*, *Neptuni*, *Plutonis*, imperia partientium significari creditur. Sane notus est in Lybia Iupiter *Hammon*, & Aegyptus non Hebraeis tantum, sed & ipsis Aegyptiis apud PLVTARCHVM (d) a *Chamo* dicta. Nec abhorret *Iapetus*, Poëtarum gigas, Promethei pater ad Caucasum postea alligati. Itaque Scythicarum gentium factor habebatur, a quibus Celtae & Graeci promiscue, falso licet, deriuati. Graecos huc genus retulisse apparet. Iis enim *Iapetus* pro antiquissimo acceptus est, quod BOCHARTO (e) notatum. Iidem Graeci insulas mediterranei maris impleuere, tanquam Neptuni regna. Semi vel *Tzamis* filium *Thuram* eiusque posteros apud Assyrios imperasse vetus auctor Graecus SALMASIO (f) lectus habet. Idem *Thuras*, qui & *Belus*, Caucaso, Iapheti stirpe nato, bellum intulisse, scribitur apud SVIDAM vetustiorum exscriptorem.

Diuisio terrarum inter Noachi filios.

## §. IV.

*Iapheto*, (Cham enim & Sem, a quibus nemo vel Germanos vel Saxones deducere ausus est, ad nos iam

Iapheti posteritas & Gomeri significatio.

A 2

(d) de Isid. &amp; Ofride.

(e) Phaleg. lib. III. c. 1.

(f) ad Solin. p. 235.

iam non pertinent) in Genesi Mosaica filii tribuuntur *Gomer, Magog, Madai, Iauan, Tubal, Mesech & Thiras*. Figuratae hic agi, & gentium, non hominum nomina proferri, BOCHARTO, & post eum eruditioribus plerisque visum est. *Gomer* certe & *Phrygia*, cuius pars *κατακακαυμένη* apud STRABONEM (g) HESYCHIVMQUE vocatur, vnum idemque, regionem nempe *adustam*, quae nigra est tanquam ex adustione denotant, natura loci congruente. Et *gumra* Syris carbonem apposite designat. *Gomeritas* ad aquilonem Iudaeae collocavit EZECHIEL (b) prope *Togarma* itidem aquilonares & mulorum educatores, cum Tyriis commercia exercentes, hoc est, vt ego opinor, *Cappadoces* mulorum equorumque praestantium copia celebres (i). Cappadocia autem Phrygiae contermina est, & Iudaeae respectu vtraque ad aquilonem iacet. Sunt, qui longius haec porrigunt ad Cimmericos, Maeotidis paludis accolas, atque inde procedente coniectura non minus audaci ex Cimmericis Cimbro, ex Cimbris Germanos deducunt, omnesque hos adeo *Gomeritas* faciunt. IOSEPHO GORIONIDAE, *Gomeri* posterii sunt Franci, cui Turcae & Hungari, & Chazari, & *Pastinacae*, & quicquid a Volga ad Danubium colit, a *Thogarma* deriuatur, & *Thyras* ad Rus-

fos

(g) lib. XII. &amp; XIII.

(b) Cap. LVIII. 6. XXVII 14.

(i) V. BOCHART. l. 3 c. II.

fos refertur, qui IOSEPHO ad Thraces. Sed Sacrae Litterae his non fauent, de propioribus Iudaeae populis loquentes.

§. V.

Filii Gomeri *Ascenas, Riphath & Thogarma* feruntur. *Ascenasios* IEREMIAS (k) Armeniis coniungit, & in Babylonios armat. BOCHARTVS ad Asiae minoris populos *Bithynos*, Phrygiae vicinos, refert verisimilius, quam IOSEPHVS ad nescio quos *Regines*. Ibi certe fuere *Ascanius sinus, Ascanius lacus & amnis, Ascania regio & vrbs, Ascaniae insulae* & ipse *Pontus Axenus*, qui postea forte corrupte *Euxinus*. Nam ab inhospitalitate dictum fabula Graecorum est. Valeant itaque recentiores Iudaci horumque sequaces, qui IOSEPHI *Regines* de populis ad Rhenum exponunt, atque ita *Ascenazem* Germanorum fatorem vane satis constituunt. *Riphath* IOSEPHO sunt Paphlagones. BOCHARTVS (l) notat, in *ESDRA* pro *Riphath* scribi *Diphath*; Paphlagones autem seruos *Tibios* dictos Graecis, quod STEPHANVS etiam Phrygibus adtribuit. Et *SVIDAE* Phrygia olim *Tibia*. Ita *Res & Daleth*, litterae quam simillimae, fuerint in *Genesi* a descriptoribus inuicem commutatae. *EVSEBIVS*, qui Sarmatas *Riphaeos*, a *Riphaeis* credo iugis, facit, longius a vero declinat. Viciniora enim,

Gomeri posteritas.

A 3

quae

(k) *Ierem. LI. 27.*

(l) *lib. III. c. 10.*



quae diximus, magis quadrant. *Togarma* Graeci Interpretes constanter *Thorgama* & *Torgama* proferunt. Regionem indicari Phrygiis confinem, & Cappadociae finibus contineri, paulo ante attigimus. Nomen ipsum in *Trocmis*, ad Halym fluvium populis, superfuisset, BOCHARTO non abnegauerim. Facile enim ex *Trocmis* fieri potuerunt *Torgmi* & *Torgami*.

§. VI.

Magog, Mesech & Tubal eorumque terrae.

*Magog*, *Mesech* & *Thubal* EZECHIELI (n) coniunguntur inuicem, & additur *Ros* & *Gog* incola in terra *Magog*; omnes equites, omnes ad aquilonem Iudaeae fiti. *Mesech* & *Tubal*, a quibus Iudaei mancipia & vasa aerea mercabantur (o), a *Moscis* & *Tibarenis*, ferri fodinis ab antiquo celebribus, non differunt. Hi supra Trapezuntem & sub Colchide, illi circa Iberiam, ubi sunt Moschici montes, coluere. Et notatu dignum est, *tubal* hodieque Arabibus esse *squamam ferri & aeris*. Cum in Hispania quoque nomen *Iberi*, & *Thubal* vetus gentis heros seu Deus, quem peculiari libello (p) THOMAS REINESIVS ornauit, ibidemque etiam ferrifodinae & Chalibes inclaruerint; credibile est, vocabula haec a mercatoribus per navigationes illuc translata. *Ros* his populis iunctus

(n) XXXVIII. 2.

(o) Ez. XXVII.

(p) De Deo Endouellico.

iunctus apud Prophetam, accolas Araxis Armenii dabit; nam & ab alio Araxe (q), qui nunc Volga, alia *Rofforum, Roxolanorum* siue *Rufforum* natio nomen traxit. *Magog* forte erunt, qui Maeotidi paludi nomen dedere vel debuere, eidemque in orientali lateri contigui, antequam a Cimmeriis irruentibus loco moti; quos ipsos deinde Scythae superuenientes extinxere, ab EZECHIELE Gogi nomine in terra *Magogi habitantis* indicati. *Gogarene*, quae STRABONI Iberiae pars trans Cyrum, & maxime mons *Caucasus* ad Gogi appellationem accedere videntur.

§. VII.

*Madai* Medorum esse gentem, omnes fere interpretes agnoscunt. *Iauanem* cum filiis ad occidentaliore populos pertinere apparet, *Iones* praesertim seu Graecos; vnde & *Alexander M.* apud DANIELEM (r) *Rex Iauanis* audit. Per *Elisam* a Iauane ortum, pars Peloponensi *Elis* indicatur. Purpuram ab insulis Elisae accersit EZECHIEL (s); & purpura Laconica olim in pretio erat. *Tharsin* EVSEBIUS ad Hispanos retulit, *Tartessum* credo in animo habens, quanquam *Tharsus* alias Ciliciae vrbs nota. *Chittim* esse Graeci maris indigenas, vix dubitabitur, inspecto curatius, quod

*Madai & Iauan cum suis posteris.*

(q) HERODOT. lib. IV.

(r) Cap. VIII. 22.

(s) XXXVII. 7.

quod in Numerorum libro (t) memoratur, Bileami vaticinio, de euertendo superioris Asiae imperio (Semitarum scilicet Assur & Eber) per classe venturum ex Chitim Ducem, sed mox periturum, quibus verbis Alexandrum magnum iterum designari patet. Nec aliter Author primi libri Maccabeorum (u) Canonicis proximus *Chetiim* & *Citiaeos* accepit, & Tyri quoque excidium apud ESAIAM (w) praedictum ad Alexandrum pertinere certum est. Quamquam non repugnauerim, etiam Italiam, cuius pars *Magna Graecia* a longinquis communi nomine comprehensam. Pro *Dodanim* in Paralipomenorum initio (x) & Samaritano Pentateucho *Rodanim* legitur. Rhodani accolae Gallos BOCHARTVS innui putat. Ego de Graecorum apud Massiliam colonia accipiendum existimo; nisi, quod malim, propior Palaestinae *Rhodus* insula indicetur, portu, pharo stupenda & navigatione celebris ab antiquo; propiora enim Iudaeae pleraque sunt, quae in Genesi indicantur. Ab his autem Iauanis posteris vel coloniis impletas esse *insulas gentium*, siue *Graecas*, in mari mediterraneo vel ad illud fitas, asseritur.

## §. VIII.

(t) Cap. XXIV. 24.

(u) Lib. I. 8. 5.

(w) XXXI. 1.

(x) Cap. I. 7.

§. VIII.

Quod restat, *Thiras* veteribus plerisque & BO-  
 CHARTO quoque *Thracia* exponitur. At Thraces  
 diuersi generis & oris, remotioresque a Iudaeis mihi  
 fuisse videntur. Vnde Thiram lubenter de *Tyro* acci-  
 perem. Probabile enim est Iaphetigenas mediterranei  
 maris habitatores, commerciorum causa, coloniam eo  
 loci constituisse. IOSVAS (y) iam *Mibzar zor* siue  
*Palaetyrum* habet, vt adeo vetustiore eam, quam  
 vulgo ferunt, fuisse credas. Quae de fundatione vr-  
 bis per Sidonios TROGVS (z), & IOSEPHVS (a)  
 commemorant, forte de aliqua eius restauratione sunt  
 intelligenda.

Thiras.

§. IX.

Omnibus in vnum collectis, Mosem de populis  
 solum Iudaeorum stirpi cognatis locutum, reliquorum  
 origines non attigisse conicias. Ipse *Gog* & *Ros* no-  
 minat, nec tamen inter Noae posteros recenset, vt  
 aliunde hos venisse existimes. Nec improbabile, plu-  
 rimas gentes in Europa, Asiae septentrione & oriente,  
 Africaque interiore (ne de America quid dicam) a  
 Diluuiio Noachico immunes degisse. Hoc enim vni-  
 uersale fuisse, iam dudum Theologi quoque doctrina  
 infi-

Germani au  
 Noachi po-  
 steri.

(y) XIX. 29.

(z) lib. XVIII.

(a) Ant. Iud. Lib. VIII.



insignes, inter quos & senior CALIXTVS noster fuit (b), asserere noluerunt. Quare neque a Gomere, neque ab Ascenaze, aut alio Mofi nominato peculiari- ter, maiores gentis nostrae deriuare ausim; sed populi ex Armeniis montibus iam dudum digressi Iudaeisque ig- notioris progeniem puto. Notum interim mihi est, PHILASTRIVM inter haereticos computare, qui ne- gant, Noachum inter filios orbem terrarum diuifisse. Sed nec male BELLARMINVS obseruauit, multa il- lum pro haeresibus habuisse, quae non sunt. Neque tamen communi sententiae acrius contradicere animus est, cum in rebus adeo remotis prudentem ignoran- tiam confiteri, quam interpretes vulgares offendere, tutius videatur.

§. X.

De Beroso  
aliisque, qui  
de gentium  
originibus  
quaedam  
suppeditant.

Post librorum sacrorum auctoritatem BERO SI Chaldaei, MANETHONIS Persae testimonia de mi- grationibus his nostris valerent, si modo haberentur. Ego vero vereor, ne iam & IOSEPHVS supposititios legerit pro veris. Quos IOHANNES ANNIVS VI- TERBIENSIS edidit, confictos esse, conuenit inter eruditos. Credibile tamen puto, non omnia ab huius esse manu, sed ex antiquiorum commentis transcripta. Certe ruspatores vetustatis reperere gemmas in hoc luto reconditae eruditionis, vt appareat, scriptorem, quis-

(b) in Comment. in Genesin.



quisquis fuerit, quaedam hodie amissa legisse: ita BARTHIVS & REINESIVS iudicauerunt, excellentes in antiquitatis studiis viri. Nec abhorret iudicium DIONYSII GOTHOFREDI in Historiae antiquae praefatione. Ipse IOSEPHVS SCALIGER aliqua de maioribus Maecenatis posita in Chronographia BEROSO subiecta secutus est, nec habuit pro panno Anniano. Hoc notandum, BEROSVM vel eius confictorem ANNIVM animaduertisse, & Germanos & alios populos Europaeos non potuisse a liberis Noae, in Sacris literis recensitis, descendere. Vt tamen a Noa eos deduceret, confinxit, hunc post diluuium habuisse vxorem Diteam, ex qua triginta adhuc liberos suscepit, gentium plurimarum factores. Nec defuere magni in Ecclesia viri, qui calculum suum adiecerunt opinioni, vt verum fatear, audaciori.

§. XI.

HERODOTVS *Germanorum*, quos *Celtarum* nomine comprehendit, exiguam admodum notitiam habuit. Meminit (c) *Istri*, quem a Celtis atque vrbe Pyrene venire, & mediam Europam scindere ex fama incertiore refert. *Pyrenen* urbem vocat. ARITOTELIS tamen (d) rectius *Pyreneum montem* substituit,

Quid de  
Germania  
Herodotus  
habeat.

B 2

quan-

(c) lib. II. c. 33. & lib. IV. c. 49.

(d) l. Meteor. sum. vlt. c. 1.



quanquam & hoc crasso errore, quem in libro de Admirandis auditu (*e*) emendat, cum ibi Istrum ex Herciniis quercetis effluere profitetur. Duabus horis a fontibus Danubii iacent montana *Bar*, in quibus Furstenberga arx, an haec forte fabulae de Pyrene ortum dedere? An potius populi *Breuni* in Alpibus Rhaeticis, a quibus & Brennerus mons adhuc nomen trahit? HERODOTVS porro (*f*) narrat, supra regionem Vmbricorum, hoc est, Italorum, versus aquilonem fluere amnes *Carpim*, & alium *Alpim*, hosque in Istrum exire. *Carpis* forte *Colapis* est in Sauum se exonerans. De altero statuerem ferme, HERODOTVM aliquid audiuisse de *Albi* nostro, eumque Istrum influere credidisse. Celtarum genus Graecis demum Alexandri M. tempore innotescere coepisse DIODORVS SICVLVS testatur & *Galatas* vocat (*g*).

### §. XII.

Antiqua Germanorum carmina Tuisconem gentis conditorem celebrant, a quo Titanes, & primi Graeciae coloni.

TACITVS ex veterum Germanorum antiquis carminibus inducit nobis *Tuisconem*, Deum terra editum, & filium *Mannum*, originem conditoremque gentis; adeoque simul rationem reddit, cur terram, siue *Herdam*, vt alibi vocat, pro communi matre

(*e*) *audit. 100.*

(*f*) *lib. IV.*

(*g*) *lib. VII.*

tre coluerit gens profana & veri DEI cultus nescia. Tuisconem ex *Tuisch*, *Duitsch*, TACITVS, vel, qui haec TACITO retulit, formauit. Nec differt ab eo *Teutates* Gallorum Deus. *Tit* & *tiidde* Saxonibus, *thiud* Gothis, *thiot* Francis & Alamannis, *Cambriz*, *Aremoricis tyd*, populum, gentem; & in Lege Salica *teut* Regem significare scimus. VLFILAE *thiudinassus* regnum, & *thiudans* Rex est. Inde *Theodonum* appellatio veteribus Bauariae Ducibus placuisse videtur. Ipsam *Διός* apud Graecos & *Dei* apud Latinos nomen antiquissimis temporibus cognatae significationis fuisse, non sine ratione puto. Radix vocis est Saxonicum *tehen*, Germ. *ziehen*, ducere; atque ita vi originis eum, qui ducit populum, siue *Ducem* aut *Regem*, & eum quoque, qui ducitur, siue *populum* denotat. Ab hoc vero *Theut* vel *Tit*, siue quodam Celtarum Germanorumque celeberrimo & omnium antiquissimo Duce, populus, cui praefuit, *Titanes* dictus, Graecorum fabulis inclutus. Sententiae, quod *Titanes* Celtae vel gens Celtis cognata fuerint, CALLIMACHVS (b) fauet, Apollinem celebrans, tanquam in Brenno Gigantum veterum siue Titanum stragem renouasset. PSEUDO-BEROSVS, quem AVENTINVS secutus est, Tuisconem Gigantem Noae filium facit, alii ex Iapheto deducunt nullo argumento. TA-

B 3

CITVS

(b) *Hymn. in Delum v. 174. sq.*



CITVS terra editum scribit, & filium eius *Mannam*. Titanes autem vel gigantes pariter terrigenae habebantur, quod origo ipsorum ignoraretur. Et quamvis a Noachi filiis descendisse vix dici possint; quoniam tamen a veteribus circa Caucasum collocati sunt, derivationi generis humani ex Asia admodum fauent, quam & aliorum postea populorum inde in Europam progressorum migrationes confirmant. Ibi certe primum eos egisse, multa sunt indicio. Patrem gentis *Teutamem* siue Tuisconem rebus insigniter gestis enituisse non est dubium. Promotheus Princeps circa Caucasum *Titan* vocatur. Graeci, ex alia orientis parte etiam coloniis acceptis, Iapeti filium fecere ex coniectura, non ex vero, cum ille alius generis fuerit. Filiae huius Titanis feruntur *Tethys*, *Rhea*, *Themis*, *Mnemosyne* & *Phoebe* (i), quae Graeciam & aditas Europae regiones primum ad meliorem frugem redegerunt. Singulae harum *Titanides* appellantur veteribus (k), ne de parente dubites; quanquam DIODORVS SICVLVS & alii quidam ex mare foeminam *Titaeam* fecerint, id quod apud Mythologos non insolens. A barbaris itaque Graecorum regio antiquissime & colonos & vitae politioris primordia habuit, quorum Principi idcirco diuinum honorem sub Διός nomine non immerito detulerunt. Credibile est, magnam

(i) *Diod. Sicul.*

(k) V. SPANHEM, *ad Callimach. pag. 332. sq.*



gnam Europae Asiaeque partem peruagatum vsque ad Aegyptum penetrasse, ibi sapientiae suae admirationem excitasse, & sub nomine *Theut* pro Mercurio, vel Deo vel Philosopho summo, a posteritate cultum fuisse. CICERO (1) apposite hunc Aegyptiorum *Theut* siue Mercurium non indigenam, sed exterum fuisse affirmat. Graeci demortui nomen honoris causa *Soli* indiderunt. Ad vltimum demum Europae occidentem peruenisse, ibique vel in posteris etiam regnasse, non absimile est ex eo, quod Hispani Gallique *Teutatem* siue *Ditem* gentis suae progenitorem venerati sunt, CAESARE, LIVIO & LUCANO testantibus. Inde a Romanis postea inferorum Deus creditus, & *Dis pater* vocatus est. Veteribus enim orientis plaga superior, occidentis inferior videbatur. Vnde etiam non incongrue STRABO suspicatur, inferorum locum *Tartarum* ex *Tartesso* Hispaniae confictum. Ex *Theutate* autem Hispanos tandem corruptius *Togotem* vel *Togum* suum formasse, verosimile; crassiorque haec pronuntiatio forte a Phoenicibus introducta est. Meminit certe *Togi* Celtiberorum siue Dei, siue Herois, MARTIALIS; & *Togotis Dei* lapis antiquus apud Lusitanos repertus, atque a REINESIO expositus. BEROSVS ANNIANI inde suum *Togum Ormam* desumpsit: MARIANA vero in libro de Regis institutione frustra

(1) lib. III, de Diuinat.



frustra hic ad *Dianam Toxotim*, id est, *sagittariam*, confugit. Nobis idem *Dis* ob res strenue gestas pro Marte habitus est; & dies Martis adhuc *Dienstag*, litera *n* inserta, ab eodem appellationem traxit. Galli *Ditem Teutatem*que nominabant, CAESARE & LVCANO authoribus. Ex eodem hoc *Dite Dianam Tauricam* olim effectam credo. Nec insolens est, Deos a gentibus modo maris, modo foeminae figura coli. *Ditanam* primitus vocatam fuisse suspicor ex mammis (*ditten* vel *titten* nobis dictis), quibus omne eius corpus refertum in simulacris & nummis veteribus cernitur. Coniecturam porro iuvat, quod & *Diana* sub *Proserpinae* nomine, non secus ac *Dis*, inferis praeesse dicatur. Apud NENNIVM, qui circa annum Christi DCXX. historiam Britonum composuit, habetur quaedam relatio de gentium nobis cognatarum origine, quam author se hausisse dicit ex traditione veterum, qui incolae fuerunt in primis Britanniae temporibus. Ibi refertur *primum hominem de genere Iapheti Alanum in Europam venisse*: hunc tres filios habuisse *Hificionem*, *Armenonem* & *Negnonem*: ab *Hificione* descendisse *Francos*, *Latinos*, *Alemannos* & *Britones*; ab *Armenone* *Gothos*, *Walagothos* (voluit dicere *Wisegothos*) *Cebidos* (*Gepidas* intelligit) *Burgundos* & *Longobardos*: a *Negno* *Bogaros* siue *Boioarios*, *Wandalos*, *Saxones* & *Tarincos*, hoc est, *Thurin-*

Thuringos. Quae etsi fabulosa sint, indicant tamen hos populos & a Britannis pro eognatis habitos, & Germanorum Deos quoque extra patriam notos fuisse. Hisicionis enim nomen corruptum ex *Tisicione* siue *Tuiscone*, Armenon vero *Arminius*, & Negno *Mannus* est.

§. XIII.

Post Teutatem TACITVS eius filium Mannum Germanis praefuisse refert. Hunc ego iterum in Asia adhuc degisse suspicor, atque in Aegyptum Graeciamque expeditiones fecisse. Nec vane primum in quavis Aegyptiorum dynastia Regem *Menen* dici observamus. Lunam quoque, quae Graecis *μην*, nos ab eo *Mon* & Sax. *Mahn* vocare potuimus. Heroum nomina fideribus indere, inque iis venerari veteres consueverunt. A causa enim superiore egregia quaeque venire, & post fata ad principium diuinum redire, doctrina est omnium antiquissima.

Mannus a Tuiscone ortus.

§. XIV.

Tres porro filios Manno carmina vetusta assignarunt (*m*), e quorum nominibus proximi Oceano *Ingaevones*, medii *Herminones*, caeteri *Istaeuones* vocati inscite admodum feruntur. Quanquam & in sacris,

De Ingaevonibus, Istaeuonibus, Herminonibus & Arminio, Principe horum & Deo.

(*m*) Tacit. German.

facris, ut vidimus, non insolens, *filios* nominari gentes ab aliis descendentes. *Ingaevones* certe non a Duce vel Principe, sed a situ dicti sunt. *Inge* enim *pratum* Anglo-Saxonibus & Anglis borealibus adhuc denotat: *Islandi* eodem sensu *einge*, & Sueci *eng* habent. Terminatio *vones* a *wobnen*, *habitare*, deducenda est. Indicantur ergo habitatores depressioris siue campestris soli, quod a Belgio ferme usque ad Albim protenditur, ubi incipiunt *Istaeuones* siue Germani orientales ab *Ost*, Anglo-Sax. *east*, *ist*, oriens, denominati. Qui supra, *Ingaevones* fuerunt, *Herminones*, superioris Germaniae spatium illud occupauere, in quod postea Franci cum vicinis gentibus immigrarunt. Hos ab *Hermino*, *Irmino* vel *Arminio*, Principe celebri, dictos, non incongruum arbitror, & illustris LEIBNITIVS idem peculiari dissertatione asseruit. Ex *Hermannis* facile *Germani* prodeunt. Ex *Handschu* certe veteribus *Gantus*, ex *gammarus*, nobis *Hummer*, atque ex *Germanus* Hispanis *Hermanno* factum est, ut aspirationem cum littera *G* subinde commutatam perspicias. In Asia & hic *Arminius* enituit, multisque seculis *Arminio* *Cherusco* antiquior fuit. *Chaldaei* *Perseaeque* duos Deos venerati sunt, vnum bonum, *Oromasdem*, alterum malum, *Arimanium*. Non inepte suspicatur LEIBNITIVS, *Arimanium* forte magna *Asiae* parte perdomita, cum *Oromisda*, orientalium populorum Rege, conflixisse, & terrore sui nominis, ut alter beneficiis, diuinitatem meruisse.

Graecis



Graecis ex eodem *Hermes* siue Mercurius confectus est, quia sapientiae illis author fuit. Nec repugnem, si quis ex eodem Arimano *Ageia* seu Martem Graecorum, reiecta vltima syllaba *man*, prodiisse dicat. Certe & nos idem numen *Arminium*, *Irminum*, *Herrmannum* & *Ericum* vocauimus; vnde in quibusdam superioris Germaniae locis dies Martis adhuc *Erich-tag* nominatur. Anglo-Saxones coeleste plaustrum ab eo *Irmins-Wagen*, & viam quandam in Anglia militarem *Irminstrate* dixerunt. Nos vero caprum, animal Martium, ab eodem *Herman*, & contracte *Harm* vocare solemus. Celtas Herculem suum *Ogmium* appellasse, LVCIANVS author est. Ego *Ormium* restituendum putavi, quae mea coniectura Leibnitianum calculum commeruit. Interim pro certo eam venditare nolim, cum apud NENNIVM quoque inter *Armenonis* seu Arminii proavos *Ogomun* occurrat, qui forte idem cum *Ogmio* fuit. Arminius autem dicto modo a Persis, Graecis, Celtis & Germanis, communi consensu, diuersas licet ob causas, diuino honore affectus est. Nec mirandum, per dissitos populos inclaruisse Heroës nostros antiquissimos, qui orbem nondum castris & propugnaculis instructum, maxima popularium multitudine cincti, & ipsa feritate innata meruendi, percurrerunt, vel necessitate, fame, peste aut inundationibus coacti, vel bellicae fortitudinis exercendae causa. Sesostris, Alexandri M. Attilae, Chingis Chani,



Chani, Tamerlanis, aliorumque recentiorum Principum barbarorum in regiones disiunctissimas expeditiones faciunt, vt omnem antiquioribus illis fidem denegare nequeamus. Vti autem inundationes terram late quidem peruadunt, sed nonnullis tantum in locis aquam relinquunt; ita ingentes illi populi vastam quidem dedere stragem, magna tamen terrarum parte percurfa, in paucis tantum, & longe aliquando diffitis prouinciis, stabiles tandem colonias ad posteros transmiserunt.

#### §. XV.

Germanorum Celta-  
rumque ma-  
iores in con-  
finiis Asiae &  
Europae ha-  
bitauerunt.

Habitauerunt itaque primum maiores nostri Celta-  
rumque ibi locorum, vbi postea Cimmerici Scythae-  
que sese inuicem, HERODOTI testimonio, excepe-  
runt, circa paludem nempe Maeotidem, & sub iugis  
Caucasi montis. Inde excursiones fecere, & Asiae Eu-  
ropaeque sunt dominati. In ipsis *locorum nominibus*  
*vetustis* nationis & nostrae, & Celticae, nobis arcte co-  
gnatae, si aliae suspiciones deessent, vestigia reperi-  
mus; Graeci haec aliquando *Scythica* nominant, di-  
uersissimas gentes confundendo, quae in eadem regio-  
ne sibi inuicem successerunt. Scythas enim linguam  
Slaonicae, non vero Celticae aut Germanicae propin-  
quam habuisse, ex HERODOTO concludimus, qui  
Sarmatas Scythice, licet corruptius paulo, loqui testa-  
tur (m). Caucasus antiquissime *Graucasmus* dictus est,

PLI-

(m) lib. IV.

PLINIO authore (n); non tamen, ut ille putat, quod niue candidus sit; sed a *crau*, *crag*, *careg*, Celtica voce, *rupem* designante. Eadem vox in *Carpathi* nomine se prodit. STRABO in Cilicia rupem in mare procurrentem *Crag* dictum obseruat. Alium *Cragum* in Moabitide BROCHARDVS annotat, qui STEPHANO *Characmoba* & *Mobucarax* audit. In Europa *Carni*, loca *Carrodunum* dicta, & notissimus ad Rhodanum campus, lapidibus ad miraculum refertus, qui *la Crau* vulgo, appellationum rationes ab eadem radice dependentes habent. *Graeci*, qui hoc nomine antiquissimis temporibus ganisi sunt, illud habuerunt a rupibus, in quibus sedes primitus constituerunt. Et commode veteres scriptores, primos in Graecia homines ex montibus in subiectam planitiem paulatim descendisse, tradiderunt. *Albanos* populos, & *Albanum* fluuium in Caspium mare se praecipitantem ab *Alpibus*, nobis *Alben* dictos verisimile est. *Riphaeos* montes a nostro *reif*, *reep*, funis, cingulum, venire non negauerit, qui recordabitur, eosdem montes Slauonica lingua adhuc *Kameny poyas* seu cingulum mundi dici. Eadem iuga aliquando *Olbia* & *Aipia* dicta, ex ATHENAEO intelligimus; inde vero *Obiorum* montium, & *Obii* amnis nomen corruptum. Fluii *Danubius*, *Danaster*, *Danaper* & *Tanais* a se non differunt, nisi terminatione a posterioribus populis inducta. Olim enim vno communi nomine venisse, certus sum.

*Danaprum* siue Borysthenem ab accolis *Danubium* dici, IORNANDES author est, atque ita recte ab antiquo vocatum DODWELLVS (o) euicit. SENECAE & TIBULLO *Danubius Tanais* audit; & cum alibi SENECA *Danubium* Europam ab Asia separare dixit, *Tanaim* intellexit. Radix nominis communis forte est Celticum *ton*, vnda, vt eo vndosum flumen conuenienter admodum indicetur. Graeci videntur *Danubium* deriuasse a *tanne*, abies, atque inde accolae fluuii in Pontum Euxinum se effluentis *Peucinos* sua lingua vocasse. AESCHYLVS in Prometheo habet *fluuium non falso dictum proteruum*; atque ex contextu clarum est, intelligi *Phasin*, qui Mosi *Pison* dicitur. At vero nobis *böse*, & rusticis Saxoniae Superioris *bise*, *proteruum*, *malum*, designat. *Byce*, palus siue aestuarium Maeotidis ad Tauricam Chersonesum, nostrum *Wic*, finus maris, refert, quod etiam in *Carambico* Hyperboreorum later. Me audacior & *Maeotidem* paludem a vulgo nobis noto *modde*, *mudde*, coenum, limus, deflesteret. Pingui certe coeno abundat palus illa. Vnde ARISTOTELES in Meteorologicis affirmat, fundum eius ex limo ab annibus aduecto in tantum excreuisse, vnaues multo minores tunc quam ante sexaginta annos ipsam ingredi potuerint. EUSTATHIVS in Dionysium dicit, Istrum cum olim *Matous* diceretur, quod Graecis sit *ἄσιος*, h. e. *limosus*, a Scythis postea

in

(o) in Dissert. de autore anonymo Peripli Euxini maris §. 8.

in transitu eius damno affectis *Danubium* appellatum, quasi *mali authorem*. Vbi quidem ad Germanicum *don übel* siue *malum facere* alluisse videtur. Sed nomen a limo desumptum non tam Danubio, quam Tanai competit, cuius palus *Maeotis*, quae & ipsa aliquando *Tanais* dicta est. Vnde iterum Danubium eum Tanai confusum obserues. HERODOTVS author est, Bosporum Cimmerium hyberno tempore glaciari, & tunc incolas Chersonesi Tauricae plaustra agere supra glaciem trans mare vsque ad Indos. Vbi per *Indos* intelligit regionem ex aduerso positam, quae postea sibilo praefixo *Sindica*, & tandem *Mingrelia* dicta est. Tota ea palustris & lutosi molliorisque soli est, vt vel Chardini descriptio recentior docet; vnde recte populi eam habitantes a *venne* vel *inge*, supra memorato *Vendi*, *Vindi*, & abiecto digammate, *Indi* dici potuerunt. Et in hac *India*, non vero in illa remotiore, Bartholomaeum Apostolum Euangelium praedicasse, certum est. Vltior tamen *India* dicta a fluuio Indo, & hic iterum a *depressiore* & *paludosa*, per quam decurrit, *regione*. Ab eodem *venne* dicti sunt *Heneti* ad Pontum Euxinum, & *Veneti* ad Mare Adriaticum & in Gallia Aremorica conspicui. Qui vltimum Asiae orientem incoluerant, olim *Issedones*, etiam *Isten*, vel *Estii*, proprie ab *ost*, *est*, oriens, audiuisse videntur, a quo vocabulo & orientior *Danubii*

nubii pars *Ister* dictus est. *Arimasporum* nomen huc pariter pertinet, quod secundum LEIBNITII sententiam, ab *arm*, pauper, miser, solus, & *spien*, *spicere*, videre, deducitur, & *mifere videntem* siue *monoculum*, vt HERODOTVS interpretatur, significat. Genus enim illud hominum, *Kalmuccorum nostrorum in morem, oculos admodum paruos habuisse putes.*

## §. XVI.

Idem Germani & Celtæ Graeciae colonias immiserunt antiquissimas. Fabulae de Ioue & Diis expositio. Migratio nostrorum versus Occidentem.

Haec ex Asia nostrorum vestigia adduxisse sufficiat: In Graecia frequentiora & clariora se produnt. Ipsa Graecorum lingua praeter pauca, quae per posteriores Aegyptiorum, Phoenicumque colonias illata sunt, semi-Germanica aut Celtica est, vt adeo *primi omnium Graeci coloni aut Germani, aut his admodum cognati populi fuerint, oporteat.* Et in quibusdam dialectis magis apparet consensus cum Germanico. Ita Lacones non, vt caeteri Graeci & Latini, in *os* vel *us* terminabant nomina, sed in *R* more Germanorum. Extat apud BOETHIUM in Musicis Ephorum decretum contra Timotheum quendam Musicum, quo iubetur chordas remouere, quas citharae nouator addiderat, vocaturque *Τιμόθεος ὁ Μιλήσιος*, vt Germani diceremus *Milesier*. Hellenem, a quo sibi nomen *Hellenum* sumserunt Graeci, ex Titanis profapia fuisse, perhibent. Sed iam ante eum oportet homines ex nostris in Hellade sedes fixisse, qui Graeci, siue, vt paulo

Tab. I. ad S. 24.



en huc  
senten-  
spien,  
ue mo-  
nificat.  
rum in

suffi-  
odunt.  
poste-  
illata  
o primi  
modum  
m dia-  
. Ita  
os vel  
orum.  
decre-  
quo iu-  
r addi-  
ani di-  
en Hel-  
e, per-  
ex no-  
ue, vt  
paulo

paulo ante e  
Herodes ve  
non incongr  
desita *Lingua*  
fluvium, X  
lingua nomi  
flexus *fluvium*  
qui per *domin*  
& *dexterus*, A  
gratia conuer  
deorationibus  
GIVS HERW  
re doctus, se  
quam *prisc*  
mis & barbar  
nomina habu  
ref. Adduci  
bis *Fir* & *F*  
bis, *canis*,  
Kien, comm  
AVENTIN  
BRIANVS  
CRVCIGE  
NVS, VE  
BREND



paulo ante exposuimus, *montani* vocati sunt. Ex his Heroës veteres, siue Deos Graeciae plerosque ortos, non incongruum dictu est. Lingua horum vetus & desita *Lingua Deorum* HOMERO audit, vbi eundem fluuium, *Xanthum* Deorum, *Scamandrum* hominum lingua nominatum habet. *Xanthus* a nostro *sand* deflexus *fluuium arenosum* denotat: & idem apud Graecos, qui per *homines* hic intelligendi, *Xamander*, a *ψαμμά-δω* deflexus, significat, ψ solummodo in ξ euphonias gratia conuerso, & ν ἐφελκυστικῶ inserto. Vnde non adeo rationibus omnibus destitutus fuit IOANNES GEORGIVS HERWARTVS AB HOHENBURG, (p) vir sane doctus, sed παραδοξότερος, vbi hanc Deorum linguam *priscam Theotiscam* fuisse, arbitratus est. A primis & barbaris terrae suae habitatoribus Graecos multa nomina habuisse, PLATO in *Cratylō* diffiteri non potest. Adducitur inter alia ab ipso πῦρ, *ignis*, quod nobis *Für* & *Feur*; ὕδωρ, *aqua*, nobis *Water* & *Wasser*; κῆν, *canis*, nobis *Hund*, κῆν, *ire*, nobis rustice *Kien*, communius *geben*. Sed multo maiore diligentia AVENTINVS, GELENIVS, BIBLIANDER, HADRIANVS & FRANCISCVS IVNII, HELVIGIVS, CRVCIGER, BERNEGGERVS, MER. CASAVBONVS, VECHNERVS, BESOLDVS, BOXHORNIVS, BRENDELIVS, BELLINVS, ERICVS, VRSINVS,

MOR-

(p) in *Chronologia* Monachii 1612. edita.



MORHOVIUS, PEISKERVS, CLERICVS, alique  
 conuenientis inter se vtriusque linguae exempla oculis  
 exposuerunt. Fabulae Deorum Graecorum veris He-  
 roum vetustissimorum historiis superstructae sunt.  
 Hae magnum quendam Regem Iouem habent, qui  
 ipsis olim Δις, postea communiter Ζευς audiit, & fa-  
 pius cum Belo Assyriorum, siue Chamo aut Hammone  
 Aegyptiorum confusus est. Ex Titanibus, siue Ditis aut  
 Tuisconis progenie, ortus ipse fertur, stirpe Celto-Ger-  
 manica. Contendisse illum primum de imperio orbis  
 tunc notioris cum aliis magni illius Ditis domi succes-  
 soribus aut posteris, similes eruptiones tentantibus, ve-  
 rosimile facit series rerum. Vbi potestate complexus  
 erat, quicquid mediterraneum ambit mare, noua ipsi  
 a gigantibus istis siue Titanibus, hoc est, Celto-Ger-  
 manis bella incubuere. In Prometheo, quem & ipsum  
 Titana vocant, & ad Caucasum Iouis imperiis alliga-  
 tum volunt, gentis eiusdem Principem agnoscas, op-  
 positis ad Caspias portas copiis Asia iam cultiore exclu-  
 sum. Is quod barbaris illis disciplinam intulisset, di-  
 ctus est ignem coelo surripuisse. Interea commoto or-  
 be Gigantes a Thracia & Istro apparet in Thessaliam ir-  
 rupisse, praesidia de Pelio & Ossa montibus deiecisse,  
 Iouem cum Diis magno praelio victum Graecia expu-  
 lisse, & mari in Aegyptum fugere compulisse, formis  
 animalium, id est, nauibus arietem aliasque species  
 proferentibus, tectum. Celtae deinde freta Propon-  
 tidis

tidis transnifere, & duce Tiphoeo in Afiam terrestri itinere hostem secuti, postremo Iouem reparatis viribus obuium habuerunt. In Syria seu apud Aramaeos, *ἐν Αἰθιοπίας*, vt HESIODVS habet, congressis exercitibus, Tiphocus tandem caesus cum suis occubuit. Ita rerum summa penes Deos mansit. Haec qualiscunque lux historiae inter fabularum tenebras emicare mihi videtur. Nec tamen Asia Graeciaque solum se continuerunt maiores nostri, sed siue meliores sedes quaerendi gratia, siue ab aliis populis pressi Occidenti sensim se se infuderunt, Orientis a longo iam tempore dominatores. Migrationis tempus ignoratur. Quando tamen id longe ante Cimmericorum interitum, & Scytharum in Cimmericam immigrationem factum, hinc iudices de summa nostrae nationis antiquitate. Nec in liquido est, Celtaene, an Germani, nostrique maiores prius Orientem reliquerint. Nobis fauet, quod nos Celtas omnes, Germaniae superioris fere vniuersae, Galliae & Italiae citerioris postea habitatores, Walen & Welsche vocauerimus, atque adhuc vocemus, hoc est, *peregrinatores* vel *peregrinos*, a *Wal-len*, peregrinari, vagari: vnde Romani Gallorum nomen sibi formarunt. Si enim nos demum, cum illi iam quieti sederent, superuenissemus, hoc nomen non illis, sed nobis potius conuenisset. Nec enim quietis competit appellatio a motu desumpta.



## §. XVII.

Ex primis, qui in nostras terras venire, Germanis fuerunt vetustissimi Hiberniae & Hispaniae incolae, & residui apud nos Frisii.

Vti autem in magno aquarum procurso fluctus fluctum trudit, & quod primum emanauit, longissime a primo fonte abit: ita & cum primis gentium migrationibus factum fuisse, atque ultimi occidentem versus Europae populi primi natales sedes reliquisse videntur. Sunt illi *Hiberni & Scoti montani*. Hi primi omnium insulas Britannicas tenuerunt, a Britannis demum superuenientibus, a quibus & moribus & lingua penitus diuersi fuere, in Hiberniam & Scotiae montana remoti. Scoti enim montani Hibernica adhuc lingua vtuntur. NENNIVS, BEDA, & caeteri scriptores Hibernos ex Hispania quidem venisse produnt, quia forte propior in aduerso continente regio ipsis non succurrebat. Et nuper EDVARDVS LHVVDIVS in Archaeologiae Britannicae Opere insigni huius sententiae patrocinium suscepit, atque ex conuenientia linguae Vasconicae, quae vetus Cantabrica est, cum Hibernica argumentum pro ortu Hibernorum ex Cantabris, siue veteribus Hispanis desumfit. Sed exempla, quae affert, non sufficiunt, & quae ex iis recte se habent, indicant potius, vtrosque populos ab vna stirpe progenitos olim, nobisque cognatos fuisse. Conueniunt certe, vt aliqua hic afferam, atque, vbi Germanicae linguae congruant, obiter moneam

HIB. *a, acha* petra, & VASC. *acha*, rupes. Conuenit no-  
strum *hoch*, altus; *höhe*,  
altitudo.

*adbark*

*adarra*, cornu, quod nobis  
*horn*.

*alga*, nobilis

*algo* generosus. Germani  
*adelich* habent.

*aoil*

*abol*, *abolic*, os.

*aon*,

*on*, excellens.

*ar*,

*urc*, *gure*, nofter. Anglo-  
Saxones *ure*, Saxones *use*,  
Germani *unfer* dicunt.

*ar*, *aer*

*bara*, *beri* homicidium, ini-  
micitia: Germanis olim  
*Werre* & *Warre* bellum.

*arcoir*

*burco*, iuxta.

*asnic*

*ezne*, *eznec*, lac. Nobis *es-  
sen*, edere & victus. Ve-  
rustissimus autem lactis  
in conuictu vsus.

*athair*

*aita*, *aitac* pater; Germa-  
nis *atte*, *aite* & *Vater*.

*balla*

*bull*, *bull heçar*, cranium,  
calua. Sax. *poll* est sum-  
mitas cuiusuis rei rotun-  
diformis.



- Banailte, Banaltra,* *Banlitu, ballitu,* nutrix. An  
*ban* illud conuenit cum  
 veteri *span*, mamma,  
 vnde *spanverken* porcel-  
 lus lactans? Et forte Hi-  
 bernis mulier *bean* dici-  
 tur a mamma.
- Beas,* pl. *bethe*, manus. *Patten* vr-  
 forum plantas anteriores  
 vocamus, & *patschband*  
 etiam de manu dicimus.
- beat,* pl. *batzu*, parum, paulu-  
 lum, paucum. Sax. *bet-*  
*te*, Germ. *bissen*, Ital.  
*pezzo*, conueniunt, vt &  
 Gall. *petit*.
- brek*, diuerficolor, varius *bragado*, bos diuerficolor.  
 Hisp. conuenit *sprencklich* no-  
 strum.
- brugh,* *burgua*, vrbs, oppidum,  
 Germ. *burg*, oppidum.
- Caill,* *Cailte*, contumelia, oppro-  
 brium. *Schelten* Gerin.  
 est *exprobare*.
- cailleach*, gallus  
*ceò*, nebula, *oilloac*, gallina.  
*kéa*, *quea*, fumus. Sax.  
*schäe*, vmbra,
- cia,*

<i>cia, cia an,</i>	<i>ceinen, ceinec, quis, quae.</i>
<i>cior, gena, mentum. Hisp.</i>	<i>cara, facies. kare</i> Sucus <i>faciem quoque notat.</i>
<i>eas</i>	<i>ez, non</i>
<i>fadadh, 'ada',</i>	<i>beda, donum, munus. An</i> <i>a faten, fassen, accipere?</i>
<i>fearrya, earrya, feardha,</i>	<i>arra, masculus. Conuenit</i> <i>farre, bos; Nec recedit</i> <i>multum Lat. vir &amp; An-</i> <i>glo-Sax. Wer, nec non</i> <i>Germ. er, ille.</i>
<i>gach</i>	<i>ólh, gucia, omnis. Germ.</i> <i>gantz, indita n litera.</i>
<i>gbearg, dearg,</i>	<i>gorria, ruber. Conuenit</i> <i>nostrum Scharlaken, pan-</i> <i>nus rubeus.</i>
<i>gigilt,</i>	<i>kigli, killi, titillatio. Germ.</i> <i>kitlen, kitzeln, titillare.</i>
<i>goirrige, oirie,</i>	<i>erhoa, stultus, infanus.</i> <i>Conuenit irren, errare;</i> <i>irrig, errabundus.</i>
<i>ttheadb, comestio,</i>	<i>iate, rictus. Sax. eten. Germ.</i> <i>essen, edere.</i>
<i>laidir, fortis,</i>	<i>lodia, crassus, spissus, den-</i> <i>sus. Lode, genus panni</i> <i>crassioris olim nobis fuit;</i> <i>&amp; adhuc vocabulum hoc</i>
<i>lar,</i>	<i>apud</i>

	apud Sueuos occurrit, vbi textores eiusmodi panni. <i>Lode Weber</i> dicuntur.
<i>la'r, lairin,</i>	<i>larra, larraina,</i> terra, re- gio. Germ. <i>flor, flur,</i> est districtus, territorium.
<i>leano,</i>	<i>leinu</i> genus, semen. An a <i>legen</i> ponere?
<i>loit,</i>	<i>lot,</i> vulnus. Germ. <i>loch,</i> foramen, vulnus, & ve- tus <i>letzen,</i> scindere.
<i>luath,</i>	<i>lehiab,</i> celer. Conuenit Germ. <i>leicht &amp; lauffen.</i>
<i>mala,</i>	<i>malethas,</i> pera. Inde no- bis <i>Malschlos,</i> sera perae.
<i>maol, maothol,</i>	<i>mutil, muthilla,</i> seruus, puer. <i>Magd,</i> & vulgo <i>Mat, Maedel,</i> ancilla, filia, virgo; olim & <i>puer,</i> vnde <i>magazogo</i> veteribus pro <i>paedagogo.</i>
<i>olan, lo</i>	<i>ille, lana.</i> Nos habemus <i>wol-</i> <i>le, wulle.</i>
<i>orc</i>	<i>arrac, arraul, arraulze,</i> o- uum.
<i>re, ris</i>	<i>ri,</i> ad. Celtis inuerse <i>ar,</i> ad.
<i>re</i>	<i>ra,</i> radix. <span style="float: right;"><i>ris</i></span>




<i>ris</i>	<i>rez</i> , per.
<i>se</i>	<i>sey</i> , dulcis. Sax. <i>seut</i> . Germ. <i>süß</i> .
<i>seargtha</i>	<i>searra</i> , aridus, Germ. <i>for</i> , <i>dürre</i> .
<i>sgaile</i> ,	<i>itzale</i> , umbra. Saxonibus <i>schar</i> : <i>r</i> autem facile in <i>l</i> transit.
<i>siubhal</i> , <i>hiubhal</i>	<i>ebili</i> , ambulare. Germ. <i>hi</i> - <i>beln</i> , inepte circumcur- sitare.
<i>tobar</i> , <i>thobar</i> ,	<i>ithubbri</i> , <i>ithurri</i> , fons. Cel- tis <i>dur</i> , aqua.
<i>uae</i> , <i>uagh</i> , sepulchrum,	<i>oea</i> , lectus. De lecto in- fantum siue cunis <i>eja</i> , item <i>wiege</i> & Sax. <i>wege</i> dicimus.

Conueniunt & alia; quae, etsi iam attingere non vacet, confirmant tamen Hibernorum & Cantabrorum antiquissimorum Hispaniae incolarum originem communem, aut aliquam saltem cognationem. Perrexere itaque Cantabrorum maiores occidentem versus a sinistra (cum Hibernorum maiores a dextra discessissent) & traiectis Alpibus Pyrenaeisque montibus pars Italiam intedit, pars vero tandem Hispaniam & Galliam a Pyrenaeis iugis ad Ligerim vsque occupauit. Aeris hic



varii mineras aperuisse primi animaduertuntur. Inde crebra cum ipsis orientalium populorum, Phoenicum praefertim commercia & fama diuitiarum per orbem, quae non parum tranquillitati gentis nocuit; vt maiores opes semper sua pericula sequuntur. Phoenices enim littora Balearibus insulis Africaeque obuersa fere omnia suis coloniis impleuerunt; atque ab alia parte Celtae, magna vi postea irrupentes, meliorem terrae partem sibi sub Celtiberorum nomine sumserunt, veteribus incolis vel sibi subiectis, uel in montana Septentrionem versus sita retrusis, vbi reliquiae ipsorum cladibus postea Romanorum, Gothorum, Maurorumque ereptae adhuc superant. Non parum tamen a tot oppressoribus lingua Cantabrorum mutata est, & praeter vestigia Germanismi, ibi Celtica quaedam, Punica plura animaduerto. Literas incognitas, quibus magnus nummorum in Hispania repertorum numerus insignitus reperitur, a vetustissimo hoc populo inuentas conicio. Differunt enim omnino a Punicis, & ductibus rectilineis constant in modum Runarum Septentrionalium, vt nempe bacillis facilius incidi potuerint, antequam notior scripturae modus obtinuit. OL. WORMIUS inde hos characteres ad suorum Runas referre voluit, & assentientem ferme habuit EZECHIELEM SPANHEMIUM, qui plerosque huius generis nummos Gothis, post Romanos Hispaniae dominatoribus, adscripsit, duplici errore. Neque enim Gothos veteres





Inde  
venicum  
orbem,  
t maio-  
nices e-  
rfa fere  
a parte  
em ter-  
ferunt,  
ana Se-  
pforum  
rorum-  
en a tot  
&prac-  
, Puni-  
quibus  
numerus  
o inuen-  
, & du-  
Septen-  
otuerint,  
. WOR-  
referre  
IELEM  
is num-  
atoribus,  
os vete-  
res

res Runis Se  
rio nummi  
BLANCIVS  
scripti cernu  
omnino fun  
bus, quod  
spanicos ple  
nem aduent  
tempore cul  
nes Latinae  
nus incogni  
NOSANVS  
mus, in i  
arque in  
tiam paln  
cum literis  
bus literae  
re exhibent  
pti, & his  
bus illis ign  
racteribus e  
de classem  
nummo En  
se sibi visu  
parte Latit  
ex eodem

res Runis Septentrionalium vsos constat; sed e contrario nummi ipsorum, quorum plurimos prae caeteris **BLANCIVS** aeri incidi fecit, omnes Latinis literis inscripti cernuntur. Praeterea Gothi in Suecia diuersi omnino sunt a veteribus Gothis Hispaniae domitori- bus, quod infra fusius monstrabitur. Et nummos Hispanicos plerosque ante Romanorum in hanc regio- nem aduentum, reliquos primo occupatae Hispaniae tempore cusos esse, forma eorundem atque inscriptio- nes Latinae docent. De nummis vero hisce, haec- tenus incognitis, **VINCENTIVS IOHANNES LASTA- NOSANVS** peculiarem librum edidit, ex quo disci- mus, in iis plerumque caput Principis in vno latere, atque in altero equitis cum lancea decurrentis, vel et- iam palmam manu praeferentis effigiem expressam, cum literis, de quibus loquimur, obscuris. In aliqui- bus literae hae in vno, & Latina verba in altero late- re exhibentur. Sunt & aliqui nummi, Latine inscri- pti, & his accurate congruentes, alii cum characteri- bus illis ignotis, vt putes, eadem verba diuersis cha- racteribus exprimi. **ANTONIVS AVGVSTINVS** in- de clauem lectionis exsculpere tentauit, & in quodam nummo *Enporon* siue Empurias, in alio *Celsa* inuenis- se sibi visus est. Quodsi autem nomen loci in vna parte Latinum, in altera Hispanice exaratum esset; ex eodem fundamento in alio nummo *Eficer*, hoc est



*Oficerda*, legere, atque ita aliquam alphabeti portionem detegere possemus. Sed haec obiter.

§. XVIII.

Scoti sunt  
Hiberni.  
Ratio huius  
nominis.

Originem Scotorum ex Hispania repetentibus *Iberus* fluuius & populus inde dictus cum nomine *Hiberniae* conuenientes aliquo modo fauerunt. Sed *hiar* & *iar*, siue, vt nos loquimur, *ier*, Hibernorum lingua *occidentem* denotat; vnde *Ierne*, *Eris* siue *Hibernia* a situ dicta, erit *occidentalis terra*: & fluuius *Iberus* forte ex eadem ratione *fluuius occidentalis* nominatus est populis, quibus adhuc ignotae erant, quae trans eum iacebant, terrae. Eadem de causa Orientaliores populi *Iberiam* etiam aliquando vsque ad Germaniam extenderunt. NONNVS in Dionysiacis *Rhenum Iberum*: SCYLAX CHARIANDENVS strictius, quicquid inter Liguriam & columnas Herculis est, *Iberiam* vocat, & PLVTARCHVS in Marcello Gallos, qui sub Alpibus in Italia degerunt, *Iberes*. STRABO (q) indicare videtur, *Iberiam* vsque ad Rhodanum extensam, postea Pyrenaeo monte terminatam. Pari modo Italia etiam Graecis *Hesperia* dicta est, quia occidentem versus iaceret, & vltiora tunc ignotiora essent.

§. XIX.

(q) lib. III.

§. XIX.

Celtis postea in Britanniam delatis, priores habitatores in remotiora loca sylvasque propulsi, & *Scoti* a Celtico *koed*, sylva (quae Cambris *kuz* & *kuits*, Arem. *koât*) fibilo praeposito, hoc est, *syluicolae*, vocati sunt. Hinc posteris occasio nata, coloniam Scytharum nescio quorum introducendi. Vbi obserues, medii aevi Scriptores quando *Scotos* nominant, *Hibernos* intelligere, quod IOHANNES PONTIVS peculiari libello Parisiis anno MDCLX. edito ostendit. Hibernia vero cum arboribus refertissima esset, (vbi nec nostro aeuo syluis abundare desit,) ab iisdem Britannis incolae eius etiam *Guydbill* dicti sunt, tanquam *syluestres*, a *guydd*, arbores, arbusta; & hoc nomine adhuc Cambro-Britannis Hiberni veniunt.

Vnde Hiberni dicti *Scoti*, & Britannis *Guydbill*?

§. XX.

Hibernorum linguae exactam notitiam dedit, quem paulo ante laudauimus, LHVYDIVS. In Vocabulario ab eo confecto Germanica inuenio pleraque, vel ex Germanicis longissimo temporis tractu & Celtarum Romanorumque cum Hibernis communiōne corrupta. Nomina locorum quorundam in Hibernia nominibus nostri Littoris respondent. Vtrobique *Cauci* & *Menapii* occurrunt; & restant in Frisiorum & Hibernorum lingua, quae arte conueniunt, atque in reliquis dialectis vix reperiuntur. Sic locus Frisiis *oode*,

Hibernorum linguae cum Frisica conuenientia.



Hibernis ait; dies Fris. *dy*, Hib. *dia*; mane Fris. *meen*, Hib. *mainne*, matutinus; nebula Fris. *daach*, Scotis Septentrionalibus *tex*, Hib. *deatax*, fumus; angulus Fris. *beene* pro *beerne*, Hibern. *keaern*; pratum Fris. *mechtlaun*, Hib. *leana*; porcellus Fris. *bigge*, Hib. *pigin*; vir Fris. *ziel*, Hib. *sgael*; puella Fris. *fohn*, Hib. *bean* mulier, ingenere; calx pro membro corporis Fris. *biele*, Angl. *beel*, Hib. *sael*. & *sailin*; debilis Fris. *leep*, Hib. *laeg*; clauus Fris. *spiker*, Hib. *spike*; pigritia Fris. *leubeide*, Hib. *leisg*, piger; finire Fris. *lehn*, Hib. *ligim* effertur, vt alia non attingam, quae in veteribus Frisiorum libris legibusque obsoletis non parua copia occurrunt. Haec vero faciunt, vt a Chaucorum Frisiorumque maioribus Angliam primum, & deinde Hiberniam populis repletam existimem. Insulares enim ex viciniore continente descendere, non vna ratione stabilitur.

### §. XXI.

Reliquiae  
vetustissimo-  
rum Germani-  
nae incola-  
rum Frisii &  
Chauci.

Quod autem iidem *Frisii Chaucique* & horum cognati *Cimbri* ac *Teutones* primi fuerint, qui littus & regiones quoque nostras incoluerint, vel dialectus, vetustatem vltimam prae se ferens, atque a caeteris Germanorum populis multum distans ostendit, quam eo facilius incorruptiorem per tot saecula vsque ad nos conferuare potuerunt reliquiae harum gentium ad mare Germanicum sitae, quod aquis suis aduersus incursiones









ne  
br

po  
ris  
fu  
ex  
no  
q  
n  
v  
n  
&  
tr  
cl  
te  
ue  
af  
M  
Se  
G  
Co  
ra

nes alienigenarum defenderentur, vt montibus Cantabri & Walliae habitatores.

§. XXII.

Quibus vero temporibus reliqui Germanorum populi infecuti, & Tanai, Borysthene, Vistula caeterisque fluminibus traiectis, terris iam nostris, sese infuderint, in obscuro est. Multae tamen sunt causae, ex quibus conicere licet, omnes mediterranea, quam nos descripsimus, via ex Asia in Europam regionesque nostras descendisse. Nec audiendi sunt Septentrionales, qui ex Asia per Scythiam ad Finnonos, indeque vel per Lappones vel per Botnicum sinum ad Suecos, atque hinc demum transmissio Balthico mari in Germaniam traductos fuisse maiores nostros ferunt. His & Illustris LEIBNITIVS peculiari dissertatione contradixit. (r) Difficultas & anfractus itineris illius, inclementia coeli, infelicitas soli posterioribus demum temporibus exustis syluis exculti, migrationi huic aduersantur. Nec verosimile est, spretis mitioribus locis, asperrima deserta placuisse nouas sedes quaerentibus. Multo magis opinari licet, minorem gentis partem in Septentrionalia regna ex maiori, propinqua nempe Germania, venisse, traiectis maris Balthici fretis, aut Codano sinu, quem olim, cum a maris violentia littora nondum tot detrimenta accepissent, arctiorem, atque

Germanos non ex Suecia, sed Suecos ex Germania venisse.

(r) in FELLERI miscell. edita.



que adeo traiectu multo faciliorem, quam nunc est, fuisse, non sine causa forte statuit IO. DANIEL MAIOR. (s) Insulis Danicis & Gothiae Norwegiaeque proxima est Chersonesus Cimbrica, ex qua totum Septentrionem, quatenus nostrae linguae usum habet, impletum fuisse multae circumstantiae euincunt. Coloni inde traducti, primi regionem illam excoluerunt, sylvas exurendo (vnde *Suediae* nomen) & veteribus incolis in montana remotis. Habitata enim ante nostrorum introitum fuisse a Finnici & Lapponici generis hominibus non negauerim, qui illam nationem per omnem Europae & Asiae Septentrionem protersam fuisse ex reliquiis gentis per hos terrarum tractus adhuc dispersae concludo. Ipsae Septentrionalium historiologiae, *Sagae* vulgo dictae, a quibus omnium suarum antiquitatum rationes dependentes illi habent, sententiam hanc confirmant. Ferunt, a pygmaeis habitatas prius fuisse terras suas. Sed Lappones statura caeteris hominibus minores forte haec fingendi occasionem dederunt, quod & ISAACVS VOSSIVS iam suspicatus est. (t) Certe *Lapponum* nomen *patria sua eiectum* siue *exulem* denotare IO. SCHEFFERVUS (u) ex Suecicis authoribus annotavit. Vnde & huic appella-

(s) In *Cimbria* populis repleta cap. 52.


(t) *Obseru. ad Melam* pag. m. 293. sq.

(u) *Lappon. cap. 1.*

Tab. IV. ad S.



ne est,  
L. MA-  
iaque  
m Se-  
habet,  
Co-  
erunt,  
eribus  
te no-  
gene-  
ionem  
roter-  
tractus  
um hi-  
fua-  
bent,  
is ha-  
tarura  
occa-  
s iam  
ia sua  
s (u)  
ic ap-  
pella-



1794







12

13







pellation  
que gra  
Finni se  
bitatores

Ge  
contigi  
die Ros  
HEROD  
nouos t  
cognit  
ueran  
pore  
se ad  
qui su  
num a  
pariter  
Wodar  
in Co  
Vuode  
dino, P

(w  
(a  
(r  
(z

pellationi conuicii quid inesse Lappones dicunt, eamque grauiter ferentes, se potius *Sabmos* siue *Samos*, vt Finni se *Suomos*, hoc est, *palustres* seu *paludosae terrae habitatores* (w), nominari amant.

§. XXIII.

Germanorum autem in Scandinauiam immigratio contigisse debuit cum Finni iam ab oriente & meridie *Roxolanis* siue *Ruffis* cingerentur, quod diu post HERODOTI tempora factum est. Vnde iidem Finni nouos terrae, antea suae, colonos, aliarum nationum cognitionem non habentes, *Roxolanos*, quos solos nouerant, esse crediderunt, quo nomine & nostro tempore istorum posteros, *Suecos*, appellant (x). Sueci ipsi se aduenas confitentur. Dicunt, duos fuisse *Ominos*, qui suam nationem in Scandinauiam duxerint (y), vnum antiquiorem, alterum recentiorem. Saxones pariter coluerunt geminos authores gentis *Odinum* & *Wodanum*, quod idem nomen est. Ambo occurrunt in Confessione Saxonica (z), vbi renuntiat *den Vuoden end Saxn Ote*, id est, *Wodano* & *Saxonum Odino*. Hengisti & Horfi, Principum Saxonum, genealogiam,

Sueci ex Vandalis sub Odino Chersonesi Cimbricae habitatoribus.

(w) SCHEFFER, *Lappen*. STIERNHJELM. *Gloss. Vlpb. Goth.*

(x) Vid. *Vocabularia Finnonica*.

(y) VERELIUS in *Not. ad Heruarae sagam* p. 5. 54. & 43. ITEM in *Not. ad Gaubrex sagam*. p. 48.

(z) *Monum. Paderb. in Appendice*.



giam, a NENNIO veteri scriptore nobis conseruatam, cui aliqua omnino fides tribui potest, si inspicias, vixerunt *Wodanus* siue posterior *Odinus* Saeculo tertio, & prior non diu post TACITI aetatem, Saeculo post Christum natum secundo ineunte. Dicunt Odinum priorem *As* cognominatum, & omnes ipsius comites, ex quibus deinde gentis primores, *Asas*, quod *Asiaticos* exponunt. Sed ego potius coniicio, Odinum hunc cum suis fuisse ex celeberrima apud Vandalos gente *Asarum* vel *Astingorum*, cuius iam DIO (a) & postea etiam aliquoties IORNANDES (b) meminerunt. Fuit in Vandalia *Asfeld*, siue *campus Asarum* celeberrimus, in quo, indice PAVLO DIACONO, (c) Longobardi cum Gepidis pugnauere. Hunc ego, si CL. ZOLMANNVS, Hydrographiae Germanicae author, non falleret, ad Ofsam, amnem Pomeraniae, in sinum Gardensem se, secundum eius delineationem, exonerantem ponerem. Situs enim fauet quam maxime. Ita *Affi* Lemouiorum vicini fuerint, & inde Occidentem versus in littore maris Balthici ad Chersonesum & porro in Septentrionem perrexerint. Idem IORNANDES (d) inter Scoringiam, siue Chersonesum Cimbricam, & Mauringiam, siue in vicinia Pomeraniae locat *Affipittos*, quod *Affarum reliquias* interpreteris, (vt *Gepidae*

(a) Lib. LXXI.


(b) Edit. Lindenbrog. p. 102, & 97.

(c) Lib. I. c. 24.


(d) Lib. I. p. 199.



Tab. VI. ad S. 42.



onferua-  
inspicias,  
o tertio,  
alo post  
Odinum  
comites,  
od *Asia-*  
Odinum  
Vandalos  
) & post-  
inerunt.  
leberri-  
) Lon-  
o, si Cl.  
author,  
n finum  
exone-  
maxime.  
occiden-  
tesum &  
R N AN-  
Cimbri-  
ae locat  
(vt *Ge-*  
*pidae*













Tab. VII. ad S. 43



pilae e  
re parte  
gressae.  
Scoringi  
rat; vbi  
a quibus  
Principu  
gliam fa  
brones,  
rum ab A  
olim ia  
Saxone  
glos, e  
dalo.  
Alis ne  
ex can  
Alas ad  
siae terr  
xino pe  
integru  
de Sueci  
rum sub  
sed ad E  
Denam  
ne limi

(c) s  
(d) e

*pidae* erant reliquiae Gothorum,) gentis nempe maiore parte tunc iam ulterius & Septentrionem versus digressae. Idem *Ambrum* & *Assum*, Duces Vandalorum, Scoringiae vicinam regionem infestantes, commemorat; vbi forte pro ducibus gentes nominare debuisset, a quibus Saxones orti. Vti enim *Odinus*, Saxoniorum Principum sator, *As* dictus est, ita Saxones, qui Angliam saeculo quinto occupauerunt, a *NENNIO* *Ambrones*, id est, *Alt Saxones* vocantur, quod pars eorum ab *Ambra* vel *Emmera*, fluuio Westphaliae, quo olim iam commigrauerant, eo venisset. Atque ita Saxones origine Vandali fuere, quemadmodum & *Anglos*, eiusdem nationis partem, *PTOLEMAEVS* *Vandalos* vocat. Septentrionales autem, cum semel ex *Asis* nostris *Asiaticos* fecissent, & fando audiissent, vel ex cantilenis maiorum accepissent, confedisse illos *Asas* ad fluuium *Tanam*, protinus exinde *Tanaim*, *Asiae* terminum, fecere, eorum imperium a *Ponto Euxino* per *Septentrionem* omnem extenderunt, atque integrum huius regionis tractum *Sueciam magnam* (vnde *Suecia minor* orta) vocarunt (e). Sed ex situ *Asarum* sub *Scoringis* clarum est, eos nequaquam in *Asia*, sed ad *Egidoram* fluuium *Holsatiae*, olim *Tanam* vel *Denam* dictum, (f) vnde *Tonningae* & *Danemarcae*, siue limiti *Danico*, & *Danis* ipsis nomen, post exitum

F 2

ex

(e) SNORRO STURLESON P. I. c. 1.

(f) GEOGRAPH. RAVENN. L. III. c. 13.



ex Vandalia confedisse, inde per omnem Chersonesum Cimbricam sese diffudisse, tandemque Septentrionem ipsum sibi subegisse. Ibi ergo regnum Asarum siue *Asgartia* in Sagis celebris (g) collocanda. Apposite illa Asarum patria, vnde Dii & sacra in Septentrionem venisse Sueci confitentur, alio nomine *Gudheim*, secundum SNORRONEM, dicitur, quod clare admodum *patriam Iutarum* indicat, quam & *Iotnabeim* appellant. *Iot* vero Islandis, & Norwegis *jaet*, Cambro-Britannis *Guydhon* gigantem designat; vnde illam *patriam gigantum* fabulatores esse putauerunt. Quanquam & maiores nostri, procerioris staturae homines (b), Septentrionis incolis minoribus gigantes videri re ipsa poterant. Perhibent Septentrionales, *Valballam* siue locum in praeliis caesorum (quem & *Gladshheim*, non a *gles*, succinum, vt VERELIUS (i) putauit, quasi *gleffariam*, sed a *glad*, *glede*, laetitia, id est, *locum laetitiae* vocarunt) fuisse in *Gudheim* siue *patria Odini*. At non in Iutia solum, sed & vicina Holfatia tantus est tumulorum vetustissimorum numerus, quantum in aliis Germaniae partibus vix reperias. Vnde corpora in bellicis aduersus Septentrionales expeditionibus occisorum Principum eo translata, atque a popularibus honorifice condita fuisse non improbabilis est coniectura. Qui enim tanta cura construebantur,

(g) VEREL. not. ad Heruar. Saga p. 5.


(b) IORNAND. p. 83.

(i) in not. ad Heruar. Seg. p. 17.

one-  
pten-  
Afa-  
anda.  
n Se-  
mine  
quod  
& lot-  
s jaet,  
vnde  
erunt.  
ae ho-  
gantes  
nales,  
em &  
s (i)  
eritia,  
m siue  
vicina  
ume-  
berias,  
es ex-  
atque  
roba-  
strue-  
ntur,

Tab IX ad S 44





banu  
bus c  
pote  
num,  
tar, A  
lebra  
fis if  
meat  
integ  
nema

"La  
ribu  
wian  
cat  
ea in  
des  
rum  
rum  
Gea  
cor  
fiu  
s o

bantur, & labore immenso ex praegrandibus lapidibus componebantur colles sepulchrales, magnorum & potentium virorum esse debebant. Ut autem ad Odinum, a Tanai siue Dena, Holfatico flumine, ortum, reuertar, *Dani* illi iuxta *Persas* a Romanis ob fortitudinem celebrati, quorum Anonymus Rauennas meminit, ex Afis istis atque Odini populo erunt. Nec parum hanc meam coniecturam confirmat, quod vir honestior & integrae prae vulgo fidei apud Norwegos & Suecos *Daneman* etiam in publicis scriptis ab antiquo dictus sit (k).

§. XXIV.

Nec iuuat Suecos, quod ex *Scandinauia* Gothi, Langobardi & caeterae gentes venisse, a bonis authoribus memorentur. Scandinauiam *MELA* (l) *Codanouiam* vocat, & insulam ad Codanum sinum fuisse indicat a *Teutonibus* habitam. Chersonesum Cimbricam ea indicari, facile intelligis, vbi Teutonum olim sedes erat. *Codanouia Codorum, Gotorum* seu *Iutarum insulam* significat, vti *Codanus sinus* sinum Iutarum, qui etiam Anglo-Saxonibus & Septentrionalibus *Geatae* vel *Gautae*, atque inde sinus ipse *Gaudwic* & corruptius *Gandwic* dictus est, quem cum *Grandwic* siue *Cronio* confuderunt inspidi Sagarum conditores. SOLINI tempore *Gandwici* vocem in vsu fuisse putes;

Scandinauia  
vetus erat  
Chersonesus  
Cimbrica,  
cum insulis  
Balthici maris  
& littore  
nostro ad  
Lituanes vsque.

F 3

ille

(k) SPERLING. de lingua & nom. Danici antiq. p. 53. 54. 55.


(l) Lib. III.





ille enim pro Scandinavia iam *Gangauiam* posuit. Hinc  
 ubi posteris temporibus Haquinus Norwegiae Rex, a-  
 pud SNORRONEM, omnia administrasse dicitur inter  
 Gotelbam & Gandwici oram, hoc interpretandum est,  
 regnasse ab Albi supra Vplandiam in Bothnicum sinum  
 sese exonerante vsque ad sinum Codanum, hoc est,  
 per Sueciam, Scanziam & Norwegiam. Codanouiae  
 nomen deinde paulatim corruptum est in illud *Conda-*  
*nouiae*, *Scondanouiae*, *Scandanouiae* & *Scandinaviae*,  
 quod vltimum iam PLINIUS habet. PTOLEMAEVS  
 illud in *Scandiam* coarctat, atque ex vna insula quatuor  
 facit, mire omnia confundens. Ad orientem Chersonesi  
 Cimbricae eas collocat, nec obseruat ipsam hanc Cher-  
 sonesum illis comprehendi. Maximam ipsarum & ma-  
 xime orientalem iuxta Vistulae ostia positam esse refert.  
 Eadem habet IORNANDES, qui Scanziam hanc in mo-  
 dum folii cedri formatam tradit. Omnia haec conue-  
 niunt insulae *Gotlandiae*. Sed quando populos a PTO-  
 Tab. I. LOMAEO in ea collocatos respicias, patet indicari  
 Chersonesum Cimbricam insulasque adiacentes, & lit-  
 tus maris Balthici nostrum, vsque ad Vistulae latus v-  
 trumque. Occidentalia enim Scandiae secundum PTO-  
 LEMAEVM tenentes *Chaedini* videntur esse *Kaedingi*, qui  
 iam in sinistro Albi littore coluerunt. Qui orientalia  
 habuerunt *Phaouae* & *Firaei*, in *Fristis* Holfatiae, siue  
 Nortstrandis, ac nomine insulae *Fanoae*, Ripensi Iutiae  
 dioe-

line  
a-  
inter  
est,  
um  
est,  
iae  
da-  
ae,  
vs  
ror  
teli  
er-  
a-  
t.  
o-  
e-  
o-  
ari  
it-  
v-  
o-  
qui  
ilia  
ue  
iae  
e-



*Jab. X ad S. 46.*



dioe  
p r o  
insu  
flari  
tulit  
Dau  
Rom  
bric  
tio,  
tor  
Da  
rig  
se  
an  
vr  
tisc  
trib  
ita  
eni  
Len  
exp  
ben  
qui  
ter  
Sep  
res

dioecesi adiacentis, indicantur. Et pro *Phaonae* apud PTOLEMAEVUM forte legendum est *Phanoniae*. Poterit insula olim maior fuisse, quam nunc est, ex quo Cauri flatibus irritatus Oceanus tot littori illi detrimenta intulit ab antiquo. In meridionali parte locati *Gutae* & *Dauciones* sunt TACITI *Guttones*, qui postea Gothi, Romani imperii subactores diuersique omnino a Cimbricis Iutis siue Gothis, quanquam eadem nominis ratio, a soli bonitate deprompta. *Dauciones*, interpretor *Danciones*, seu accolae sinus Dantiscani, ut adeo *Dani* siue maiores nostri iam ante PTOLEMAEVUM navigationibus celebres fuerint, atque ad sinum hunc a se denominatum coloniam miserint, quod recentiores authores in posteriora tempora perperam reiciunt ab urbis demum constructione nomen Danswici siue Dantisci arcessentes. Media Scandiae PTOLEMAEVS attribuit *Leuonis*, quos Liuoniae habitatores credas. Ast ita non media, sed extrema Scandiae obtinere, alios enim populos vltiores non nominat. Quod si autem *Leuoni* PTOLEMAEI de accolis Leobae Pomeranicae exponas, qui TACITO *Lemouii*, omnia bene se habent; atque haec explicatio genuinior est omnium, quia PTOLEMAEVS Germaniam suam Vistula fluuio terminare videtur. IORNANDES suo tamen aevo & Septentrionale Balthici maris littus, secus ac vetustiores authores, Scandiae suae accensuit, Gotlandiae scilicet

licet insulam cum Gotlandiis Suecicis confundens. Quod si iam PTOLEMAEI sensu *Scandinavia* accipiatur, concedi potest, imo verum est, omnino eam emisisse gentes, quae Germaniam incolunt, & imperio Romano exitium tandem intulerunt. Si vero vocem hanc de Septentrionali tantum illius parte, quae Suecis iam paret, intelligas, vt PAVLVS DIACONVS & posteriores plerique, *Scaniae* nomine, quod tamen cum illo Scandiae vel Scandinaviae nihil commune habet, seducti, etiam atque etiam a vero aberras. Haec enim pars, vt vidimus, colonos & cultum nostri generis hominibus debet. Diuersa haec eorundem vocabulorum significatio apud authores diuersos, nisi exacte obseruetur, facile seducit etiam prudentiores. Experti id sunt Septentrionales, OLAVS RVDBECKIVS & aesseclae, magni caeteroquin doctrina viri. Non enim solum *Scandinaviae*, sed etiam populi *Hyperboreorum*, *Scytharum*, *montium Riphaeorum*, *Thules insulae*, *Graeciaeque* nomina, alio sensu a diuersis authoribus & diuersis temporibus accepta, nec probe distincta, doctissimos quoque ex iis quosdam in sententias omnium historicorum relationibus & rationi pene ipsi contrarias praecipites dederunt, vana antiquitatis gloriola stimulos admouente.




# TACITI SVEVIA VETVS.



Quod  
iatur,  
nifis-  
Ro-  
hanc  
s iam  
ofte-  
m il-  
abet,  
ec e-  
ene-  
oca-  
i ex-  
Ex-  
rvs  
Non  
Hy-  
bu-  
erfis  
robe  
fenti-  
oni  
anti-

TACITE SVBIVM VLTVS



M  
intraue  
que ten  
Saxone  
no, ali  
xones c  
inter V  
diuerfo  
& offic  
primu  
cultro  
ne ibi  
nom  
ri, S  
praete  
di litte  
de qu  
ra, se  
Germ

cum  
RIN

§. XXV.

Maiores nostri, ex quo sub primo Odino semel intrauerant Sueciam Noruegiamque, sequentibus quoque temporibus diuersas eo colonias, etiam cum iam *Saxones* dicerentur, sub Odino posteriore, siue Wodano, aliisque miserunt. Vnde non mirum, inueniri *Saxones* cum alibi, tum in toto illo tractu locorum, qui inter Vermelandiam & Angermanniam intercedit, & diuersorum montium dorso absoluitur, pleno fodinis & officinis metallicis, a Saxonibus illis dubio procul primum olim detectis & excultis, ad arma, breuiore cultros & nauium utensilia fabricanda. Habentur sane ibidem, RVDBEKIO (m) annotante, loca Saxonum nomen seruantia *Saxebytta*, *Nordsaxen*, *Saxehundari*, *Saxekullen*, *Saxewalt*, *Saxen*. Wodanus posterior praeter artes varias, etiam Runas, siue modum scribendi litteris ligno vel lapidi incis, Septentrionales edocuit, de quo infra plura; vt adeo non Suecorum solum terra, sed etiam ingenia cultum Saxonibus debeant, nec Germani ab illis, sed ipsi a Germanis descendant.

Diuerse coloniae ex Cimbrica Chersoneso in Septentrionem duetae. Saxones etiam nominis ibi vestigia.

§. XXVI.

Nomina quaedam locorum, quae apud nos sunt, cum etiam in Suecia inuenisset HERMANNVS CONRINGIVS (n) vir alias quidem diffusae eruditionis, sed

Conuenientia utriusque sermonis & nominum locorum nobis lauet.

(m) *Atland*, P. I. p. 529.

(n) v. lib. eius de antiquissimo Helmsladii statu.





Suecis non sine causa fauentior, inde concludit, allata haec ad nos fuisse a Gothis Suecicis, hosque adeo ante alios terras nostras incoluisse. Sed inuertenda erat haec argumentatio, & cum tot habeamus rationes, Suecorum originem nobis adferendi, non possunt non nomina illa a nobis ad Suecos peruenisse. Sertiant illi in sua quoque lingua voces vocumque radices plures apud nos deperditas, quas secum tamen a nobis sumserunt, Septentrioni importarunt, atque a frequentiori cum aliis gentibus commercio magis, quam nos, remoti, diligentius conseruarunt; quemadmodum Islandi, Norwegorum veterum soboles, multa retinent, quae in Norwegica & Suecica nostri temporis lingua iam diu quidem perierunt, necessaria tamen sunt, ad exponenda & intelligenda vetustiora monumenta. Quanquam nemo adeo insipidus est, vt inde Norwegos & Suecos ab Islandis ortos credat.

### §. XXVII.

Germani primi & solis terrae coloni. Omnes Saxoniae nostrae fluiuii, montes & syluae Germanica nomina habent.

Sed iam ad vetustissimos terrae nostrae incolas redeundum, quos Germanici generis fuisse, non solum ex iis, quae iam attulimus, patet, sed etiam ex nominibus fluuiorum & montium nostrorum. Haec enim antiquissima omnium sunt monumenta, neque, a prioribus indita, facile a posterioribus mutantur. Singula horum suas habent significationes, ex ipsa rei cuiuscunque figura vel natura depromptas; nec casus, sed

sed consilium eadem inuenit. Quaedam quidem, amissis in communi sermone vocibus pluribus, vulgo non intelliguntur; attamen ab eruditis dialectorum nostrae linguae veterum & recentiorum peritis optime exponi possunt. Fluuuii apud nos & per vniuersam, qua patet, Germaniam olim communiter *achae*, *abae*, vel *auae* dicti sunt, & haeret adhuc omnibus amnibus minoribus vel hoc nomen, vel illud *bach* aut *beke*, cum maiores a natura sua vel aliis circumstantiis additamenta sua habeant, quibus distinguantur. Visurgis superior pars *Wirraba*, hodie *Werra*, ab alueo sinuoso, & ubi cum Fulda ad Mundam confluit, *Wisurraba*, vulgo *Weser*, quasi *aquarum decursus* nominatur. Qui in eum deuoluuntur amnes *Ahla*, a Sale, quo praegrans est, *Bremeka* (ex *Brembeka* corruptum) a verpibus, quae nobis *brom* & *brem*; *Holtminna*, olim sine dubio *Holta* siue amnis syluestris, ab ostio suo, quasi *amnis syluestris ostium*; *Hamel* ex *Hachmuhla* molendino ab antiquo adfite contractum, quasi *molendini altius siti amnis*; *Meerbach* a mari seu palude scilicet *Steinhudensi*, vnde exit, dicitur. *Wumma* vel *Wimma* quondam *Wigmodia* audiit, vnde pagus *Wigmodio* nomen. Olim dubio procul *Wiga* dicta fuit ab insulis, quas praecipue ad Otterbergam format plures, nobis *wike* vel *wige* vocatis; sed postea ab o-



ftio suo defumta appellatio praeualuit. Non enim solum *mund*, *mind* & *mond*, sed etiam *moth*, *muth* Saxonibus *ostium fluminis* denotauit. Luna, ab Anglo-Saxonico *lun* egenus, amnem egenum, siue minorem & *Geefta* infra hunc *sterilis loci aquam*, *Robra* vero *arundine foecundam* designat. Quod Lunam attinet, notandum, Danis & Suecis *liung* ericam nominari: inde *Luna* ad *Elmenouiam* per *locum ericeto adfitum*, & *Lunenburgum*, castrum ericeti, commode exponi possunt. Nam a Linonibus Slaus procul distitis hoc nomen descendere nequit.

Lina siue Leina, GEOGRAPHO RAVENNA-  
TI *Linach*; dicitur, a *limo*, quem colore suo praefert, & pluuio tempore ex Harticis iugis trahit. *Lim*, *Lem* & communiter *Leim*, limus, olim *lin* & *lein* pronunciatum est, quemadmodum & reliqua in *m* exeuntia nomina quondam in *n* exiisse dudum obseruauit. In Leinam se exonerant *Ruma*, a *fufurrando*, *Odera*, olim *Eterna*, a *viperis*, *Grona* prope *Goettingam*, vnde palatio *Gronae* postea nomen, a *viriditate* regionis, quam praeterlabitur, *Ilma* a *sanguisugis*, *Ganda* a *fulicis*, Anglo-Sax. *ganot* dictis, *Ima* apud *Hanoueram* a *circulo*, quem facit, ex *Leina* effluens, in eundemque rediens, *Sala* a *sale*, quem secum vehit, dicti. *Indrista* vulgo *Innerste* ita nominatus est, quasi *interior Ostphaliae fluius*. Medium enim huius prouinciae irrigat,

irrigat, recipitque *Nettam* a corylis, & *Lammam* a limo, qui & Anglo-Sax. *lame*. *Fufam* appellatam coniicio a *Wiese* terra humida siue pratensi, quam alluit. Conuenit cum nomine hoc *Wusa*, *Vsa*, *Osa*, *Isa* plurium fluuiorum in Anglia nomen, ita promiscue apud Historicos scriptum.

*Obacrus*, rectius *Ocker* ab *oken* increfcere, augeri, nomen traxit, quia subito increfcit montanis aquis auctus. Recipit *Gofam* ab anseribus, *Rodam* a glarea rubicunda, *Eckeram* a glandibus, *Ilfam* ab alnis (quae Batauis adhuc *else*) vocatos. *Scuntera* a *confluxu cum Obacro* nomen fortitus est. *Scyndan* enim apud Anglo-Saxones *confluere* significat.

*Allera*, *Leinam*, *Fufam*, *Obacrumque* absorbens etiam ab *alnis* dictus videtur. Exonerant praeterea se in idem hoc flumen *Witza* siue *Wizena* a pratis, quae percurrit, *Isa*, a glaciali frigiditate, *Oertza*, olim *Vrsena*, ab *iracundia*, quae Anglo-Sax. *yrfung*, & *yrfan*, irasci, (exundans enim multum damni adfert) & tandem *Boema*, ab arboribus accrescentibus rationem appellationum suarum fortiti.

*Elmenauiam* ab *undecim* annibus, quos in eum delabi fingunt, quidam appellatum esse somniant, quasi *Elfenau*; sed ego potius a muraenulis, quae anguillulis similes copia non parua in eo capiuntur, deriuarim. Diminutiue eae forte olim *elin*, hoc est *an-*

guillulae vocatae, & inde *Elinenau*, & contractius *Elmenau* factum est, vt supra ex *ilen*, *Ilma*. *Luha* poterit ab Anglo-Sax. *luh*, lacus, vnde oritur, dictus esse. *Wippera* denotat *tremulum amnem*.

Albis ipse ita audit ab *Alpibus* siue montibus praecelsis, ex quibus ad nos deuoluitur. Nec aliunde Sueciae fluiui *Elfae* vocati. Omnes enim ex montibus altis & rupibus ruunt. Et *Albe* pro monte, qui cano iugo conspicuus est, siue alto, vox est in Germania superiore vsitatissima, vbi & plures amnes *Alparum* nomine insigniti occurrunt. Exonerat se in Albim *Osta*, hoc est *fluuius orientalis*, ita dictus respectu *Wummae* & caeterorum fluuiorum occasum versus in *Visurgim* currentium. *Swinga* supra *Ostam* conspicuus ab *amaritudine aquarum suarum* appellatus est; Anglo-Saxonibus certe *swigene* est *amarus*, & hinc facile *Swinga* factum. *Esta* ab *equis*, qui Danis & Suecis adhuc *heste*, deduci potest. *Ietzae* nomen a *Slauis* ex illo *Witzae* corruptum puto. *Milda* & *Bisa*, quorum ille in hunc, & hic in *Vchtam* fluit, *lenem* & *malignum* significare patet. *Alanda* exponi potest *insularis terrae fluuius*, siue *qui insulam efficit*. *Tangera* est amnis citato cursu fluens, a Saxonico *tanger*, acer, alacer.

Ora olim & *Hora* forte aqua sordida interpretandus, & ab *hor*, sordes, deducendus est; pingue enim solum praeterlabitur. Brachium ex Ora in Albim pro-

tensum

tensum *Vechta* dicitur, quod idem est ac *coniunctio*, *connexio* a *voegen*, *fügen*, iungere, connectere, quia Oram Albi quasi connectit. Ab eodem fonte & *Vch-tam* dictum puto, qui Bisam cum Alanda veluti connectit. In inferiore Germania *Vechta* prope Traiectum fossa sub Conrado II. ducta Rheno connectitur, vnde & illi nomen. *Boda* ex montibus Harticis delabitur, & ipse, vbi per scopulos voluitur, aestuosus est non vno in loco; vnde forte a veteri *bode*, *fyrtes*, aestuans aqua, quod Sueci in Glossariis suis exhibent, ita audiit. Quanquam non repugnauerim, si a nostro *bod*, nauicula, quis deriuauerit, vt fluuius nauiculas ferens indicetur. Nauigabilem enim Bodam vsque ad Quedlinburgum olim fuisse, aliunde scimus.


## §. XXVIII.

Nec si e nostra Saxonia in veterem, hoc est, Chersonesum Cimbricam, recedas, alia quam Germanorum vestigia offendes. Est ibi, vt ad maiora saltem flumina animum attendam, *Sturia*, a *stor*, i. e. magnus, nominata quia reliquos ibi fluuios magnitudine sua excedit. *Egidora*, aeuo Carolino, vallo & sepe veterum more a Danis contra Saxones munitus, ab alterius lateris accolis nomen accepit a *porta*, per quam mercatores vltro citroque commeabant, *Heggedor*, id est *porta sepis vel munimenti*, vocata. Vettioribus autem temporibus *Denam* vel *Dinam* dictam fuisse

In Chersoneso Cimbrica etiam non alia quam Germanorum vestigia.

fuisse ex GEOGRAPHO RAVENNATE & *Toenninga* a fluuio praeterlabente nominata, eidemque Geographo iam memorata, concludimus. *Dena* autem fluuium per depressiorem humum seu vallem currentem designat, ab Anglo-Sax. *Daene*, vallis. Vnde populi ad hunc fluuium habitantes *Dani* & *Daeni*, & regio ad eundem fluuium *Danemarca* siue terminus Danorum dicta, quod nomen insulis deinde *Codani* sinus commune factum, quia a Danis regnatae. *Dani* autem, si ante saeculum quintum & Saxonum in Britanniam transitum occurrant, Saxones denotant; cum, qui nostro tempore nomine Danorum veniunt, post eorundem in Britanniam secessum demum loca vacua ad *Denam* siue *Egidoram* vsque occuparint. *Trenam* *Egidorae* se iungentem ab arboribus deduco; per regionem enim arboribus confitam fluit, & Anglo-Sax. *treeo*, aequae ac Danis *tree* lignum, arborem, denotat; a quo eodem fonte & *Traua* venit, olim synonymo *Chalusus*, quod idem est ac *Holtza*, siue *fluuius lignosus*, appellatus. Heuerum in *Nortstrandia* a veteri Frisico *aber*, ostium, deflectit HEIMRICHIVS. *Slyam* a tincis deducere quis possit, mihi tamen videtur ab Anglo-Sax. *Slief*, *slife*, vel *slyfa*, manica, dictus, quia manicae forma mari coniungitur, aut etiam maris quasi brachium haberi potest.


ga  
a-  
u-  
m  
u-  
d  
m  
n-  
o,  
n  
i  
-  
a  
y  
-  
-  
-  
-  
n  
-  
.





TIB. CAESARE  
AVG. IOVI OPTVM  
MAXVMO  
NAVTAE PARISIACI  
PVBLICE POSIERV  
NT.





Gern  
inter  
gnus  
tam c  
mani  
noma  
Bruc  
altifi  
sylva  
vel  
figi  
cad  
com  
non  
ua ex  
Tren  
est c  
diru  
gnat  
tes c  
nes  
Con

§. XXIX.

Montes sylvaeque omnes inter Albim & Visurgim Germanicae originis nomina habent. Hartz sylva inter reliquas eminent, eamque ab *hart* continuus, magnus (vnde & antiquum *hart*, valde, nimis) vocatam certus sum. Hinc non mirum, omnibus in Germania sylvis maioribus *Hart*, *Ardennae* & *Hercyniae* nomen haerere, quod a nobis & Celtae habuerunt. Bructerus mons, vulgo *der Brocken*, Hartici tractus altissimus, ab *vligine*, qua abundat, & *Droemling* sylva a *tremulo solo* appellantur. *Broeck* enim paludem vel vliginosam terram, & *droenen*, tremere, apud nos significant. *Elmus* sylva, quae Helmstadio, sedi Academiae Iuliae, nomen dedit, a collibus, ex quibus componitur, ita audit. *Holm* collem vel montem non adeo elatum denotare notum est. *Trendel* sylva ex aduerso Elmi iacens a figura rotunda vocata est. *Trent* Saxonibus, & *trendel* veteribus Anglo-Saxonibus est *circulus*. *Assē*, vnde *Assenburgum*, castellum nunc dirutum, olim appellatum, apud Septentrionales designat *collem in longitudinem protensum* (o). *Hils* montes collesque significat non solum apud Anglo-Saxones veteres, sed etiam hodie adhuc apud Anglos. Connectuntur ei *Niti* montana, *Hilso* minora. Hoc

Montium  
sylvarum-  
que nomina  
sunt Germa-  
nica.

ipsum

(o) V. VEREL. *Index Lingu. Scandicae.*



ipsum autem nomen montem *decreſcentem* ſignificare videtur. Septentrionales adhuc *nida* lunae decreſcentis tempus vocant; vnde verbum *niden* pro decreſcere, minus fieri, olim in vſu fuiſſe non vane coniiicio. Solingo Viſurgi vicino datum eſt nomen a *Sale*, quo praegnans eſt, ita veluti *Salinarius*, audiit. Profluit ex hoc monte amnis *Ala*, a *Sale* etiam vocatus, cui adiacet *Budenfelda*, cuius ſalinae Carolinis temporibus celebres a Ludouico Pio ex parte coenobio Corbeienſi anno DCCCXXXIII. donatae, vt ſuo loco videbimus. *Sintalus* a valle ſubieſta circa *Munderam* dictus eſt. Vallis ipſa, vnde nomen habeat, dubium. *Sintalus Diſtero* ita connectitur, vt huius pars vel appendix videri poſſit. Plerique quaſi *dueſter* ſiue *obſcurum* dictum ſomniant. Ego vero cum terminatio *ter* ipſum vetus Saxonicum *treo*, *treow*, *ter*, lignum, ſylua, eſſe videatur, *Diſterum* quaſi ſyluam *Diti*, *Teutati*, vel, quod idem eſt, *Tuiſtoni* ſacram dictum fuiſſe, iam dudum diſſertatione de antiquiſſimo Helmſtadii ſtatu conieci. *Tuiſto* certe hic *Hercules Germanorum* fuit, & *Herculi ſacram ſyluam* TACITVS (*p*) in *Cheruſcis* prope *Viſurgim* locat, vbi nunc *Diſterus* protenditur. Sed de TACITI illo loco inferius plura. *Diſteri* culmen ruſtici *Brinne* vocant, quod a *boeren*, attollere, derivatum, *altitudinem* designat. In Ducatu *Luneburgico* minores ſyluae plures *Sunder* appellantur, hoc eſt ſe-

(p) *Annal. lib. II.*

para-

*paratae ab aliis, & peculiarem dominum habentes, a fondern, Sax. fundern, separare. Tractus, ubi Augustissimi Regis nostri aula statis temporibus venationi vacat, Goerdæ nomine insignitus est, a goerde, gurt, cingulum, quia cinguli rotundi forma colliculis & arbutis inter ericeta eminet.*

§. XXX.

Germani itaque fuerunt, qui primi nomina haec syluis, montibus & fluviis nostris indiderunt. Nec praeter Germanicam linguam ullius alterius idiomatis vestigia apud nos inuenies, quod indicio est, maiores hic nostros primos & solos degisse, nullis aliarum gentium incursionibus infestatos, aut coloniis mixtos. Atque errant omnino, qui patriae nostrae primo *Scythas*, inde *Celtas*, & postea *Gothos* obtrudunt. *Scythae* Vistulam nunquam transgressi sunt, indice HERODOTO, rerum Scythicarum peritissimo; a Sarmatis deinde populo cognato vel oppressi vel absorpti. *Celtae* ex Asia venientes litora Danubii primum secuti, vtrumque latus Carpatiorum montium, Daciam, Pannoniasque cum Moravia & Bohemia, Germaniam superiorem, Gallias, Britannicas insulas, Italiam citiorem, bonamque Hispaniae partem occuparunt. Germaniam cis Moenum atque infra Bohemicos montes nunquam attigerunt. *Gothi* trans Vistulam in Prussia, ubi succinum colligitur, exorti per Sarmatas ad Pon-

Nec Scythae,  
nec Celtae,  
nec Gothi in  
terris nostris unquam fuerunt.



tum Euxinum tetenderunt, indeque per Pannonias Italiae, tandemque Galliae parti & Hispaniae sese infuderunt, nostris maioribus sibi relictis. Id quod monere visum, ne, ut solet, magnorum virorum auctoritas imprudentiores seducat.

§. XXXI.

Mores Maiorum vetustissimorum, & quae de iis ex tumulis ipsorum sciri possunt.

Quibus moribus vixerint, quidue rerum gesserint progenitores nostrae gentis, antequam Graecis & Romanis Scriptoribus innotuere, dictu difficile est. Aliqua tamen ex tumulorum sepulchralium atque aliis reliquiis ratiocinando colligi possunt. Robustissimos fuisse, moles lapideae testantur viribus ipsorum extructae, nullis praeter vectem machinis adhibitis. Spectantur eae passim in Saxonia, Westphalia & Cimbrica Chersoneso. Inter omnes autem eminent, quae in monte Cornelii prope Helmstadium, a CONRINGIO peculiariter inlustratae, atque in Westphaliae Humelingo restant. Gigantes tamen non fuisse homines ibi tumulatos ex ossibus inter cineres subinde reliquis & communem mensuram non excedentibus facile patet.

§. XXXII.

Amictus & arma.

Amictum nescimus, crinium tamen cultum acus discriminatoriae & circuli ad continendum capillum ostendunt. Illos enim ligamine vel circulo aeneo comprehendebant, acuique crinali circumuoluebant; unde adhuc

adhuc SIDONIUS APOLLINARIS Saxonem sui  
temporis depingens canit:

*Cuius verticis extimas per oras,  
Non contenta suos tenere morsus,  
Altat lamina marginem comarum;  
Et sic crinibus ad cutem recisis  
Decrescit caput, additurque vultus.*

Actus & lamellae huic vsui destinatae vna cum nouaculis  
& forcipibus, crinibus euellendis adhibitis, frequenter in  
urnis inter cineres reperiuntur. Armillas etiam ge-  
stasse certum est: sed id temporibus demum, vbi iam  
commercia cum populis cultioribus frequentarunt.  
Vestes ipsorum veteri nomine *Gunas* appellat LVIT-  
PRANDVS. Ex pellibus confectas, authores perhibent,  
& ruditas veteris aevi persuadet. Figuram ex cornu  
Tunderensi antiquissimo repetere licet, quod infra de-  
lineatum exhibebimus. Calceos ex pellibus animalium  
sylvestrium sibi fecerunt, hirsuta pellis parte exterius  
versa; vnde *Rulingorum* iis nomen, quod PASCHA-  
SIVS RATBERTVS Saxonum calceis adhuc in Vita Wa-  
lae proprium esse affirmat. Arma simplicissima fuere  
ante aeris tractandi notitiam, quae serius ad regiones  
nostras venit, nec nisi paulo ante Christum natum,  
& immigrationem Odini in Norwegiam Sueciamque,  
vbi aeris venae primum detectae, & arma aerea fabri-  
cata, cultri praesertim rei nauticae & militiae apti,



*Saxen* dicti, vnde tanquam a re noua *Saxonibus* deinde nomen venit, qui passim in tumulis reperiuntur. Ante aeris vsus lapides rotundi & perforati fune alligati vel cuneiformes manu sola in hostes vibrati, aut baculo affixi, pro gladiis erant. Quidam securium instar formati sunt. Cultros etiam lapideos in vsu habebant. Singulorum figuras proferimus. Passim enim reperiuntur in vetustioribus tumulis, & saepius etiam fortuito in agris: Vulgus antiqui vsus ignarus, *ceratinios* appellat, putatque e coelo in mortales proiectos, quibus tamen solummodo manus humanae in hostium capita detonuere. Ossa acuminata iaculis praefigebantur, & piscium dentes acuti sagittas armabant, qui mos adhuc est extremis Lapponibus, veteris simplicitatis retinentioribus. Secures lapideas apud Americae quosdam populos *DAMPIERIVM*, celebrem apud Anglos nauarchum, adhuc nostro aeuo obseruasse memini.

### §. XXXIII.

Munimenta  
regionum &  
habitationum.

Munimenta regionum, (urbibus enim carebant) naturalia erant fluuii & amnes. Secundum hos & gens quaeuis distinguebatur, sub suis primoribus, & particulam ita discretam *gau*, Latine *pagum*, dicebant, a particula *ge*, *con* & *ae*, amnis, quasi, vt fictitio vocabulo vtar, *coamnationem* siue *terram interamensem*. Arte muniendis limitibus fossas praetendebant, & sepes viuas, virgultis asperioribus circumplantatis, quae,  
cum



cum succreuissent, leuiter semicaesa proclinabantur, implicabanturque inuicem perpetua textura, eaque interim adhuc succrescente, quo ipso firmissimae euadebant. Sepes tales *Hagen & Hecken*, nec non *Hammen* dictae, vnde adhuc plurimorum locorum, praesertim in confiniis gentium, nomen. Non procul a nobis distat *Caternhagen* vicus, quasi *Cattorum sepes* nominatus, a Cattis olim sine dubio contra incursiones Cheruscorum ibi sepe tali excitata. *Chambriuii*, qui inter *Marsos* (MELAE *Marsacios*) & Sueuos, Vandalosque a TACITO ponuntur, non alibi constitui possunt, quam circa *Hamburgum*. *Marsi* enim *Ditmarsiam* & *Stor-mariam* certissime occuparunt, *Sueui* ad *Albim*, & *Vandali* ad maris *Balthici* litus confederunt. *Chambriuios* itaque, quos STRABO *Chamabriunos*, & mox tanquam a *Chamabriunis* diuersos *Campsianos* vocat, dictos puto a sepimento, secundum *Billae* ductum in *Trauenam* protenso. *Insulae*, quas ibi *minora Albis* brachia efficiunt, ab hac sepe forte adhuc *Gamb* dicuntur, C pro more veteri H literae praefixo. Facillimus ibi *Albis* traiectus, alueo diuiso & minoribus brachiis *Billaque* pontes admittente, fluuio vero reliquo ad *Tollenspikerum* hac de causa arctiore. *Briga*, *Briua* & nunc *brügge* vel *brücke*, traiectum & iam pontem designat. Erunt itaque *Chambriuii Traiectus Albis ad sepem accolae*. Ab his deinde *Hamburgo*, celebri emporio nomen mansisse non inficias iuerim, stupendae  
 licet

licet antiquitatis hoc modo vrbs illa deueniat. Munimentum autem hoc struere potuerunt antiquissimi Cherfonesi incolae, qui tamen nihilominus Sueuicis & Vandalis gentibus tandem irruentibus in extrema & litoralia detrufi, *Frisii* postea audierunt a *ducendo fossas*, quod olim *vriesen* (q), quibus nempe aquae terras illas opprimenti viam in oceanum fecerunt. Cum Normanni postea Iutiam occupassent, & sub Danorum nomine inclaruissent, pari illi modo se contra Saxones muniuerunt, vallo & sepe Denae praetenso, & inde ad litus mari Balthico adiacens continuato, quod adhuc *Danewerc* a conditoribus nominatur, & de quo supra aliqua, plura vero de eodem in LEIBNITII Annalibus occurrunt. Priuatorum etiam villae & commorationes atque agri sepibus cingebantur, vnde tot locorum nomina in *hagen*, *ham* & *heim* terminantia. Aliquando munimentum huius generis prouinciale etiam *knick* vocabant ab infractione & incuruatione virgultorum. Limes inter Dioecesin Hildesensem & territorium Brunsvicense idem alicubi adhuc nomen seruat. Vbi autem subito hostis irrumperet, iter ei, magna arborum concaede, semitis vndique clausis, praestrueretur. Exemplum TACITVS, GREGORIUS TVRONENSIS & PAVLVS WARNEFRIDVS suppeditant.


## §. XXXIV.

(q) Vid. Praefat. nostra ad Leibnitii Collect. Etymol. p. 11. &amp; 12.

*Tab. XIII. ad. s. 64.*







colat

L

Dan

ti, c

dum

dicat

(qui

iam

na

gr

ext

rim

& E

cum

rud

rud

imp

ger

for

m

nia

An

M

§. XXXIV.

Nauticae tamen rei Oceani marisque Balthici ac-  
colae ab antiquo potissimum studuerunt, iisque

- - *pelle salum sulcare Britannum*

*Ludus, & assueto glaucum mare findere limbo.*

*Danciones* iam a PTOLEMAEO ad Vistulam memora-  
ti, quod nomen, *Danswicones* dubio procul, secun-  
dum nostrum pronunciandi modum, efferendum, in-  
dicat incolas *sinus Danorum*. Vnde certum, Danos  
(qui tunc iidem, qui *accolae Denaë*, postea *Saxones*)  
iam a longo ante PTOLOMAEVUM tempore eo loci  
navigiis suis appulisse, siue mercaturae, siue praedandi  
gratia. Quanquam ibi succinum quaesivisse, atque  
exteris nationibus vendidisse, non illubenter credide-  
rim. Nec labente demum imperio littoribus Galliae  
& Britanniae infesti esse coeperunt, vbi *littus Saxoni-*  
*cum* ab iis cognominabatur: Sed diu ante, cum adhuc  
rudiores essent, & simplicitate, quam indicaui, armo-  
rum insignes, confines Oceano terras incursionibus  
improuisis iam turbarunt. Nec alius quam nostrae  
gentis reliquias esse puto corpora illa Manibus occi-  
sorum Gallorum, si quid video, immolata, quorum  
monumentum ante aliquot annos in Gallica Norman-  
nia repertum. Eius delineationem ex Transactionibus  
Anglicanis hic damus. Descriptionem autem verbis

MONTFAUCONII, viri antiquitatum studiosissimi,

I

accu-

Nauticae ar-  
ti ab antiquo  
dediti, &  
Gallicae orae  
inuafores.

Tab. II.


accuratiorem referimus. Anno, inquit, *MDCLXXXV*.  
*Mense Julio*, vir nobilis, *Cocherellii Normanniae castri*  
*in Dioecesi Ebroicensi* patronus, binos in colle lapides  
 termini more positos, suspicatus quidpiam reconditum si-  
 gnificare, amoueri iussit. Cui rei insudantes operae in-  
 ciderunt in sepulcrum impolitum quinque ingentis molis la-  
 pidibus structum: ibi duo capita reperta, quae suppositi  
 lapides totidem, in securis formam concinnati. Alius py-  
 rites lapis erat durissimus sex septemue pollicibus longus,  
 vno atque dimidio latus, tenuissima acie, angulis pera-  
 cutis; alter subuiridis argenteis maculis distinctus, in se-  
 curis pariter ritum aptatus, ab extrema parte perfora-  
 tus, longitudine pollicum trium, latitudine duorum: est-  
 que lapis orientalis, nephritidi & epilepsiae curandae,  
 cuius rei periculum factum, idoneus. Primis hisce ca-  
 daueribus substratus lapis erat, quo summoto, alia duo  
 deprehensa corpora sunt, adpositis solito more lapideis se-  
 curibus, quae figura quidem similes, lapidum genere &  
 colore dispares erant. Hoc item loco tres urnae carbo-  
 nibus oppletae iacebant. Dum foueam circumquaque di-  
 latarent operae, sexdecim octodecimue alia corpora repe-  
 rerunt eodem situ extensa, vno ordine atque linea, ita vt  
 versus meridiem spectarent, brachiis singulorum iuxta  
 corpus extensis; capitibus suppositi lapides erant, atque  
 secures memoratis similes. Vulgaris staturae corpora e-  
 rant, contra quam a nonnullis publicatum est: verum cra-  
 nia densiora, quam soleant: aderat inter illa caput, quod  
 perfo-

perforatum duobus in locis olim fuerat, sed deinde curatis vulneribus, coalitae partes apparebant. Secures porro eadem omnes forma, sed diuersis lapidibus, fuluis scilicet, subnigris etc. Ad haec detecta sunt ossa tria, spiculi more acuta, atque ut internoscere licuit, oblongo olim baculo infixata, in hastae formam et usum. In iis unum ex equino crure dentis carnibus confectum deprehenditur. Aderant quoque sagittarum cuspides & aculei, partim eburnei, partim lapidei; quo arguitur Barbaros istos, non ferro, non aere, non metallo usos, hoc genere telorum concertasse. Ceruinum cornu inserendis defigendis securibus adornatum eductum est, in quo itidem foramen ad capulum ligneum immittendum. E latere cadauerum huiusmodi, solo octo pollicibus altiore, semiusta ossa, admixtis magna copia cineribus deprehensa sunt; ibidem congeries lapidum, in cuius medio fracta urna, cineribus carbonibusque oppleta: sublimius uno pede atque dimidio ceu stratum cineritium erat, quod memorata semiusta ossa contegebat: inter haec autem ossa, quod obseruandum, bina craniorum frustra vulgaris spissitudinis inuenta sunt. Ad angulum sinistrum lapis ingens quasi rotundus aderat, cui impositi tres alii lapides minores erant. Haecenus MONTEAUCONIVS.

§. XXXV.

Suspicio ferme, vetustissimos Chersonesi Cimbricae Picti in Britannia a Saxonibus orti. incolas altius quoque adscendisse, & Norwegiae infusos





Orcades primum, & magnam deinde Scotiae partem occupasse, *Pictorum*que nomine in Britannia inelaruiffe. *NENNIVS* prodit, hanc *Pictorum* in Britanniam irruptionem octingentis post aduentum *Bruti* (fictitii illius herois) annis contigisse, quod secundum eius quidem calculum expensum *Alexandri M.* tempora nobis reddit. Merentur verba illius a nostris nondum obseruata adscribi. *Post interuallum*, inquit, *annorum non minus DCCC Picti venerunt, & occupauerunt insulas, quae Orcades vocantur; & postea ex insulis affinitimis vastauerunt non modicas & multas regiones, occupaueruntque eas in sinistrali plaga Britanniae, & manent vsque in hodiernum diem. Ibi tertiam partem Britanniae tenuerunt & tenent vsque nunc. Saxones autem generis Pictos CLAUDIANVS* expressis verbis vocat, vbi (s) canit:

- - *maduerunt Saxone fuso*

*Orcades; incaluit Pictorum sanguine Thule.*

Quod gentis nostrae decus addere hic non inconueniens visum. *Pictorum* autem horum sermo tanto temporis spatio facile adeo immutari potuit, vt *BEDA* diuersus a Saxonico apparuerit. *GEORGIVS BVCHANANVS*, rerum *Scoticarum* luculentus descriptor, refert, harum insularum habitatores lingua a *Scotis* & *Anglis* differre, eamque, qua vtantur, a *Gothica*

(ita

(s) in *IV. Consul. Honorii.*

(ita Noruegicam vocat) non multum discrepare. At vero Noruegica lingua etiam ex Saxonica ortum nata est. THORMODVS TORFFAEVS Orcadensem historiam ante aliquot annos dedit. Vellem tamen vetera illum diligentius tractasse, & fabellas a rebus vere gestis scrupulosius separasse.

§. XXXVI.

Antiquissimi autem ex maioribus nostris nauiculis utebantur vitilibus corio circumfutis, quibus celerime maria decurrere & tempestates superare consueuerant: Lappones & Groenlandi similes adhuc cymbas habent. *Myoparones* nominabant, vt & *ascos*, ab *haschen*, credo, *currendo prebendere*, *celeriter post aliquam rem currere*. Nos simili modo nauem leuiorem & cursoriam *jagtschiff* appellamus. *Myoparones* illos vulgo *Pramen* dictos fuisse suspicor. Ita certe Belgis, Saxonum gente satis, adhuc *scaphae* nominantur. Ab harum appulsu frequentiori *Brembeimam*, siue contractius *Bremam*, appellatam fuisse, atque inde successu temporis in urbem celebrem excreuisse certus sum. Qui enim hunc locum *Fabiranum* olim audiuisse, cum EG-  
GELINGIO, viro alias docto, asserunt, PTOLEMAEVM obiter saltem inspexerunt, nec animaduenterunt, eum hoc sub nomine *Femeram* insulam, aut locum in eadem a nautis frequentatum intellexisse.


Nauiculae  
*Myoparones*,  
*asci & pramen.*

## §. XXXVII.

*Ciulas* maiores naues, & inde nomen *Cellae* & *Kilonii*. Ptolemaei loca ad littus maris Balthici sita explicata.

Maiora tandem nauigia oblonga fabricabant, quorum in expeditionibus bellicis grauioribus & mercimoniis transportandis vsus erat. *Ciulas* vel *kielas* vocabant. Huius generis naues erant, BEDA teste, quibus in Britanniam colonias suas traducebant. A statione earum vrbs Holsatiae, hospitio Academiae & nundinis annuis clara, Kilonium, atque in Luneburgensi Ducatu Principum quondam sedes Cella, in veteribus chartis *kiella* dicta, nomen habent. Valde enim falluntur, qui Cellam a Monachorum cella nescio qua vocatam haectenus putarunt. Nos eidem loco vetustatis gloriam eo libentius asserimus, quod & nostro tempore nauigiis hisce adeatur, & merces regioni nostrae necessarias Brema accipiat. Eiusdem vrbs nomen etiam in Caroli M. Capitulari anni DCCCV. secundo occurrit; vbi enim post factam Bardeuici mentionem vulgo legitur *ad Schesla*, & in vno Codice Guelferbytano *ad Skaesla*, in altero vero *aschzela*, ibi *ad Zela* vel *ad Cella* restituendum est. Cella enim inter Bardeuicum, & Magdeburgum, quae sequitur in eodem Capitulari, sita est. Kilonium PTOLEMAEVS iam *Tekeliam*, hoc est, Saxonice *tokiel* (vt nos adhuc *zum kiel* dicimus) nominat. Errant, qui eius hoc nomen de *Teclenburgo* accipiunt. Eo enim loco, vbi illud profert, loca nostri littoris, ad  
mare

mare Balthicum sita, ordine recenset, corruptissime licet nomina ipsorum proferat. Ita eius *Phileum* est insula *Fyonia*; *Setutanda* *Selandia*; *Phabiranum*, PLINIO *Fabaria*, (Romano, ut indicat nomine, a fabis ibi prouenientibus,) ut modo diximus, Femera, cum alias *Buchana* (lego *Burchana*) dicta fuerit. Et notabile, *Borg* adhuc principem Femerae locum vocari, quod PONTANVS qui *Borchum* insulam ad ostium *Amisii* iacentem interpretatur, obseruare debuisset. *Phabiranum* excipit apud PTOLOMAEVM *Treuua* a *Trauafluuio* dicta, ubi iam *Trauemunda*. *Leuphana*, quae sequitur, forte *Leuphaua* audiit; Graecum enim, & v in PTOLEMAEI editis exemplaribus subinde confusa saepius obseruari. Statuo ciuitatem hanc eo loco sitam fuisse, ubi postea *Lubeca* surrexit ad *Wakenizae* & *Trauae* confluentem. *Wackeniza* olim *Leuphaua* vel *Leuchaua* videtur dicta fuisse, quod idem est ac *Lubeck*, hoc est *annis paludis*, siue ex *palude* profluens. *Leuch* enim & *Lub* Anglo-Saxonibus *paludem* & *aua* aut *bec annem* designat. Hinc ergo *Lauphanae* nomen corruptum, quod recentiores male *Hannouerae*, ALTINGIUS etiam non recte loco *Hamburgo* vicino tribuerunt. *Lirimiris* ex *Vismiris*, quae *Vismaria* erit, prodiit, eu in  $\lambda$ , &  $\sigma$  in  $\rho$  ex incertitia scribarum corrupto. *Mariones* vtraeque congruunt in *Maringiam* siue *Mauringiam*, quomodo GEOGRAPHO RAVENNATI & PAVLO WARNEFRIDI audit regio, quae



quae Pomeraniae vicina est. Atque sic & caetera se-  
 loca maritima excipiunt apud auctorem laudatum vs-  
 que ad Vistulam in Balthicum mare se exonerantem,  
 quorum notitia per mercatores dubio procul ad Ro-  
 manos peruenit. Arma enim ipsorum nunquam eo  
 vsque penetrarunt.

### §. XXXVIII.

Quid de de-  
 functis sen-  
 tire veteres,  
 & cur iis in-  
 gentes lapi-  
 des posue-  
 rint?

Animas post corporis interitum restare, rebus-  
 que, quas homines in vita amauere, etiam post mor-  
 tem delectari maiores nostri crediderunt, vnde res in  
 vita caras vna cum mortuis aut sepeliuerunt aut com-  
 bufferunt. Prope tumulum Lubbonis Helmstadiensem  
 inuenta sunt a celeberrimo Abbate D. SCHMIDIO ani-  
 malium ossa semicombuista, quae & in aliis collibus se-  
 pulcralibus offendas. Armillae, annuli, fibulae, a-  
 cus discriminatoriae, pectines, arma, clauisque naua-  
 les inter cineres in urnis reperiuntur; aliquando & gem-  
 mae & pecunia ab hoste recepta. Nec vilibus anima-  
 bus lapides ingentes erigebantur, sed qui bellica vir-  
 tute & nobilitate conspicui fuissent, integrarum quan-  
 doque prouinciarum ope, iis supremos honores nacti  
 sunt, vt posteri memoria ipsorum ad imitationem lauda-  
 biliter gestorum incitarentur. Reliquorum sepulturam  
 cespes solummodo erigebat (t). Hoc notari meretur,  
 ingentes saxorum moles sepulcrales tumulosque nul-  
 libi

(t) TAC. *German.* cap. 27.

libi in Germania conspici frequentius, quam vbi Saxones aut commorati sunt, aut colonias habuerunt. Westphalia, Frisia, & praecipue Holfatia Iutiaeque Danorum repletae sunt his monumentis, quae in Ostphalia rariora, quia silices ibi ingentes inuentu difficiliore. Vbi enim ii maiori copia habentur, vt in Dania, Noruegia, Scania & Suecia, ibi etiam frequentiores tumulos lapideos cernas. In Holfatiae littora ab aestuante mari eiectos verosimile, nec opus est, nauibus ex Septentrione transuectos, vt IOH. DANIELIS MAIORIS opinio fuit. In Anglia etiam sex milliaribus Anglicis Sarisberia, celebre monumentum, *Stoneheng* communiter dictum, Saxones auctores habuisse credo; vnde mirandam eius structuram hic delineatam exhibere placet. Neque enim Celtis in more erat, vt tanta ambitione defunctorum memoriam conseruarent: &, si postea a Danis structum fuisset, Historici, quos Anglia, iis irrumpentibus, plures iam habebat, opus tam memorabile non reticuisissent. Lapideos autem tumulos TACITVS non commemorat, qui Saxones horumque terras nondum cognouit.

Tab. III.

## §. XXXIX.

Plebs nostra monumenta haec lapidea ob ingentia saxa in vnum congesta *Risenbetten* & *Hunnengraeber*, hoc est, *Gigantum lectos* & *Hunnorum sepulchra* vo-

K

Lapides sepulchrales ingentes neque a gigantibus, neque a gigantibus erecti.



cat, certo persuasa, auctores ipsorum viribus plus quam humanis potuisse. Quicquid enim maius solito est Hunnicum vocabant veteres, Hunnos pro gigantibus habentes, & magnitudinem rerum ab ipsis gestarum ad magnitudinem corporis erronee traducentes. **CONRINGIVS** ipse aut giganteas vires aut machinas Fontanae ad erectionem lapidum horum requirit, cumque gigantes post Diluuium Noachicum nullos reperisset, ad Antediluvianos confugit, vestis potentiae ignorantior. Procerae staturae duriorisque constitutionis omnino fuere progenitores nostri, sed neququam gigantes. Victus simplex & modicus, nec dum aromatibus, ex India malo nostro allatis, venenatus, ferior Venus, continuaque aut in bello, aut in venatione & terrae cultura exercitatio, asperitas soli syluis paludibusque occupati, vitaque a deliciis omnibus remota compactiora quidem & robustiora quoque corpora, infra tamen giganteam molem, produxit. Nec naturam decreuisse cernimus in ruriculis nostris ad morem maiorum aliquatenus adhuc viuentibus, vt adeo gigantes **THEODORVS RYCKIVS** merito eliminauerit. Sententiam eius confirmant ossium reliquiae in urnis quotidie obuiae, non maiores iis, quibus nos compacti sumus. Et si quae maiora communibus proferuntur, dubiae sunt fidei, nec constat, praesertim quando non sunt integra, an non sint ex animalibus brutis. Ossa certe praegrandia, quae in antris Baumanniano & Scharzfelden-

feldenfi atque in suburbanis Hannouerae inueniuntur, & gigantum esse dicuntur, animalium marinorum & Rosmarinorum fuere. Huius generis fuit & integrum sceleton Tiedae prope Stederburgum nuper effossum, (cuius dentem, nec tamen integrum, vna cum sceleto ignoti animalis a GERIKIO prope Quedlinburgum obseruato in aere exhibuit LEIBNITIVS \*) nec non & aliud sceleton Tonnae in Thuringia anno MDCXCV. detectum, quod TENTZELIVS elephantinum putauit. Permistae plerumque ossibus istis testae & conchilia varii generis marinam originem nobis confitentur, vti hoc iam a LEIBNITIO obseruatum.

§. XL.

Virtuti gloriose defunctorum venerationem & cultum pene diuinum tributum fuisse constat. Sepulchra inde, non apud veteres solum Graecos & Romanos, Christianosque primos, sed etiam apud maiores nostros ararum atque altarium vice fuerunt. Creditum est sine dubio, honore hoc affici defunctorum animas, atque apud Deum, cui iunctae sint, viuentibus exinde fauentiores fieri. Sunt inter Christianos, quibus haec quoque sententia hodie dum sedet. Humanis hostiis, captiuorum maxime, diis litatum fuit, TACITO teste, atque ab extis futurorum praesagia desumpta. Modum immolandi, litandi & numen adorandi discere licet ex cornu at-

Defuncti diuino pene honore culti. Alia de superstitionibus veterum ex cornu Tunderensi.

K 2

reo

\* vide *Protogaea* §. 35. tab. 12.





reo prope Tunderam anno MDCXXXIX. reperto, quod foeminam sacerdotem victimam maetantem & varios illos ritus sacros sistit. Victimam autem has hostiles non combustas, sed integras prope tumulum occisi in bello Principis sepultas fuisse conicio ex scelerato integro, quod Helmstadii prope Capellam S. Ludgeri, in Saxonia primam, repertum memini, & cuius pectus, pedes & brachia solum magnis lapidibus onerata fuerant. Ita enim ante aliquod annos inueniebantur, cum Capella illa restauraretur. Gallis similem morem fuisse ex tumulo a MONTFAUCONIO descripto colligo. Patet porro ex Cornu Tunderensi maiores nostros satyros, cynocephalosque & centauros esse credidisse: ac serpentes coluisse non secus atque AENEAS apud VIRGILIVM animam patris Anchisis in serpente veneratus est. Apparet ibi & pythionissa, siue saga, speculum magicum homini offerens, cuius superstitionis reliquiae adhuc in plebe nostra reperiuntur. Viris continuum in armis, venatione aut agricultura exercitium erat. Foeminis sacrorum curam relinquebant, eorumque consilia non spernebant, sed potius sapientiam venerabantur. Quae totae, vt apud Gallos Druidae, sacris deditae erant, *weise frauen*, hoc est, *sapientes foeminae*, a vestium colore etiam *weisse frauen*, Sax. *witte frunven*, hoc est, *albae*, dicebantur. Vnde fabula de apparitione foeminae albae mortem illustrium personarum in locis quibusdam

busdam praefagientis arcessenda. Poculorum loco cornua veteribus erant, ex quibus inter conuiuia, quae communibus consiliis capiendis destinata, & inter sacra quoque bibebant, vnde formula loquendi *unum cornu cum aliquo inflare*, quod est socium alicuius, & consiliorum participem esse. Vir cornu tale manu gerens in circulo secundo Cornu aurei exhibetur. Videas & in circulo postremo geminas *boas* Germ. *Vncken* dictas, quarum reuerentia simplicioribus haeret. Putant esse genios, & quando vident in conclauius aliquantum terrae egestum, audiuntque sonitum acutiorem, illos adesse & bona portendere somniant; cum interim sonum illum & terrae egestionem a foricibus fieri eruditi nuper obseruarint. Sed effigies vetustissimi monumenti danda est, quod OLAVS WORMIVS (u) EN-  
 VAEDVS RANDVLFVS (w) & TROGILLVS ARNKIELVS (x) fusius descripserunt. Epistomium cochleatum Christianus V. electus tunc in spem successionis Regni Danici Princeps addi curauit, vt poculi vsum habere posset, cum alias tubae bellicae officium praestitisse wormio videatur; quanquam ego non negauerim, etiam olim epistomio clausum poculi vices subiisse. Figurarum circulos septem continet, vt agnoscas numerum septenarium apud veteres sacrum fuisse. Vnde & *septem scabinos* Comiti

Tab. IV.


K 3

ex

(u) *Monument. Dan. lib. V. p. 351. seqq.*

(w) *in dissert. Tuba Danica appellata.*

(x) *Cimbriae ethnicae T. II.*



ex vetusta consuetudine adiungunt Leges Carolinae (7). Impar numerus necessarius erat, ne vota paria iudicium impedirent; & septenarius placuit, quia non adeo facile aut sperni, aut corrumpi potuit, quam quinarium aut ternarium, nec tamen eius collectio adeo difficilis esset, quam reliqui numeri impares maiores. In consultationibus communibus forte etiam maiores gentis per septenarios distincti sententiam dixerunt, & (quoniam omnes eiusmodi conuentus inter pocula habebantur) cornu Tunderense videtur fuisse cuiusdam ex primoribus gentis, qui eo in conuentibus solennibus cum suis assessoribus siue scabinis, belli vero tempore, remoto epistomio tubae loco usus fuit. Magnitudinem quod concernit, ut verbis WORMII, testis oculati, utar, rotundum cum sit & incuruum, pro sua sui parte longitudine aequat pedes duos Romanos cum quinque pollicibus, supina pedes duos cum pollice uno. Linea recta ab una extremitate transversim ad alteram ducta, pedem continet unum & pollices novem. Orificium maius, ex quo bibitur, in circumferentia praecise pedem habet unum, in diametro pollices quatuor. Minus quod cochlea iam clauditur, ambitu quatuor est pollicum, in diametro unius cum semisse ferme.

## §. XLI.

(7) *Capitular. lib. III, c. 484*

§. XLI.

Sed cornu hoc relicto distinctius res in tumulis & In tumulis  
 urnis repertae, & quidem primo lapideae nobis sunt & urnis ve-  
 considerandae. Aeri haec incisa a nobis habes, & sub tustissimis la-  
 pidea vren-  
 numeris I. II. III. vides cuneos in Holsatia detectos, (z) filia inuenta.  
 nec apud nos raros, de quorum usu paulo ante disse- Tab. V.  
 ruimus. Aliqui eruditorum *secures* vocant. Certe se-  
 curium maiorum forma ab iis desumpta videtur. Fi-  
 gura ab his differunt, qui sequuntur sub num. IV. V.  
 & VI. in Westphalia a NUNNINGIO cruti (a). Qui  
 num. VII. sistitur, etiam NUNNINGIVM inventorem  
 habuit (b); & qui exhibetur num. VIII. in Fyonia in-  
 sula cum pluribus aliis prope defunctorum cineres re-  
 pertus est (c). Uterque perforatus est ad baculum in-  
 figendum, quo mallei bellici, vulgo *Streithammer* dicti,  
 loco esse possit. Sequuntur num. IX. & X. duo globi la-  
 pidei perforati in Holsatia inuenti (d), quorum etiam  
 usus in bello fuit. Fune enim alligati hostium capiti-  
 bus immittebantur. Nec dissimili bellico instrumen-  
 to Iohannes Ziska suo adhuc tempore usus est, ut cer-  
 nere est ex figura a MAIORE in libello *de migrationi-*  
*bus*

(z) MAIOR *de Migrat. Cimbror. p. 43. ARNKIEL, Cimbr. Ethn. lib. I. p. 166.*

(a) *Sepulchres. Westphal. p. 46. & p. 44.*

(b) *l. c. p. 44.*

(c) *Nova literaria maris Baltici 1700. p. 343.*

(d) MAIOR *l. c. p. 46. Nova lit. maris Balt. anni 1699. p. 98.*



*bus Cimbrorum* (e) producta. Vbi mireris oportet, veterum patientiam in acuendis & perforandis lapidibus durissimis, quae res etiam nobis, machinis non vnis eam in rem instructis, molestiam non paruum facessit. Num. XI. XII. hastas lapideas ex RVDBEKII delineatione sistimus (f), similes iis, quas in circulo Cornu Tunderensis altero obseruamus, quibusque communis pugnatum fuisse breuitas manubrii indicat. Cultri Lapidei duo sunt num. XIII. & XIV. priorem RVDBEKIVS loco citato produxit, alterum Holsatia seruauit (g). Lapis Num. XV. delineatus, a MAIORE pro cultro sacro habetur; sed existimo potius esse cuspidem, quoniam cum numeris XVI. & XVII. non parum conuenit, quibus sistitur effigies lapidum Cerauniorum in Museo Moscardi asseruatorum, quos MONTFAUCONIVS lapidibus barbarorum capitibus in monumento Normannico suppositis similes esse retulit. Frequenter apud nos quoque in tumulis & hae & caeterae res a nobis recensitae occurrunt. Nos in Cimbrica Chersoneso detecta eo lubentius referimus, quoniam ibi primae maiorum nostrorum sedes fuerunt. Obserues tamen hic gentium consensum communem, quibus prima monumenta lapides, & prima arma utensiliaque lapidea fuere, vbi adhuc arte scribendi & scititia

(e) p. 48.

(f) RVDBEK. *Atlant.* T. 1. p. 652.

(g) ARNKIEL. l. c. p. 166.

tia rerum metallicarum caruere. Exempla in re obuia ex profanis scriptoribus non affero, vbi ex Sacrarum litterarum Codice, antiquissimo sane monumento, hauriri possunt. Cultri lapidei, quando cum aereis, & tandem ferreis commutati fuissent in re domestica, in sacris manserunt, quae non temere etiam in minimis mutationem admittunt. Et cultri sacri, quibus circumcisio fit apud Iudaeos etiam nostro adhuc aevo lapidei existunt. Ita vestitus personarum sacra administrantium, variorumque huius temporis Ordinum religiosorum aliquando communis vsus & consuetudinis fuit, sed obsoletus pro sacro habetur. Notes autem lapidea hic arma ob spatii defectum dimidia sui parte minora fisti.

§. XLII.

Lapideis armis apud omnes successere aerea. Hebraeorum, Graecorum & Romanorum hac in re morem antiquarii exponunt. Nos idem institutum secuti sumus. Gladios cupreos in Holfatia repertos tres sistimus. Primi magnitudo quadruplo maior, quam nos exhibuimus, erat, reliquos dimidio minores dedimus; quod & in plerisque aliis hic exhibitis rebus obseruatum. Prope illum, qui numero II. insignitus est, atque in Rensburgi vicinia latuit, inuenti fuere complures nummi Imperatorum Romanorum seculi primi & secundi; vnde ad heroem expeditionibus contra Romanos clarum pertinuisse conicias. Num. IV. V. VI.

*Aerea in vrbis vtilia.*

Tab. VI.

L

cultri



cultri aerei etiam dimidio minores, apparent; sed num. VII. cuspis hastae aenea iusta sua magnitudine. Numero VIII. extat nouacula, num. IX. X. XI. XII. XIII. acus discriminales variae, num. XIV. & XV. forcipes ad euellendos crines, & num. XVI. instrumentum ad discriminandos forte capillos; omnia dimidio minora. Magnitudinem vero suam reliquimus num. XVII. circulo ad continendos capillos cum suo cultro & acu discriminatoriis, ac num. XVIII. instrumento ad fibulam pertinenti. Omnia haec sunt ex aere. Armilla, quam num. XIX. damus, aurea est, & sine dubio spoliū a Romanis acceptum: Aerae plures inueniuntur, quas praetermisimus. Annulus spiralis sub num. XX. positus, etiam est aureus, atque vna cum armilla in Holsatia repertus (b). Amplissimus **KELPIVS**, Canonicus Rameslouiensis, atque antiquitatum harum curiosus scrutator, testatus mihi est, se aliquando in Ducatu Bremensi inuenisse anulum aureum vnae insertum, litteris LOLI. LOLI. LOLI. inscriptum. Num. XXI. dedimus bullam aeream, cuius circulo medio forte gemma inclusa fuit igne sepulchrali liquefacta. Saxones bullas tales amuleti loco gestasse coniiicio ex elegantissima bulla aurea cum incluso crystallo effigiem Regis duo scepra manibus tenentis sistente, atque Aelfredi, Regis Angliae, iussu confecta, cuius imaginem

(b) *Nona Lit. maris Baltb. 1699. p. 93. sq.*

ginem HICKESIUS (i) & post eum WOTTONVS (k) dedere. Vix enim alium, quam vt a collo pependit, vsum habere potuit. Omnia vero quae protulimus, in Holsatia iterum inter cineres inuenta fuisse scias (l). Num. XXII. delineauimus gemmam, quibus boues iuncti sunt incisi, coloniae signum. Hanc forte fieri curauit Romanus miles partem eam Germaniae Romanorum coloniam futuram frustra praesagens. Erepta eidem a Germano cum huius cinere condita fuit prope Ihorstium, Vechtensis praefecturae locum, non procul a Dummera lacu. Detexit NVNNGIUS, qui & armillas ex candidis & rubris lapillis connexas num. XXIII. & cuspidem hastae ferreae, a Romanis fabricatae, num. XXIV. in urnis reperit (m). Omittimus claues nauales, cotes & alia, quae in sepulchris veteribus frequenter occurrunt, praecipua annotasse contenti.

§. XLIII.

Vrnarum ipsarum structuram & formam varii apud nos exposuerunt, nec in re nota Lectores detinere animus est: Tumulos apud nos sepulchrales MAIOR, ARNKIELVS, NVNNGIUS & plures alii de-

Tumuli  
Buelckenfis  
& Helmstadi-  
ensis.

L 2

linea-

(i) *Grammat. Anglo-Sax.* p. 142.

(k) *Conspect. Operis Hicestani* p. 18. 59.

(l) MAIOR *l. c.* p. 68. 69. 70. 71. 72. ARNKIEL. *l. c.* p. 56. 57. 599.  
*Nou. Literar. maris Baltb. l. l. c. c.*

(m) NVNNG. *l. c.* p. 46.





Tab. VII. linearunt. Nos in specimen damus tumulos Buel-  
 & ckensem Holfatiae, & Helmstadiensem Ostphaliae no-  
 Tab. VIII. strae; ille celeberrimi MAIORIS, (n) hic magni CON-  
 RINGII (o) descriptionem meruit, atque, vt ipsi ob-  
 seruauimus, triplici lapidum maiorum circulo constitit.  
 Maximi omnium medium tenent locum, quibus qua-  
 tuor ingentia saxa super incumbunt, stupendo labore  
 eleuata. Versus viam publicam aliquot alios tumu-  
 los, partim disiectos, adfitos habet. In vno horum  
 Vir Summe Reuerendus D. Ioh. Andr. Schmidius,  
 Abbas Marienthalensis & SS. Theologiae in Acade-  
 mia Iulia Professor, vt supra iam tetigimus, carbo-  
 nes & ossa equina inuenit. Equi enim, arma &  
 quicquid carum erat, vna cum cadauere domini  
 comburebantur. *Lubbonis saxum* Helmstadienses  
 appellant. Vnde suspicio est, heroem hic sepultum  
 cum suis *Luberti* nomen habuisse. Et cecidit for-  
 te in bello Saxonum contra Thuringos. Nam Hel-  
 mestadium in finibus Northuringiae & Saxoniae situm  
 est, & praelium ibi magnum olim commissum, la-  
 pides sepulchrales in hoc & vicinis collibus plures e-  
 uincunt, cum in reliqua regione vix vnus & alter in-  
 ueniatur.

#### §. XLIV.

Tumulis ad-  
 iecti Luci.

Ad tumulos defunctorum sacra celebrata iam di-  
 ximus. Ea vero cum aptius in Lucis peragi crederet  
 anti-

(n) l. c. p. 42.

(o) In libro de antiquissimo Helmstadii statu.

antiquitas, solitudine & obscuritate ipsa venerationem incutiente, inde aliquando tumultis & luci adiecti fuerunt. Delineavit talem MELLENIUS, Antistes Lubecensis (p), quem hic inferi quoque dignum duximus. Vocatus is est *de Brut-camp*, atque in Ditmarsia australi ad vicum Albersdorf in confiniis Holsatiae iacet. Lucos hos Anglo-Saxones *bearbge*, *bearb* vocasse ex SOMNERI & BENSONII Lexicis discimus. Nec improbabile est, inde sylvam Helmstadium inter & Marienthalium, nec procul a monumentis Lubbonis & aliorum sitam, nomen *Haerckling*, quod hodie gerit, fortitam, atque olim lucum seu fanum gentile fuisse. Magnus certe gentilium Deorum cultus circa Helmstadium fuisse oportet, vbi Ludgero, Abbati Werthinensi atque Episcopo Monasteriensi, primam in Saxonia nostra ecclesiam fundari necessarium visum fuit. Tab. IX.

§. XLV.

Ipsi maiores nostri, ex quo in gentem crevere, non secus ac caeteri Germani, in *Adelings* siue nobiles natu, *Frilingos* siue liberos, & *Lazos* aut *Litos* siue colonos, discreti fuerunt. Durat distinctio haec ad nostra vsque tempora. Adelings iam Principes voces, Frilingos caeteros Nobiles. Poloni eo modo maiores minoresque Nobiles habent solis fortunae bonis distinctos, caetera pares. Lazos, tenuior conditio.

Hominum in Germania vetere varia conditio.

L 3

tio

(p) *Nova lit. mar. Balb. 1699. p. 286. seq.*

tio aut bellum Adelingis & Frilingis ita subiecit, vt vita sola, bonis vero, nisi gratia dominorum, nullis gauisi sint, & coloni tantum sui agri, non possessores fuerint. Tertium tandem *ingenuorum* genus, medium inter Frilingos & Lazos vrbibus extructis & habitatoribus eorum per priuilegia veluti manumissis, *Burgariorum* nomine ortum est, vetustis temporibus ignotum. Vrbes enim nullas colebant, & vetustissimae, quas iam Germania habet, in vltioribus Rheni, Danubiique litoribus, sitae atque a Romanis demum aedificatae sunt. Reliquae post Christianorum sacrorum introductionem paulatim surrexere.

§. XLVI.

De habitationibus veterum, earumque appellationibus.

Primis temporibus discreti ac diuersi habitauerunt progenitores nostri. Formam perspicias aliquantum adhuc in Saxoniae nostrae Langenhaga, Catternhaga & tot aliis praecipue Luneburgensis Ducatus locis, vbi singulis aedibus agri & prata ad eas pertinentia adsitae sunt, vt vici interdum per vnum aut duo milliaria nostra iaceant protensi. Occasionem quisque, a fonte, campo aut nemore, quod placuit, primo sumsit, quod praeter TACITVM & nomina locorum produnt. Vbi quis sedem fixerat, is locus statt vel stette praeposito possessoris nomine vocatus est; vt *Oldenstat*, statio locus vel sedes vetus; *Neustat*, sedes noua, *Helmstet*, Helmonis vel Helmwardi sedes, siue etiam locus ad Elmum syluam,

fyluam, *Scheppenstet*, Scabinorum sedes, *Engelstet*, Engilonis sedes, *Emmerstet*, Emerici sedes, *Halberstat* Alberti sedes. A nuda interdum possessione quoque habitacionibus suis nomina sua in *igen* vel *ingen* terminata dederunt. *Igan* enim vel *eigan* veteribus *habere*, *possidere*, denotauit. Hinc *Ricklingen* est Richelonis vel Richelmi possessio, *Kneitlingen*, (Vlenspiegeli, histrionis famosi, patria,) *knecht* vel ministri possessio, *Duingen*, Duuonis possessio. Qui hanc terminationem plurimorum extra Saxoniam etiam locorum aliunde hactenus deflectere conati sunt, eos errasse scias, vt facile fit ab iis, qui in originatione vocum, veteris linguae notitia destituti, solo ingenio nituntur. Aliqua loca terminantur in *büttel*, quod a *biten*, *beiten*, commorari, deductum, *commorationem* vel *sedem* designat, vbi *Wolfenbüttel*, commorationem Welfonis; *Isenbüttel*, commorationem Isonis, *Binnenbüttel*, commorationem Binnonis. *Leben* antiquum, pro quo iam compositum *bleiben* obtinet, vicinac est significationis & *manere* reddi debet. Inde substantiuum *leben* est *mansio*; & *Fallerleben*, mansio Waltheri, *Germerleben*, Germeri mansio, *Arxleben*, Erichonis mansio. Quidam suas domus a secessu nominabant, qui Saxonibus *horn* & olim *ern*. Inde *Gifhorn*, Genonis secessus, *Stubbekeshorn*, Stubekeni secessus, *Wolfeshorn*, (locus in angulo quodam ciuitatis Hannoverae) Weluonis secessus vel angulus, *Golthorn* & *Goltern*, Goldonis secessus. Germanos veteres etiam subter-



subterraneos specus aperuisse eosque fimo onerasse, suffugium hiemi & receptaculum frugibus, TACITVS testatur. Idem mos nostra in patria obtinuit, vt nomina locorum in *hole*, quod *specum* denotat, exeuntia produnt. Extant apud nos *Brunsole*, Brunonis specus, atque in veteri de finibus Hildesheimensis dioeceseos Charta a LEIBNITIO publicata *Einbergoffole*, *Wilansole*, *Meunressol*, quae *Einbergi*, *Wilani*, & *Meinberi antrum* interpreteris. Situs ostendit, vltimum illud *Meunressol* esse oppidum *Meinersen* ad Obacrum fluuium situm. Spatium habitationis aliqui aduersus vicinorum iniurias sepi & fossa cingebant, vnde tot vicorum nomina in *beim* & *hagen* exeuntia, quae vulgo mire aliquando corrumpuntur. Vbi vero solum iniquius parciore fructus redderet, atque ita quis ad sustentandam familiam distentioem agri tractum excolere cogeretur, separatim in commodis locis frugum foenique conditoria struxerunt, eaque *Borchstaelle* & contracte *bostela bergen*, condere, in tuto locare, & *stall*, stabulum, locus vbi quid locari potest, nominarunt. In Luneburgensi ditione hoc modo adhuc horrea longius aliquando a vicis posita offendes. Quaedam autem huius generis conditoria successu temporis adpositis colorum aedibus in vicos excreuere; vnde tot apud nos vicorum nomina in *bostel* finientia, vt *Engelbostel*, *Engelberti conditorum*, *Bestenbostel*, *Bestonis conditorium*, *Falenbostel*, *Walonis conditorium* & similia occurrunt.

Runæ

a    b    c    d    e    f

K<sup>asc</sup> B<sup>yrith</sup> P<sup>chen</sup> M<sup>thorn</sup> M<sup>ech</sup> P<sup>fech</sup>

Runæ

a    b    c    d

K<sup>asc</sup> B<sup>yrith</sup> P<sup>chen</sup> M<sup>thorn</sup>

n    o    p    q

*[A large sheet of paper is pasted over the left page, containing faint, mostly illegible handwritten text in a medieval script. The text appears to be organized in columns and rows, possibly representing a cipher or a list of words.]*

*[The right page contains several rows of faint, handwritten text in a medieval script. The text is mostly illegible but appears to be organized in columns and rows, possibly representing a cipher or a list of words. There are some distinct characters and symbols visible, such as 'M', 'P', and 'Y'.]*

Runæ in Msto veteri a Lazio repertæ.

a b c d e f g h i k l m n o p  
 K asc B byrith P chon M thorn M ech P fech X gibu X hagale I hris X childe M lagu M man X not K othil K perc

Runæ a Rabano Mauro annotatæ.

a b c d e f g h i k l m  
 K asc B birith P chon M thorn M ech P fech X gibu X hagale I hris X gile M lagu M man  
 n o p q r f t u x y z  
 P not K othil K perc Y chon R rehil P sugil T tac D hur M halach Y huyri Y ziu

Alphabeta 3 quæ habentur ad calcem libri Hrabani Mauri de compito, in antiqua Cod. MS. Exoniensis Ecclesie.

a b c d e f g h i k l m n o p q r s t u x y z  
 NB h MMY X NI Y I M I N E X R Y t N H Y N.  
 NB h MMY \* NI Y I M I N E X R Y t N H Y N.  
 NB h M Y Y I X I M I X B h R Y t A X Y S.  
 PAX VOBISCVM ET SALVS PAX.  
 HRY HEBI H M M Y H R M Y HRY

supersunt istæ.

Z X I E.  
 3 X I E.

Alphabeta Septem in Codice Ratisbonensi membranaceo seculi Undecimi repertæ.  
 1. HEBRAÏCE. 2. SYRIACE. 3. ARABICE. 4. ÆGYPTIACE. 5. GOTHICE. 6. CHALDAÏCE. 7. ALANICE.

W						
â Z aloph	a K ac	a K asc	a X atahc	a F atahc	a A alm	a X alm
b Z beth	b B berg	a X caar	b L binrchin	b T binrchin	b d bem	b S bem
b H beth	c h con	b T bica	c X cinohc	c X cinohc	c & cem	c A cem
g Z gimel	d p dorn	b B berith	d b Dmain	d E dinain	d F dem	d M dem
g Y gemel	e Y ear	c L caon	e X eri	e F eri	e L ethrin	e N ethrin
d G dolohc	f Z feb	d F doro	f H fin	f V fm	f M fethim	f T fethim
e T he	g X gebo	e X cor	g Z gomor	g F gomor	g C gyth	g F gyth
e T he	h N hagat	f X feu	h T heletha	h A heletha	h K hikt	h N
du W uau	i I y	g X geur	i Y iamin	i H iamin	i C itohim	i C
u L uau	i A calc	h X heil	k A Kattha	k H Kattha	k S kam	k F
z B zai	k B ker	i Y ios	l V luzaminus	l X luzaminus	l Z lathim	l P
z H zai	k T xi	k X keir	m U mihe	m Y mihe	m T moim	m M
t O the	l T lago	l F lin	n D naim	n V naim	n F nithoin	n X
t S the	m M man	m M men	o O oldath	o H oldath	o Y olph	o R
i T ioht	n T nod	n F naut	p Y pilon	p T pilon	p F pifas	p M
c G chapth	o X odil	n T net	q P quin	q Y quin	q A quimit	q P
h V chi	p M perð	o N of	r V iron	r A iron	r Y ir	r F
l Z lame	q B qur	p B peru	s S sicon	s H sicon	s S seith	s T
m W mem	r H rat	q M quor	t P tela	t V tela	t B tiot wrot	t A
m W mem	s H figo	r F tir	u Y ur	u Q ur	x Y xith	
n S mun	t T tac	s K sol	x X xiron	x T xiron	y S yn	
f Y samet	u D iur	t V tau	y Y yph	y H yph	z B ziph	
c V ain	x Y clux	u N ur	z Z zam	z H zain	r E rofi	
f O fe	y F ine	x X elx	o thu			
f O sad						
c P cof						
r V reg						
f B fen						
t T tau						

*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*

cur  
sen a  
men  
pron  
demiss  
vltim  
mens  
plures  
essent  
trep &  
cet ae  
cimu  
Nor  
HY  
tibus  
Lamjs  
idem  
redel  
del, La  
nim h  
non ta  
Omni  
nant. C  
& bru  
fons,  
habita  
vici A



currunt. Interdum domus suas simpliciter *bus et husen* ab *hüen*, condere, occultare, dixerunt; cuius tamen vocis prima syllaba saepius absorpta est a citatius pronuntiantibus, id quod apparet in *Algermissen*, *Edemissen*, *Bennigsen*, *Ebersen*, *Winsen*, *Artzen*, quod vltimum in Descriptione finium Episcopatus Hildesemensis *Ardistesbusen* scriptum est. Locum vero, vbi plures colonorum domus ab vno domino coniunctae essent, *dorp & dorf*, aut antiquius *thorp*, *throp*, *threp*, *trep & trop* nominarunt, hoc est, *congregationem*, scilicet aedium. *Trop* vulgo adhuc viuentium gregem dicimus. Terminatio locorum in *dorp* etiam in Galliae Normannia offenditur, eo vel a Normannis, vel, vt H V E T I V S putat, a veteribus Saxonibus allata. A fontibus specialiter vocantur *Hallersprinck*, fons Halerae, *Lamsprinck*, fons Lammae; item in *wedel* finientia, quod idem est ac nunc vsitatum *qwelle*, scaturigo; vt *Burchwedel*, Arcis vel etiam Burchardi scaturigo, *Langenwedel*, Langonis scaturigo, *Soltwedel*, salis scaturigo. Licet enim hoc vltimo in loco nostro aeuo nihil salis appareat, non tamen inde sequitur, nec olim tale quid hic fuisse. Omnium rerum vicissitudo est, nec fontes perpetuo manant. Qui fons depressius situs aquam in altum attollit *born & brunne* nobis audit. Hinc *Amelungsborn*, Amelungi fons, *Quickborn*, viuus fons, *Bornheim*, vulgo *Borne*, habitatio ad fontem. A *beke*, *bach*, amnis, dicuntur vici *Hastenbeke*, Hastonis amnis, & contracta *Walpke*,

amnis syluestris, *Barmke*, amnis tenuis, *Repke*, hin-  
 nulorum amnis. A traiectu fluuiorum & amnium ad-  
 dita loca aliquando nominata sunt. Vadum autem vel  
 traiectus nobis & veteribus Anglo-Saxonibus *lede*, GIB-  
 SONIO indice, audiit; vnde *Gitlede* & locus ad Lei-  
 nam *Leda* vel zum *Lied* vocatus est. Traiectum notio-  
 re vocabulo *brücke* & *brügge* appellamus, vnde *Stein-  
 brugge*, *Brüggen*, *Coppenbrügge* & alia restant. Ad pa-  
 ludes constitutae villae in *mor*, palus, plerumque ex-  
 eunt. *Limmer* est Linæ palus, *Botmer*, Bodonis palus,  
*Redmer* Redonis palus. Solo circumfluo & herbido adia-  
 centes in *auē* finiuntur, vt *Blumenau*, Blumonis pratum.  
*Stoltenau*, Stoltonis pratum. Ad litus sita interdum ab  
 eo nomen traxere. *Nienouer* est nona ripa, *Hanouer*  
 alta ripa, & infaniunt, qui a fictio SAXONIS GRAM-  
 MATICI gigante Haneso originem nominis huius  
 arcessunt. Nostrae sententiae fauent loca Italiae *Alta-  
 ripa* & *Ripalto*, Galliaeque multiplex *Hauteriuē*. Et in  
 vetustissimis monumentis & nummis quoque vrbs haec  
 nostrasemper *Honouere* scripta reperitur. Qui riparum  
 vel litorum recessus incolebant, mansiones suas *wic*  
 cognominabant. *Brunswic* hinc Brunonis recessum, *Bar-  
 deric* Bardonis vel Bardorum siue Longobardorum re-  
 cessum, *Osterrwic* Orientalem recessum designat. Vbi in-  
 sula habitabatur, inde denominatio loci desumebatur,  
*Marienwerder* S. Mariae insulam & *Bodenwerder* Bodonis  
 insulam

insulam denotat. Campi conditio non minus sedibus hominum coniunctis appellationem tribuit, quod tot locorum nomina in *feld* & aliqua in *acker* finientia euincunt. Vbi in solo depresso vicus altiore loco constitueretur, ille *horst* plerumque dictus est, quomodo fructea, virgulta & quicquid moderatius assurgit in planitie, nominamus. *Grauenhorst*, Comitum virgultum, *Hafelhorst*, corylorum virgultum, *Eickhorst* Eikonis virgultum significat. Cognata est vox *lobe*, *lo*, collem aut syluam recenter assurgentem denotans, quae occurrit in *Eberlob*, Eberhardi collis, *Mandelslob*, Mandeli collis, *Timmerlob* vel *Timmerla*, Ditmari collis, *Ramsla*, Remberti collis, *Hadeln* olim *Hatuloba*, Hattonis collis, *Lutterlob*, collis ad amnem Lutteram; falluntur enim, qui nomen vici huius Luneburgici a Lothario Imp. hic, si Diis placet, nato arcessunt. In *berg* exeuntia & vulgo nota non commemoro. Cognata sunt, quae in *burg* exeunt. Burgi enim siue castella veterum in montibus aedificabantur. *Luneburgum* inter haec eminent; non a Luna fluuio, sed a veteri *lune*, ericetum, dicta: vnde & proximum Virginum Coenobium *Luna* vocatum est. Quanquam icuncula Dei Luni vetusti operis Luneburgi ante aliquot annos effossa, idolo Lunae, quod *BO-THO* in Chronico sistit, similis, ostendat, olim lunam ibi cultam. Imaginem idoli forte miles Longobardus inter Romanos merens, nactus, conterraneis suis attulit, & venerandam exposuit. In columna marmorea

Tab. X.



in monte Calcario constitutam fuisse tradunt, & ostenditur illa adhuc in Ecclesia S. Iohannis. *Laer* illud in Goslariae nomine plerique ex *lager*, castra, contractum somniant, cum tamen nondum demonstrarint, castra ibi vnquam fuisse. Ego idem cum Belgico *laer* esse existimo, quo *solitudo*, *locus incultus*, insignitur. Incultum autem & sterile fuisse montanorum Goslariae solum situs ipse persuadet. Significat ergo *solitudinem ad Gosam*, vt *Fritzlar*, Friderici solitudinem, *Wetzlar*, *Wetzonis* desertum. Primos porro habitatores arborum & fruticum eradicatione ab initio terram cultam reddidisse indicant nobis tot nomina locorum in *rode* terminata, quod nouale eradicatis syluis factum designat. Nota sunt *Walsrode*, *Walonis* nouale; *Abbenrode*, *Abbonis* vel *Abbatis* nouale; *Osteroda*, orientale nouale; *Werningeroda*, *Werningeri* nouale.

#### §. XLVII.

Ratio simplex aedificandi apud veteres.

Fortuito itaque vici & oppida nata sunt, & primae quoque aedes simplicissimae fuerunt, nec vltra miserrimorum tuguriolorum modum; palis nempe aliquibus decussatim terrae infixis. Hi vimineis vinculis connexi in summitate bicornes furcas, siue, vt cum VIRGILIO loquar, ceruos efficiebant, fastigium & firmamentum domus, quibus superimposita trabecula omnia connectebat. A figura hac furcae nos culmen adhuc *giebel*, *gipfel* & Saxonice *geuel*; atque a trabecula

cusa illa, cui gallus, animal non admodum summa petens, cum suis gallinis infidebat olim, summum tecti tignum, quod a fastigio vno ad alterum pertingit *den hanebalken* nuncupamus, vel ipsis his vocibus veteris simplicitatis testibus. Tectum e culmo aut fronde constabat. De reliquis *CLVVERIVS* fusius: nos ad migrationes maiorum redimus.

§. XLVIII.

Primi, vt dictum est, Germaniae incolae litora maris Balthici Germanicique secuti videntur Qui post eos venire per mediterranea Poloniae Germaniam, vbi nunc sunt Electoratus Brandenburgici terrae, intrarunt, Vistula, Viadroque traiectis. Terram syluis abiegnis pineisque obsitam, exustione arborum cultam paulisper redditam fuisse, ex nomine *Sueuorum*, ipsis ibi primum indito concludo, quod a *sveden* siue *siveen*, exurere, deductum, *sylvarum exustores* designat. Et notabile est, spatia, vbi arbores, agri ibi faciendi causa, exustae sunt, in Silesiae & Marchiae quibusdam locis cognatae originis voce adhuc *Schwaden*, in Suecia vero *Swedland*, nominari. Substitisse hic aliquantum debuerunt maiores nostri, antequam Albim transfirent reliquamque Germaniam implerent, litorum etiam incolis alicubi remotis. Coloniis omnibus egressis residui a solo, quod inter Albim & Viadrum inhabitarunt, arenoso *Sueui Semnones* cognominati, Tab. XL

Quomodo in nostras regiones maiores nostri venerint. Soli conditio. Et Sueviae veteris descriptio.




gloriam antiquitatis conferuarunt, seque vetustissimos nobilissimosque Sueuorum, TACITI adhuc aetate (q) memorarunt. *Fides* inquit ille, *antiquitatis religione firmatur. Stato tempore in syluam auguriis patrum & prisca formidine sacram, omnes eiusdem sanguinis populi legationibus coeunt, caesoque publice homine celebrant barbari ritus horrenda primordia. Est & alia luco reuerentia. Nemo nisi vinculo ligatus ingreditur, ut minor, & potestatem numinis prae se ferens, si forte prolapsus est, attolli & insurgere haud licitum per humum euoluuntur: eoque omnis superstitio respicit, tanquam inde initia gentis, ibi regnator omnium Deus, caetera subiecta atque patentia. Adicit auctoritatem fortuna Semnonum, centum pagis habitantur: magnoque corpore efficitur, ut se Sueuorum caput credant.* Haec TACITVS de antiquitate Semnonum. Quod si singulas gentes percurras, obuiam fiunt primo *Catti* & qui supra eos ad Rhenum habitarunt, a CAESARE & STRABONE *Sueui* non sine causa vocati. A *Cattis Bataui* caeterique fere Germaniae inferioris habitatores ortum traxerunt. *Marcomannos, Hermunduros* (Herminonum forte reliquias) & *Longobardos* STRABO *Sueuos* facit, cum quo TACITVS consentit; & STRABO quidem prodit, Longobardos suo tempore Albim transgressos a finitimis populis pulsos, cum antea ultra eum habitarent: Sequeretur inde intermedios *Cheruscos*, siue *Werrae* vel *Vifur-*

(q) *De mor. Germ. cap. 39.*



Tab. XV. ad S. 05.



Vil  
etia  
deri  
ding  
pare  
Rend  
nia m  
muta  
burgi  
pro q  
Herd  
Aua  
ten  
rulis  
curru  
pulos  
non a  
merci  
glos p  
tenfos.  
TAC  
plus p  
LEMA  
lufam  
in Sue  
bant:



Visurgis accolas & *Fosos* ad *Fusam* nostrum locandos  
 etiam *Sueuici generis* fuisse, licet id veteres non prodiderint  
 authores. Post Longobardos **TACITVS** *Reudingos*,  
*Auiones*, *Anglos* & *Varinos* recenset; vnde patet,  
 vicinos fuisse his & *Cheruscis*. **CLVVERIVS** *Reudingos*  
 in *Deuringos* audacissime transformat & omnia mire confundit.  
 Nobis videtur vnica litera *R* in *H* mutata legendum  
*Heudingi*, vt incolae *Ericeti Luneburgici*, nobis *Heide* dicti,  
 denotentur. *Auiones*, pro quibus erronee alii *Chaibones*  
 & *Cauiones* habent, *Heudingorum* vicini, ab *Elminauia*  
 fluuio, qui olim *Aua* audiit, nomen sortiti, & ad *Albim*  
 fere vsque extensi coluerunt. **MAMERTINVS** Panegyrista  
 eos *Herulis* coniungit: & hi statim in altero *Albis* litore  
 occurrunt, a **TACITO** licet praetermissi, qui praeter  
 populos inter *Rhenum* & *Albim*, quos bellum detexerat,  
 non alios cognouit, quam litorales & Romanis ex  
 commerciis notos. Hinc *Auionibus* statim subiungit  
*Anglos* per litus *Holsatiae* dextrum ad *Wagriam* vsque  
 protensos. *Wagriam* autem ipsam ciuitatem *Cimbrorum*  
 a **TACITO** memoratam fuisse ex dicendis inferius  
 amplius patebit. Pars horum videntur fuisse etiam  
**PTOLEMAEI** *Calucones*, qui **STRABONI** *Caulci* ad *Chalufum*  
 siue *Trauam* fluuium siti. **TACITVS** *Cimbros* in  
*Sueuia* non nominat; quia ii ad *Sueuos* non pertinebant:  
 sed alius generis erant. Post *Trauam* *Varini* cir-



ca Warnam fluuium ad Sueuum siue Suinae ostium (r); inde *Eudofes*, siue, vt legere malim, *Erdores*, hoc est, accolae Odorae vel Viadri. Viadrum enim a Sueuo siue Suina discretum statuerunt Romani, qui non terrae huius interioris situm, sed litora saltem eius nouerant. Deinde *Suardones* inter Viadrum & Vartam: & *Nuithones* inter Vartam & Notessium, qui olim dubio procul *Nuitha* siue *Witta*, Suartae siue Vartae nempe oppositus, dictus est. Ita *Neustriam* pro *Westria* simili modo vocauere maiores nostri. Nisi TACITVS *Castum nemus* Herthi cultu inclytum in insula Oceani collocasset, nomen conueniret loco *Regenwalda*: licet enim a fluuio Rega dictus fuisse videatur, significat tamen etiam proprie *purum* siue *castum nemus*. Liceat igitur commode sacrum hunc Herthi lucum in proximam Rugiam Oceano circumfluam collocare. Post recensitos Nuithones TACITVS regreditur ad *Hermunduros* per Thuringiam, Misniam & Bohemiam ad Danubium vsque pertingentes; in quorum latere dextro *Narisci* Voigtlandiam, partem Franconiae, Palatinatumque Bauariae olim incolentes, *Marcomanni*, circa Morauam etiam vsque ad Danubium coluere, atque a fontibus Oderae ad eundem Danubium *Quadi*, quorum reliquiae Poloni aquatici, (*die Wasser-Poblen*); neque enim ab aqua, sed a Quadis ita nominati sunt. *Marsignos* TACITI ferme pro accolis Vistulae habeo,

vbi

(r) PTOLEMAEVS lib. II. cap. II. qui Warinos nominat Pharodenos.



vbi nunc Varſavia & pars Ducatus Maſſouienſis citerior eſt. Sonus nominum aliquantum noſtram coniecturam iuuat. *Gothini* ferrum fodierunt, vna cum *Oſis* tributa pependerunt Quadis & Sarmatis (*s*), quorum confines fuiſſe & DIO indicauit. Hinc quis dubitet, inter Quados & Sarmatas ad ortum Viſtulæ, radicesque montium Carpathiorum collocandos? Gallica lingua, qua uſi, indicio eſt, Boiorum agnatos fuiſſe. *Oſi* ex Pannonia forte uenere atque ad *Oſam* in Montibus Carpathiis ortum atque in Oderam ſe exonerantem conſedere. Vnde etiam ipsis nomen. Nec inſolens / ante alium conſonam elidi. *Burii* his inferiores ad Viſtulam flumen (*u*) a montibus per Pomerelliam & Califiſenſem Palatinatum extenſis nomen acceperunt, quod deinde in illud *Burgundorum* tranſiit. Poſt recensitos modo populos *Lygiorum* natio late diſfuſa patuit. Cum autem mediterranea Poloniae trans Viſtulam Sarmatae impleuerint, nomenque *Lygiorum* paludicolas denotet, ipſosque in uicinia Gothorum habitafſe TACITVS indidet, iidem mihi in Pruffiam, Samogitiam, Curlandiam & Liuoniam ad littus Balthici maris & partem Finnici ſinus collocandi uidentur. Nec incongrue COLERVS *Helueconas*, partem *Lygiorum* poſuit ad Elbingam e lacu Drauſo in ſinum recentem ſeſe exonerantem,

(*s*) TACIT. *Germ. cap. 43.*

(*u*) PTOLEMAEVS. *l. c.*



rantem, vbi iam Elbinga ciuitas floret. *Arii* inde ad *Passariam*, qui vulgo *Passerus*, habitauerint. *Manimi* erunt accolae *Niemi* fluuii, qui vna cum adfita vrbe *Memela* nomen adhuc *Maminorum*, mutilatum quamuis, post tot aetates feruat. *Ehysi* in *Oeselia* insula quaerendi sunt; *Nabaruali* ad *Naruam* fluuium & ciuitatem commerciis celebrem. TACITVS recensitis hifce *Lygiorum* populis, trans eos *Gothos* siue *Gothones* regnari dicit. *Pytheas* apud PLINIVM (w) ad *Aestuarium Oceani Mentonomon* eos ponit, quo nomine illud, quod vulgo *Recens* vocatur, intelligit. Ab hoc diei navigatione insulam abesse *Abalum*: illuc vere fluctibus aduehi electrum, & esse concreti maris purgamentum: incolas pro ligno ad ignem vti eo, proximisque *Teutonibus* vendere idem *Pytheas* prodidit. Vbi clarum est, *Pytheam* locum, ad quem *succinum* colligitur, insulam credidisse, cum saltem parua sit peninsula. *Abalum* eam vocat, quod nomen in illo *Pillauiae* corruptum, quamuis post tantam aetatem restare videtur. Forte olim *Anfall*, hoc est, locus, quo succinum allabatur, audiit. *Timaeus* eundem locum *Basiliam*, siue, si Latine veritas, *Regiam insulam* vocasse (x) dicitur. Vnde apparet *Koenigsbergae* siue *Regiomontanae* ciuitatis nomen antiquissimum esse, nec demum Saeculo decimo tertio post *Christum* natum vt vulgo ferunt, inditum.

(w) Lib. XXXVII. c. 40.

(x) PLIN. l. c.

inditum. Nec minus notabile, eandem peninsulam, siue creditam vulgo insulam esse POMPONII MELAE *Glessariam* a succino appellatam, quam barbari *Austraniam*, praetereaue *Actaniam* dixerint. Succinum olim vocatum est *glas* siue *glessum*; nos *agt-* & *augstein* adhuc dicimus. *Actania* ergo est idem ac locus succini; & *Austrania*, succini littus. Littus enim, ubi & succinum colligitur, *strand* adhuc nominatur. IORNANDES, ut ad priora redeam, *Gepidas* siue *Residuos*, post emigrationem Gothorum in insula Vistulae amnis commansisse testatur, cuius incolae postea *Viridarii* (a *Werder*, insula) audierint. Insulam Gedanensium indicari, clarum est. Ita Gothi latus Helueconum pressere per littus forte etiam Vistulae arcum, quod vulgo *die Naeringe* vocant, usque in Samlandiam, succini prouentu inclutam, extensi. Notari meretur in Periplo maris Balthici, ab ALFREDO, Angliae Rege, ex ore Vlstani nautae excepta & Anglo-Saxonice descripta, regionem ad dextrum Vistulae latus *Witland* dici. IEROSSINVS, GRVNOVIVS & HENNEBERGIVS *Wittelandiam* Prussiae partem faciunt. Inde ergo *Guttones* vel *Gothones* nominati. Sic Cimbricae Chersonesi *Iutae* apud BEDAM sunt *Vitae*: & *Vithungi* VICTORIS, SIDONII & EVMENII, apud DEKIPPVM & AMMIANVM MARCELLINVM *Iuthungi* dicuntur. Protinus deinde ab Oceano Rugii & Lemoiii, ut TACITI verbis utar. Cum autem littus Ocea-

ni iam ad Viadrum vsque populis repletum viderimus, inde sequitur, hosce inter Viadrum & Vistulam collocandos. Nec male *CLVERIVS Rugios* ad Regam & *Lemouios* ad Lebbam Pomeraniae fluuios reposuit. *Suionum hinc ciuitates ipso in Oceano*, pergit *TACITVS*, *Suecos* intelligens omnium confessione a Sueuis exortos. Insulam quoque Gotlandiam iam tum a Suionibus habitatam, ex iisdem verbis concludas. Suionibus *Sitonum*, siue Lapponum gentes continuabantur, atque ita cum Suionibus Sueuia terminabatur. Nam *Aestiorum* nomen in vniuersum tributum fuit populis, qui ab Albi, & aliquando solum a Vistula, ad Finnicum vsque finem mare accoluerunt, a Gothis *Codanum*, atque a Sueuis *Sueuicum* apud veteres auctores dictum.

## §. XLIX.

Qua via in  
terras nostras  
ventum,

Ex situ igitur *Sueviae* huius, vnde omnis Germania incolas, post *Teutones* horumque socios, *Cimbros*, *Cauchos* & *Frisios*, inferiorum ad mare Germanicum regionum colonos accepit, migrationes progenitorum nostrorum lucem accipiunt. Ab Armeniae enim finibus descendentes nauigiorum vsu eos adhuc nesciuisse verosimile est. Inde vltius profectis, necesse erat, Tanais ripam vsque ad ortum sequi, reliquaque flumina circuire. Natura itaque duce vsque ad Finnicum finem sese extenderunt. Hic vero tandem aquas linitibus traicere, atque etiam maiora nauigia intruere

struere paulatim, & die diem docente, didicisse credas. Vnde maris oras secuti, fluuios maiores, interque eos Dunam, Nemenum, Vistulam, Viadrum Albinque superarunt, vel commoditate locorum illecti, vel ab irruentibus populis aliis coacti, succedentibus temporibus altius ascenderunt, vsque ad Rhenum Danubiumque. Nec partem eorum flumen hoc transiisse atque Italiae, superatis Alpibus, se infudisse dubito.

§. L.

Germaniam enim prius habitatam, atque inde Galliam & Italiam cultores antiquissimos accepisse KIRCHERVS etiam in Arca Noae agnoui. Et qui Aborigines mari aduenisse somniant, non parum ideo falluntur, licet in veteribus Romanorum nummis Ianus, Aboriginum Rex, cum prora nauis sistatur. Notabile est, VARRONEM (y) Iani nomen ab *hiatu nostro*, cum *os aperimus*, arcessere. Ore autem *hiare* Germanis adhuc *jaenen* dicitur. *Aufones*, alias & *Aurunci*, item *Opici* Graecis, Romanis *Osci* (z) ab Ope siue terra, dicti, vt nobis auctor est ANTIOCHVS, antiquissimus Scriptor a STRABONE (a) citatus, primi Italiam inco-

Italia & Gallia ex Germania primos inhabitatores accepit.

huisse, Fauorino apud GELLIVM (b) dicuntur. PO-  
 N 3 LYBIVS,

(y) Lib. 16. rerum diuin. apud AVGVSTIN. de ciuitate Dei. l. 7.

(z) Vid. VERRIVS apud FESTVM in V. Oscum.

(a) lib. V. p. 242.

(b) lib. 1. c. 10.



LYBIVS, qui apud STRABONEM Opicos & Aufones distinguit, de ferioribus temporibus intelligendus est. Gens haec feritate, truci oris aspectu & corporis magnitudine formidabilis iuxta DIONYSIVM. HOMERVS eius sub *Laestrigonum* nomine mentionem fecisse videtur (c), quos anthropophagos & inhospitales, agriculturae ignaros, atque sola se vita pastoritia sustentantes facit. Ab iisdem Opicis & Siciliam primum inhabitatam esse, ex PLATONE (d) coniecimus, Siciliam sub Opicorum dominationem translata commemorante. STEPHANVS ex veteri authore asserit, *pruinam* Opicorum & Sicularum lingua *gelam* dictam fuisse, vnde eandem fuisse concludas. Non igitur mirum, restare in Romanorum sermone, quae non aliunde, nisi a Germanis venisse potuerunt: & viri Celebrissimi MORHOVIUS (e) & PRASCHIVS (f) suo iam tempore originem Germanicam Latinae Linguae agnouerunt, quanquam confusa Celtarum & Germanorum natione, paulum aberrauerint. Ante eos iam IVLIVS CAESAR SCALIGER (g) notauit *Manium* esse terrae filium apud Latinos, & vocem *man* per Septentrionales populos, quos Scythas vocat, diffusam; arbi-

(c) *Odysf. K. v. 98.*

(d) *Epist. VIII. ad Dionis propinquos.*

(e) *Im Unterrichte von der Teutschen Sprache c. 2. 3.*

(f) Edidit II. dissertationes de hoc argumento.

(g) *in Oratione super laudibus eorum, qui ad Viennam ceciderunt. Add.*

GRVBEL. *Disq. de Lingua German. pag. 18.*



arbitratusque est, Romanos aliasque gentes a Theotiscis linguam, & a Principe Theotiscorum *Manno* colonias accepisse.

§. LI.

Post Germanos *Celtae* loco moverunt, atque ab Oriente in Occidentem tendentes, pars secundum montium Carpathiorum dextrum latus profecti, pars Danubium secuti, Sarmatiam superiorem, Dacias, Thraciam, Pannonias, Illyricum; Noricum, Rhaetias, bonam Germaniae Italiaeque partem, Galliam omnem, Hispaniae pleraque, ut & Insulas Britannicas, successu temporis occuparunt. Rhenus & Danubius omnium primo Gallos a Germanis separauerunt. De Rheno **DIONIS** (b) & aliorum testimonia extant. Tandem tamen Rheno & Danubio transito, ea loca, ubi postea Suevia ad Moenum vsque diffundebatur, impleuere. Vestigia certe linguae Celticae in non vnis ibi locorum nominibus restant. **PROPERTIUS** (i) Viridomari, quem **FLORVS** ad Gallos Insuabres refert, ad Rhenum meminit:


Celtarum  
Gallorum-  
que vetustis-  
simae mi-  
grationes &  
populi agna-  
ti.

*Claudius a Rheno traiectos arcuit hostes,  
Belligerans vasti parma relata Ducis  
Viridomari; genus hic Rheno iactabat ab alto. &c.*

Vt

(b) lib. 39.

(i) lib. 17. Eleg. pennin.



Vt adeo Romani & Transrhenanos Gallos cognouerint, APPIANVS (k) vetustae traditionis fide, *Celtas, Illyrios & Gallos*, quos a Celtis veteribus quidam erronee distinguunt, a Polyphemo Cyclope, Galateae marito, atque ita ex Sicilia, deducit. Fabula forte exponenda de Illyriorum & Gallorum cognatione cum Germanis, ex quibus aliquos Siciliae se infudisse modo diximus. Gallos autem Germanorum consanguineos similiter STRABO vocauit. Timagenes apud AMMIANVM refert, quosdam Gallos pro Aboriginibus habuisse, & eosdem *Celtas* a Rege quodam suo, & *Galatas* a matre eius, dictos. Sed Celtarum & Galatarum appellationes non nisi sono paululum mutato differunt. Narrat porro, alios antiquiorem Herculem secutos, ad Oceanum habitasse, quod forte de Teutate siue Dite, suos a Palude Maeotide & Ponto Euxino versus Occidentem ducente, intelligendum. Druidae apud eundem authorem memorarunt, populi partem indigenam, hoc est ibi locorum antiquissimam: alios ab insulis externis confluxisse & tractibus Transrhenanis. Originem a Troianis ibidem prolatam omitto, cum nec speciem saltem veri habeat. Illyrico, vt ad priora redeam, Noricum continuabatur. Ibi antiquissimae ferri fodinae aurique lauacra; vnde *aes Noropium* iam apud HOMERVM (l) celebratur. EVSTA-

THIVS

(k) de Bell. Illyr. p. m. 1194. seq.

(l) Iliad. II. & XI.

ina.  
illy-  
eruo-  
ma-  
ex-  
cum  
mo-  
qui-  
oud  
ni-  
&  
ata-  
dif-  
n fe-  
are  
no  
dae  
em  
lios  
ena-  
tto,  
t ad  
quis-  
oro-  
TA-  
IVS

Tab. XVI ad S. 105



TH  
hanc  
Noro  
miniu  
SERV  
tallio  
ea in  
conce  
rius de  
chille  
tios,  
& S  
dise  
N.A.  
eunt  
se, c  
guae  
ui. H  
STR  
Thrac  
Euxin

THIVS & DIDYMVVS diuerfa quidem circa vocem, hanc sentiunt: sed bene CLEMENS ALEXANDRINVS *Noropes*, ait, fuisse, qui postea *Norici* dicti, & omnium confessione *Celtae* fuerunt. Hoc ante nos VELSERVS annotauit (m). Nos antiquitatem harum metallifodinarum eo libentius hic attingimus, quod postea in Guelforum nostrorum patrimonium eadem concesserint (n). APPIANVS porro prodit, ab Illyriis descendisse vicinos iis Taulantios, Perrhaebos, Achilleos, Autarios, Dardanos, Parthenos, Dassaretios, & Darfios. Ab Autariis Paeones siue Pannonnes & Scordiscos: a Pannonibus Triballos deducit. *Scordiscos* STRABO (o) ad Celticum genus refert: ATHENAEVS (p) reliquias Gallorum sub Brenno Delphos aduentium esse statuit. Circa Sauum fluuium eos coluisse, certum est. In *Dacorum* quoque *Getarumque* linguae reliquiis Celticae loquelae vestigia alibi obseruati. Hos vero ex HERODOTO (q), MENANDRO apud STRABONEM (r) *Thraces* fuisse constat. Vnde & *Thraces*, & ab his descendentes incolas littoris Ponti Euxini ex Celtarum genere ortum habuisse probabile est.

(m) *Rev. Boicar. lib. II. p. 48.*


(n) EKKEHARDVS *de casibus S. Galli.*

(o) *lib. II.*

(p) *lib. VI. c. 5.*

(q) *lib. VII.*

(r) *lib. VII.*



est. Qui Getas cum Gothis confundere, non vno modo lapsi sunt. Post Getas per Poloniae prouincias, Veranam, Podoliam, Pocutiam & Volyniam extensos olim *Bastarnas* vna cum Scordiscis lingua vsos **LIVIVS** (s) author est, cui **PLVTARCHVS** assentitur. Lapsi itaque sunt **STRABO** & **TACITVS**, qui eosdem ad Germanos retulerunt. Rectius forte **TACITVS** *Gothinos* Gallica & *Osos* Pannonica lingua locutos, asseruit: quamuis Gallica & Pannonica lingua non nisi dialecto diuersae fuerint.

### §. LII.

*Cimmerii, ubi coluerint? Celti si generis suere.*

His populis, Orientem versus, adfiti olim fuerunt *Cimmerii*, a recentioribus fere plerisque cum Cimbris & Cumeris confusi; ab iis tamen sedulo discernendi, quanquam eos Celticae quoque originis fuisse argumento non vno stabiliri possit. Magnam nationem fuisse oportet, quae a Volga ad Tyram vsque per Tartariam minorem & maiorem dominationis Russicae partem protensa fuit. Ab ipsis orta puto nomina *Tanais*, *Danapri*, *Danastri*, & *Danubii*; terminationum enim diuersitas posteriorum temporum est; olim vnum nomen fuisse ex diuersis authorum locis supra iam memoratis colligere licet. A Cimmeriis etiam Thracum Bastarnarumque, & cognatae gentes aliae venire potuerunt. Ab utroque Maeotidis paludis & Ponti Euxini

(s) *lib. XL. c. 57.*

xini latere eos res magnas gessisse euidens est: Pars eorum Treres Asiaticum litus infestasse & coloniis impleuisse STRABO (t) prodit. IDEM *Trerum ciuitates* in Thracia commemorat (u), quod non parum suspicionem de cognatione vtriusque populi confirmat. Perstitisset potentia ipsorum, nisi discordia diminuta primum, & tandem ab irruentibus Scythis penitus infracta fuisset. Scythae enim a Massagetis coacti, transitro Volga (quem HERODOTVS *Araxem* vocat) sub Madya Rege, Protothyaе filio, Cimmericos auitis sedibus expulere, imperiumque per Tartariam magnam, Russicam Monarchiam, Poloniamque omnem extensum constituerunt, Europae Asiaeque non vna vice metuendum. Discors inter se Cimmericorum populus, inter vicinas gentes diuisus, post haec euauit. Partem Cimmericorum tunc ad Sueuici maris littus confugisse & Aestios ibi condidisse conicias; Si verum est, quod TACITVS prodit, linguam Aestiorum Britannicae, hoc est, Celticae, propiorem fuisse. Poterunt ii Vistulam *Eridanum* vocasse sua Lingua, vnde paruuolo amni Vistulam ad Dantiscum influenti adhuc *Radanae* nomen, cum illo *Rhodani* conueniens. Romani, qui Italiae solum *Eridanum* nouerant, inde hunc electriserum finxere, quod tamen soli septentrionali Eridano conueniebat. SIMLERVS obseruat, Valesianos

O 2

flumen

(t) lib. 1. § XI.

(u) lib. 1.



flumen appellare (w) *rodde*: conuenitque Cambri-  
cum *fruth*, & Hibernicum *fruth*, quod *torrentem* de-  
notat; & posset descendere a Cambrico *rhodio*, *ire*,  
*ambulare*; vt Eridani Rhodanique voce *aqua currens*  
generatim indicetur. li, qui Caucaſo superato in Aſiam  
fuga delati, HERODOTO authore (x), Chersonesum  
condidere, vbi poſtea *Synope* vrbs inclaruit. Qui Bo-  
ryſtenem tranſierunt proceres Cimmericorum, ſe mu-  
tuis caedibus confeciſſe dicuntur, & ſepulchrum ipſo-  
rum HERODOTI aeuo adhuc ad Tyram fluuium con-  
ſpicuum fuit. Crederes *Mobilouiam* indicari, vrbem  
ad Tyram ſitam, voce hac *tumulum ſepulchralem*, Sar-  
matarum lingua, denotante. Ab altera ibi fluminis  
ripa extat locus *Koſelow* & ſylua inde dicta, quo no-  
mine eadem res exprimitur (y) nec ſine cauſa. Fa-  
ma Cimmericorum apud poſteros, diuerſae licet gen-  
tis, permanſit, & REVTENFELSIUS Moſcouici Im-  
perii deſcriptor, a MAGLIABECHIO olim Florentiae  
editus, notat, Ruſſos adhuc ethnicoſ idola ſua *Cume-  
ros*, ab iis ſine dubio, appellatſe. Ita ſolius vetuſtatis  
gloria non raro diuinitatem mortalibus conciliauit. Pa-  
luſ Cimmerica & Bosphorus diu nomen ab iisdem ſuum  
conſeruarunt; quod tamen cuius originis ſit, incertum  
eſt. HOMERVS (z) Cimmericorum regionem *tenebri-  
coſam*

(w) lib. 1 de *Valeſia*.

(x) lib. 1V.

(y) Vid. BRONIOVII *Tartaria* pag. 2.

(z) *Odyſſ. lib. II.*



cosam vocat. *Cimmeriae tenebrae* in prouerbum abi-  
runt. TIBULLVS (a) Cimmerios lacus pro in-  
fernis & caliginosis adhibet. De Maeotide palude VA-  
LERIVS FLACCVS post APPOLLONIUM canit,

*Illic umbrosae semper stant aequore nubes.*

Posterior aetas eandem paludem inde *Mare nigrum*  
vocauit, vt Gallus quidam non ineruditus nuper su-  
spicatus est (b). Conuenit vox Cambro-Britannica *Cum-  
mul, nubes, & Cummylog nubilus* a Celtis deriuata:  
etsi TOVRNEFORTIUS (c) mare hoc non aliunde  
tenebricosum dici potuisse putet, quam a littoribus, quae  
arboribus confitae, e longinquo aspicientibus appa-  
reant obscuriora. A Celtis igitur paludi terraeque ad-  
huc incognitae hoc nomen attributum, Graecisque com-  
municatum, opineris.

§. LIIL

Sed redeundum ad propiora terris nostris. Nori-  
cis contermini erant *Rhaeti*, Oeno discreti. Hi Alpes  
tenuerunt. Gallos natione fuisse, certum est. VEL-  
SERVS Rhaeticum bellum *Gallico* nomine appellatum  
inuenit (d): & LIVIUS irruptionem Rhaetorum in Ve-  
netiam commemorans, hos *Gallos Transalpinos* vocat

Rhaeti, Tu-  
sci, Umbri  
& Ligures  
origine Cel-  
tae fuerunt.

O 3

(e). Tu-

(a) lib. III. Eleg. V. v. 24.

(b) *Journal des Savans* MDCCXVIII. mense Febr. p. 195. 196.

(c) *Epist. Itiner.* XVI.

(d) *Rerum August.* lib. II. p. 198.

(e). Tuscos a Gallis pulsos, Duce Rhaeto, Alpes ingressos, gentem condidisse PLINIUS (f) & IUSTINUS (g) perhibent. LIVIUS (h) hoc communis linguae indicio cognosci asserit. Fuerunt ergo & *Tusci* Celticae originis. Verisimilius tamen est, Rhaetos ex Alpibus in Italiam delatos, Tuscos condidisse, quam illos ab his ortos. Notari meretur, eos, qui Romanis *Tusci* & *Etrusci*, Graecis *Turrheni* audierunt, inter se, DIONYSIO teste (i), *Rhasenas* appellatos, quae vox a nomine Rhaetorum non abludit. HERODOTUS itaque & sequaces, quos RYCKIUS (k) recenset, incongrue eosdem ex Lydia arcessunt. Melius longe DIONYSIUS (l) hanc gentem indigenam, hoc est, vetustissimam vocavit. Nec mirum, ex lingua per tantum temporis tractum necessario valde mutata de origine illius nil certi statui posse. *Umbro*rum gens Italiam ante Pelagos & Thyrrhenos, PLINIO (m) referente, incoluit. Gallorum veterum propaginem esse M. Antonius & Bochus Mauritaniae Rex apud SOLINUM, ut & Virgilio commentator SERVIVS memoriae proderunt.

(e) Dec. IV. lib. 9.

(f) lib. III. c. 20.

(g) lib. XX.

(h) lib. V.

(i) lib. I. p. 24.

(k) in dissert. ac primis Italiae Colonis cap. 6.

(l) lib. XIV.

(m) lib. III. c. 5.

derunt. *Ligures*, qui a Rhodano ad Arnū Italianā infederunt, antiquissimi pariter, &, CLUVERIO hoc multis ex indiciis colligente, *Celtae* fuerunt.

§. LIV.

De *Henetis*, siue, vt Latini loquuntur, *Venetis* addendum, Illyriorum eos progeniem, HERODOTI (n) testimonio, atque ita etiam *Celtas* fuisse; quanquam POLYBIUS (o) hoc non agnouerit, & fermone diuerso a Gallis vfos, caetera moribus & cultu iis similes fuisse narret. CATO (p) absone fati Troiana stirpe ortos refert. LIVIUS (q) statuit, rege Pylemene ad Troiam amisso, discordiis ciuilibus Paphlagonia pulsos, Antenorem inde profugum sibi Ducem adseiuisse, atque in intimum maris Adriatici sinum delatos, Euganeis pulsos, regionem illam occupasse. Sola nominis Henetorum conuenientia hanc illi, alia autoritate omni destituto, mentem iniecisse videtur. Ego DIONICHRYSTOSTOMO potius crediderim, Antenorem Henetos in Italia non collocasse, sed ibi inuentos oppressisse sui que iuris fecisse. OVIDIUS (r) Antenorem *Phrygium senem*, sed terram, quam occupauit, *Gallica arua* nominauit. STRABO (s) Venetos diserte  
ad

Veneti etiam  
Celtae. Venetiae veteris breuis descriptio.

(n) lib. II.

(o) lib. II. p. m. 147.

(p) apud PLIN. lib. III. c. 18.

(q) lib. I. c. 1.

(r) lib. IV. de Ponto Epif. 26.

(s) lib. IV.



ad Gallos retulit. PLINIVS Venetiam Adriatico mari appositam exhibet, & fluuium *Silin*, oppidum *Altinum*, cuius ruinae tantum superent, flumen *Liquentiam*, (nunc Liuenza) & portum eodem nomine, coloniam *Concordiam*, flumina & portus *Romatium* (nunc *Lemene* & porto *Lematino*), *Tiluentum* maius minusque (accolis *Tagliamento* & *Taiamento*), *Anassum* (nunc *Stella*), in quo *Varramus* (nunc *Muzonella*) prope *Maranum* oppidum influit, nec non *Alsam* (nunc *Ausa*) *Natium*que cum *Turro* Aquileiam praeterfluentes ea contineri asserit. IDEM (t) colonias Venetorum *Atesten* (*Este*) & oppida *Acelum* (*Azola*) *Patauium*, *Opitergium* (*Oderzo*) *Belunum* & *Vicetiam* (*Vicenza*) recenset.

§. LV.

De Venetorum colonia Ateste. Aestii ibi degerunt. Italicorum quorundam sententia Principes Aestii Romanis descendere, ex-  
plosa.

*Ateste*, vetus Marchionum Tusciae & Liguriaee possessio fuit: & Principibus hisce *Atestinorum* siue *Etestensium* cognomen peperit. Praeter PLINIVM, PTOLOMAEVS, TACITVS ac ANTONINI *Itinerarium* eius meminere. Itali Scriptores a socio & genere Antenoris, Ateste, conditum & vocatum, Antenorem Patauii, Atestem in vicino & sui nominis castello sepultos tradunt. Epitaphium Atestis SCARDEONIVS (u) publicauit, quod PETRVS PITHOEVS in Collectione  
Epi-

(t) lib. III. c. 19.

(u) lib. I. *Antiqu. Patau. Class. I. add. PIGNORII Orig. Patau. pag. 23.*

Epigrammatum & Poëmatum pro antiquo habuit, & correctius edidit. Ultima eius duo disticha haec sunt:

*Hic & Ateste iacet, qui post Antenora nomen  
Laudibus & titulis tollit in astra suum  
Transtulit huc Henetos & parvam condidit urbem,  
Cuius & ossa Ducis nunc brevis urna tegit.*

Sed HIERONYMVS ATESTINVS in Chronico loci aliud Epigramma in Atestem profert, quod etiam adscribere placet:

*Vicerat Euganeos Enetorum ductor Ateste:  
Cui Rex Antenor Dardana tela dedit.  
Et profugus nostram fundauit moenibus urbem:  
Mox obit, & magnum parua sepulchra tegunt.*

Quod ad rem ipsam attinet, Ateste hic sine dubio inter fabulosos Heroes referendus est. Vulgaris enim maiorum nostrorum error fuit, vbi ratio denominationis locorum non statim paruit, ea ab Heroe quodam deriuare. Cum Romani tandem Galliam Cisalpinam subegissent, non incelebris eorum colonia facta est Ateste, sub Romiliae, vt ferunt (w), tribus patrocinio. Volunt & Actios ibi sedem fixisse ab auo materno Augusti Imperatoris & Actio Neo, cui Romulus statuam crexisse legitur, descendentes. Ab his Azones Principum

(w) Vid. PIGNA Hist. Ephenf. lib. 1.



pum Estensium factores deriuant, & ipsum ideo Azonis nomen in Actii illud commutant, quod iam Saeculo decimo tertio factum. In Ecclesia enim S. Francisci Atestina Azonis Marchionis vulgo Noni cognominati Epitaphium hoc legitur:

*Actius omnipotens generosi stemmatis, heros  
Inclitus Estensis, decus indelebile belli,  
Marchio magnanimus toto memorabilis orbe,  
Cuius opem sensit protecta Bononia quondam,  
Cardineique patres, Veneti & Florentia tandem,  
Hic situs est, animamque Deus suscepit Olimpo.*

CASPARVS tamen SARDVS, qui Herculis II. Ducis Ferrariae iussu Historiam Ferrariensem scripsit, originem Estensium ab Actiis non prabasse videtur. Deducit enim eosdem a fictitio aeque Principe Foresto, domino territorii Estensis. Sed qui sub filio Herculis Alfonso II. in res Estenses inquisiuerunt Comes HIERONYMVS FALLETIVS, & post eum IOHANNES BAPTISTA PIGNA, Principes suos continua serie faciunt prodire a *Caio Actio Decurione, Caii filio*, quem sub initium saeculi post Christum natum quinti vixisse perhibent. Memoriam eius marmor in Archiuio Estensi extans conseruasse PIGNA testatur. Sed quae de progenie illius affert nullis probationibus fulcita, fidem amittunt. Vestigia horum authorum prefficit THEODORVS DAMAIDENVS, Nobilis Belga, S. Mariae de Castro-

Castro-Carimo & S. Marthae Abbas, qui Anno MDC-LXXXV. Serenissimo Duci Ernesto Augusto, post Electori, Venetiis opus obtulit solícite congestum, in quod omnes Actios & Atios ex historia Romana & marmoribus comportavit, atque ex ingenio connexit, ab *Actio Neo* vsque ad *Actium Decurionem*; in caeteris PIGNAM secutus. M. Actium Plautum & Pictorem Accium, Ciceronis tempore clarum, ipsi oblitos miror. Interim praecipua eius coniectura, solius nominum *Actius* & *Aczo* vel *Azo* (quod in familia Estensi frequens) sono & conuenientia aliquali, nullo Scriptoris aut monumenti fide digni testimonio iuuatur. Accedit, quod Atius Balbus Augusti Imp. Auus, non *Atestinus*, sed *Aretinus* fuerit, SVETONIO teste (x), qui hoc nosse debuit. Et M. Antonius, despiciens maternam Augusti originem, proauum eius Afri generis fuisse, & modo vnguentariam tabernam, modo pistinum Ariciae exercuisse obiecit. Cassius non tantum vt pistoris, sed etiam vt nummularii nepotem taxauit Augustum (y). Atius itaque hic neque ab Actio Neo venire, neque ad Actiorum familiam Consularem pertinere potuit. GAMVRINVS (z) nos docet, superesse Aretii familiam *Azziam* ab Atia veteri venientem. Quod, vt confirmet, refert Azzios illos Amphitheatrum

P 2

theatrum

(x) In Augusto cap. 4.

(y) SVETON. l. c.

(z) Vol. 3. p. 31. sqq.



theatrum Aretinum vsque ad annum MCCCXXXII. quo vendidere, possedisse, literasque venditionis in Archiuo Aretino extare. Idem aliquot inscriptiones Aretii repertas profert, in quibus Actiorum nomen. Cum tamen DAMAIDENS Inscriptionibus vndique conquisitis praecipue nitatur, earum praecipuas in gratiam antiquariorum adiicere placet.

I. Romae prope Templum SS. Apostolorum Mazochius inuenit:

DECIVS D. L. HEROS  
FECIT  
SIBI ET SVIS. O.  
D. ACTIO. D. F.  
PATRONO.

II. Ara Romae inuenta ad Vrsu[m] Pileatum iuxta S. Bibianae aedem, tribus fragmentis disiuncta, ex schedis D. BVTKENS, Praelati S. Saluatoris Antuerpiensis:

I. O. M.  
SEXT. L. F. D. N. ACTI  
SVB PRISC.  
EQ. ROM.

DAMAIDENS legit eam: *Ioui Optimo Maximo Sextus L. fil. D. Nep. Actius, suburbana Priscus Eques Romanus.*

III. Conseruari Romae in aedibus nescio quibus, & a IACOBO LE FEBVRE e suis Antiquitatum schedis communicata dicitur sequens:

IOV.



IOV. S.  
M. ACT. S. F.  
SVB  
PRISC. EQ.  
PRO MEN. CON.  
ET SEX. F.  
H. CEL. ER.

DAMAIDENVS exponit: Ioui sacrum. Marcus A-  
ctius Sexti filius, suburana (ex Tribu) Priscus Eques  
pro Menenia coniuge & Sexto filio hanc cellam erexit.

IV. Lapis inuentus Romae extra muros in via Gor-  
diana, qua Ostiam itur, a IACOBO LE FEBVRE ac-  
ceptus:

T. ACTIO SEX. F. M. N. RVF  
SVB  
PRAEF. COH.

Caetera legi non potuerunt.

V. Ara reperta Romae via, qua itur ad Portam  
maiolem, in Horto:

PRO  
M. ACT. RVF. EQ.  
PRO. SE  
ET  
C. ACT. F.  
T. ACTI. PRIS.

TRIB.

EX. V. P.

P 3

VI.



VI. Lapis inuentus Corae in Latio, in quodam monte, vbi Hercules in aede colebatur:

HERCVLI. CONSERVATORI.

PRO. SALVTE.

M. ACT. C. F. POP. PRIS.

T. ACT. C. F. AVI.

V. S. L.

GVTENSTEINIVS in Antiquitatibus Romanis edidisse dicitur.

VII. Lapis inuentus extra Portam Capenam non procul a muris vrbis. Subministrauit IACOBVS BVT-KENS, frater Abbatis S. Saluatoris Antwerpiae:

D. M.

T. ACTIVS

C. F. AED. CVR.

POP. FAVSTVS

SIBI. ET.

T. ACT. F. AED.

IN. AGR. P. X̄.

VIII. Lapis a IACOBO LE FEBVRE in suis Antiquitatibus Romanis annotatus:

D. F.

M. ACT. T. F.

M. ACT. BA. . . . .

FAC. . . . .

IX. Lapis inuentus Romae in horto non procul a Trophaeis Marii prope Ecclesiam S. Eusebii in partes ruptus



ruptus, quem sic descriptum DAMAIDENO submini-  
stravit IACOBVS LE FEBVRE:

DIS MANIBVS

M. ACTII.

T. ACT. PHLEG. TRIB. F.

PAL. PHLEGRON.

PRAEF. COH. AVG.

T. ACT. PRISC. F.

EX TEST.

X. Lapis a IACOBO LE FEBVRE Senis descriptus:

C. ACT. P. F.

MAEC. AQVIL.

AED. II. VIR.

QVINQ.

XI. Lapis inuentus in Regno Neapolitano, cuius  
inscriptionem DAMAIDENO tradidit ERICIVS PV-  
TEANVS:

V. ....

M. ACTIV..

PRAEF. COH. XX. AVG.

DECVR.

ITEM MANIBVS

FIL. SVI.

M. ACTI.

MAEC. PRISC.

QVAEST. AED. DECVR.

XII.



XII. Lapis inuentus circa Parmam, & DAMAIDENO exhibitus a IOHANNE ORTIZ Antiquario:

D. M.

T. ACTIVS.

M. F. ROM. PERSIC.

PRAEF. COH. XXXIII. GORD.

SIBI. ET

C. ACTIO

POTENTI. FIL.

II. VIR. IVR. DIC.

QVINQ.

T. F. I.

XIII. Lapis inuentus a paucis annis inter Montem Silicem & Ateftem, quem in partes ruptum reiunxit IACOBVS LE FEBVRE:

... PRINCIPVM. CLEMENTIAM

..... MVNIFICENTIAM

LONGE SVPERGRESSO

IMP. CAESARI. FL. VALER.

CONSTANTI. PIO. FELICI.

AVGVSTO

C. ACTIVS. L. F. C. N.

P. SEXTIVS P. F. P. N.

II VIRI.

ORDO POSSESORESQ.

Pretium harum Inscriptionum aestimabunt antiquitatum periti. Mihi suspectae sunt; Cum semper quidem dicat

dicat DAMAIDENVS, vbi repertae fuerint, non autem prodat, vbi nunc sint; & prouocet praeterea ad antiquarios aut suspectos aut orbi literato ignotos, BVTKENIUM, FEBVRIVM, ORTITIVMque. Vt lapides hos connecteret, multa ex ingenio addidit DAMAIDENVS, & in his non pauca, quae cum optimis auctoribus Romanis pugnant. Vnde recensenda serie eius genealogica hic supersedemus; quam nemo sanus in hac rei historicae luce iam probet. Cur autem illam Inscriptionem, quae *Actii Decurionis Atestini* meminit, neque ille, neque caeteri produxerint, excogitare nequeo. Caput enim rei in ea situm est, & reliquae Actios Atestis degisse nusquam ostendunt. Sed haec occasione Atestis dicta sunt.

§. LVI.

PHILIPPO TVRRIANO monumentis veteris Antii editis claro, credibile videtur, Antenorem Troia euerfa cum Pyrrho Achillis, & Heleno Priami filio, aeguriorum perito, patria exiisse: Pyrrhum Heleni monitu in Epiro mansisse: Antenorem mare Adriaticum ingressum eiusdem Heleni suasu: huius boni consilii memoriam mansisse, Helenumque ideo pro Deo cultum, nomine eius in illud *Beleni* mutato, vti ex *Heneto* etiam *Venetus* factus sit. De Pyrrhi quidem & Heleni itinere VIRGILIUS & PAVSANIAS loquuntur; De Antenore vero altum apud veteres silentium.

An Antenor in Venetiam venerit? De Deo Beleno & Recarano Hercule.

Q

GILIUS



GILIVS e contrario mediis elapsum Achiuis notat. *Belenus* autem, Deus Celtarum, metallorum, ferri praecipue, praeses creditus est. Cambro-Britanni *balain* adhuc *chalybem* & *ferrum* appellant; vnde illi nomen. Frequentissimus eius cultus in Norico & Alpibus Iuliis (a), vbi ferri fodinae. Hoc iam illustris LEIBNITIVS obseruauit (b). *Fonti Beleno* Aquileiae positam inscriptionem GRVTERVS habet. Putes *Acidulas* indicari, quarum aquam a chalybe, quem secum vehunt, & nos *stahlwasser* aliquando vocamus. Ita *font belenus* idem esset, ac *font chalybeius*. *Belunum* ciuitas etiam ab officinis ibi ferrariis appellata est. *Belenum* Romani Apollinem dixere (c), quod sol metalla procreare crederetur. A Deo hoc herba hyosciamus, vt Latine *Apollinaris*, ita Gallice *belinuncia* apud APVLEIVM (d) & DIOSCORIDEM (e) audit; vnde & nostra vox *bilsen*. Diu autem ante Antenoris aetatem, & quidem, Euandro regnante, fertur *Recaranus* quidam, vt Cassius apud EVTROPIVM (f) author est, ingentis corporis & magnarum virium pastor in Italiam venisse, & Romae ob boues a Caco subductos, iterum repertos *Aram maximam* Inuentori patri dedicasse. Cassius

(a) Vid. GRVTERI *Inscript.* pag. 36. 37.

(b) *Collectan. Etymol. Part. I. pag. 92.*

(c) HERODIANVS *lib. VIII.*

(d) *de virtut. herb. c. 4.*

(e) *lib. 4. c. 67.*

(f) *p. m. 7.*

fius Graecae eum originis & Herculem appellatum fuisse scripsit. Sed pastoritia vita & maior corporis statura barbarum fuisse persuadent. Nec qui armenta secum duxit, aliunde quam ex mediterraneis regionibus, a Celtis habitatis, venire potuit. Accedit nomen peregrinum. Inter Lapidés sub Templo Cathedrali Parisiis anno MDCCXI. effossos & Celticas antiquitates exprimentes, vnus est, in quo Taurus cum tribus ei gruibus insidentibus sistitur, sub hac inscriptione: TARVOS TRIGARANVS. Vbi *Taruos*, siue taurus, a Celtis religiose cultus, symbolum quidem videtur Tarani Dei; sed *Trigaranus*, siue tres grues, similiter respicere possunt ad veterem heroem *Recaranum*, cuius verum nomen *Trigaranus*, forte a Romanis corruptius elatum est.

§. LVII.

Lapides, quos cito, reliquos alibi exposui (g). Nautae Parisiaci, Tiberio imperante, posuerunt. Apparet inde, Celtas Parisianos coluisse Iouem, Vulcanum, Haesum, Bacchum, Herculem, Castorem & Pol- lucem. Iouem tonantem *Taranum* vel *Taramum* vocauerunt. Ei vnum ex his lapidibus consecratum fuisse Inscriptio docet. Verbum enim, ex quo MO solummodo restat, TARAMO legendum ostendi (h). At Iouem,

De Diis Celticarum in monumento Parisino commemoratis.

Q 2

quod

(g) In Praefat. ad Collect. Etymol. LEIBNITII.

(h) In nouis literat. Lipsiensibus anni 1748. p. 168. sq.

quod sit summus, *Peninum* dixerunt, de quo LIVIUS. Ab eo Bauaris & Augustanis dies Iouis adhuc *der Pfingstag* dicitur. Vulcanus forte ipsorum, *Belenus*, paulo ante explicatus, fuit, ferrariae rei curam gerere creditus. Druidae viscum aurea securi caedenti superscriptum est: ESVS: quod ego Celticum visci nomen esse, & sanantem omnia plantam significare ex PLINII relatione (k), & vocis sono coniicio. Vulgo pro Deo salutis usurpari inde potuit *Hesi* nomen (l). Cornuto & barbato seni addita est vox CERNVNOS, qua *corniger* designatur. Bacchum Celticum indicari demonstravi (m). Ritus oua serpentum religiose colligendi etiam apparet eo, quo a PLINIO (n) descriptus est, modo. Omnia haec, ut Lectori planiora fiant ipsam monumenti consideratione dignissimi delineationem hic adiungo, ex Viri Clarissimi & testis oculati emendatione, Baudelotiana & Mauturiana Parisiis excusa accuratiorem.

Tab. XII.

## §. LVIII.

De caeteris  
Celtarum  
Diis.

*Teutatem* siue *Ditem*, quem Gallorum *Mercurium* LIVIUS (o) vocat; CAESAR vero *Martem* nominare

(k) lib. XVI. cap. 95.

(l) vid. Praefationem meam ad LEIBNITII collectanea Etymol. p. g. 20. seqq.

(m) vid. Praefation. cit.

(n) lib. XXIX. cap. 12.

(o) lib. XXVI.



minare videtur, hic non expressum obseruo. Causam nescio. De eo tamen supra actum, vbi Gallorum Germanotumque cognationem attigimus. De Hercule Gallorum, qui LVCIANI testimonio *Ogmus* dictus, etiam mentionem fecimus. Britanni, Gallorum soboles, *Andrastam* vel *Andatam* siue *Victoriam* coluere, DIONE TACITOQUE (s) testibus. Hanc vero BOXHORNIUS (t) negligentius cum Astarte Syrorum confundit. *Mineruam* etiam Gallos veneratos fuisse CAESARI credendum est, quamuis proprium eius nomen non expresserit.

§. LIX.

Mores & instituta Celtarum siue Gallorum reliqua De moribus  
praetereo. Repeti possunt e pluribus clarorum do- veterum  
ctrina virorum scriptis. Hoc tamen obseruandum, Celtarum  
cognati quamuis Germanorum fuerint, morumque quaedam.  
quandam similitudinem ostenderint (o); Linguae ta- Nos Bardos  
men forma ab iis discretos fuisse IVLIVS CAESAR non habui-  
(p) notat, & Arionistum Germanum longinqua tantum. De  
tum consuetudine lingua Gallica usum fuisse. Haec Bardeuici  
ergo non eadem ipsi cum materna fuit. Caligula, origine  
SVETONIO teste (q), e Belgio redux, Galliarum quaedam.

Q 3

proca-

(s) lib. XIV.

(t) Orig. Gall. pag. 14.

(o) STRABO lib. IV.

(p) lib. I. de Bell. Gall. cap. 11.

(q) cap. 47.



procacissimum quemque ac nonnullos ex principibus legit, ac seposuit ad pompam, coëgitque non tantum rutilare & submittere comam; sed & sermonem Germanicum addiscere, & nomina barbarica ferre. Errant ideo, qui gentes distinctas confundunt, nostrisque maioribus linguam, sacra, moresque Celtarum asserunt. Graeci quidem sub Celtarum nomine & Gallos & Germanos comprehendunt. Sed hoc fit simili modo, quo Europaei plerique Turcis *Franci*, omnes Germani Francigenis *Alemanni*, & Finnis iidem *Saxones*, vocantur, populi scilicet notioris nomine latius ad cognatos extenso. Habebant Celtae *Druidas* sacrorum antistites & scientiarum cultores, nos *Aliorunas*. CAESARIS (r) descriptio Druidarum luculenta est. Is etiam Germanos Druidas habere negat, eiusque testimonio magnum pondus inest. *Bardi*, fortia heroum facta in praeliis conuiuibusque ad Lyrae modulos cantarunt. Meminere ipsorum, ut aliquos saltem nomen, DIODORVS SICVLVS (s), POSIDONIVS apud ATHENAEVM (t), STRABO, LVCANVS, FESTVS, HESYCHIVS & AMMIANVS MARCELLINVS (u), cuius locum erudita commentatione HADRIANVS VALESIVS illustravit. Nos, etsi cantum olim

(r) lib. VI. de bello Gall.

(s) lib. V.

(t) lib. IV. & VI.

(u) lib. XV.

olim *barditum* (y) & modulum *bar* (z) vocauerimus, Poëtasque habuerimus, ex quibus deinde ii, quos *Meister-saenger* diximus, prodierunt: Bardorum tamen nomen ipsis nos attribuisse, nullibi commemoratum extat. Nec a Celtarum his Bardis siue poëtis, vt CYRIACVS SPANGENBERGIUS, IOHANNES PETERSENIUS, CENTVRIATORES MAGDEBURGENSES & ELIAS SCHEDIVS scripserunt; sed a planis ad Albim campis dicta est inclyta gens *Langobardorum*; vt vicissim ab his pagus *Bardengau* inter Alleram & Albim, linea transversa a Boema ad Sefam atque ab Allera ad Ietzam ducta, extensus; & ciuitas *Bardeuicum*, quae antiquitate facile caeteras omnes vincit; falsum licet sit, quod foribus templi Cathedralis Bardeuicensis ante trecentos, & quod superat, annos inscriptum legitur (a): eam anno millesimo sexagesimo quinto post Abrahami natiuitatem, atque ita ante Romam conditam fundatam fuisse. ANONYMVS RAVENNAS (b) ex Marcomiro Gothorum Philosopho corruptius eam *Bordonbar* vocat, & in Frisonum regione constituit. An-  
nales

(y) TACIT. *German.*

(z) vid. *Præfationem ad Morhofii iteratam Commentationis de lingua Germ. editionem.*

(a) SAGITTARII *Hist. Bardouici cap. 2. & CHRISTIANE SCHLOEPKENII Chronicon eiusdem loci P. I. c. 2.*

(b) *lib. IV. c. 23.*

nales Adelmo cuidam a FREHERO, Eginhardo a CANGIO, attributi, in editione Freheriana sub anno DCCXCV. *Bardenhumb* eandem nominant. Vnde ego hic *Bardenheim*, atque in Anonymo *Bordonham* legendum conii-  
cio. *Wic* enim & *heim* synonyma sunt, & recessum  
tutum habitationemque contra irruptiones subitas mu-  
nitam designant. Praeter Bardos, Celtae habebant  
*Vates*, futurorum ex auspiciis & extis victimarum  
praedictores. STRABO (c) & DIODORVS SICV-  
LVS (d) eorum meminerunt. AMMIANVS MAR-  
CELLINVS corruptius *Euhages* vocat. Ab iis Galli  
*fées* suas sibi finxerunt (e), quae & in Sueuia Helue-  
tiaque notae, *Veben* & *Vehnen* vulgo ibi dicitur.

## §. LX.

De origine  
Scytharum,  
eorumque  
expeditioni-  
bus. Vbi  
habitaerint.  
Fabula de  
Anthyrion  
cum Meelen  
burgenfium  
fatore ex-  
plofa.

Cum Scythae Araxe siue Volga transito, Cim-  
rios expulissent, diffusum iidem terrarum tractum Vol-  
gam inter & Vistulam sensim occuparunt. Loco &  
nostrae nationis homines motos, sedesque a quibus-  
dam tunc mutatas, verosimile est, hoc licet a nemi-  
ne in illa temporum obscuritate sit annotatum. Scy-  
thas, vt Volgam transfirent, a Maflagetis coactos fuisse,  
HERODOTVS prodidit. Hos Finnici generis fuisse  
atque ab Asiae Septentrione meridiem versus profes-  
ctos credas. Lappones, Finnorum proles, ducem  
vetustis-

(c) lib. IV.

(d) lib. V.


(e) Vid. praefat. meam ad LEIBNITII ColleB. Etymol. p. 2. 19.

vetustissimum *Mieschogiesche* se habuisse tradunt (f); qua in appellatione Massagetarum, a quibus orti, memoriam forte conseruant. Scytharum origo ab HERODOTO (g) distinctius refertur. Ipsi dixerunt, Iouem ex Borysthenis filia procreasse *Targitaum*; hunc vero tres filios habuisse *Lipoxain*, *Arpoxain* & *Colaxain*, ab hoc vltimo esse Reges, qui *Paralatae* vocentur; ab illo *Catiaros* & *Traspies*; ab isto *Auchatas*. Fabula forte indicat, eos omnium primo ortos a magno quodam Principe Cathaiae, quae vulgo & *kitay* dicitur. *Ter* pro domino Armeni adhuc vsurpant; neque ea vox a *Czar* differt, Monarcharum magnae Russiae & Principum Tartarorum appellatione. Vistulam eostransgressos & Germaniam intrasse non legimus. Sed Asiae incurfionibus graues fuisse constat. In HABACVCI Prophetia *Chaldaei* vocantur, quia a Chaldaeis Ponti Euxini, siue Chalybibus, venerant, alias Iudaeis ignotiores. Condiderunt in Palaestina *Scythopolin* siue *Betschan* (h) & vsque ad fines Aegypti peruenerunt. Psammitichus Rex bellum & ipsi minitantes, donis placauerat. Nec Asiae imperium amississent, nisi Orientis deliciis immerfi morbum

(f) SCHEFFERI *Lappin. cap. 6.*

(g) *lib. IV.*

(h) *Septuaginta Interpretes Iudicum lib. I. 27. IOSEPHVS Antiq. lib. V. c. 1. lib. XII. c. 12 &c.*



bum grauiſſimum contraxiſſent, & principes tandem ipſorum Cyaxaris Medi dolo interfecti fuiſſent (i). Poſt haec intra ſuos ſe fines continuerunt, nulli moleſti (k). Darius Hyſtaſpis, vt iniurias Aſiae a Scythiſ olim illatas vindicaret, Boſphoro Thracico & Iſtro ponte ſtratis, ingentem in eos exercitum ſuo malo duxit, Scythiſ callide pugnam apertam declinantibus, & militibus Darii itineris difficultate, commeatus defectu, labore vires excedente, morbisque inde ortis conſumptis. HERODOTVS, anno circiter vigefimo tertio poſt hanc Darii expeditionem natus, & cum Scythiſ conuerſatus eſt. Vnde eius relatio hiſ in rebus fidem meretur. Addit iſ, Scythas hoc bello mille ſaltem annis antiquiores eſſe. Orti igitur fuerunt anno circiter mundi bis milleſimo quingentefimo quadrageſimo ſexto, quo tempore Moſes in viuſ erat, & Cranaus Cecropiſ filius Atheniſ regnabat. *Scolotae* ſibi ipſiſ dicebantur, a Rege quodam ſuo, vt putarunt (l). Statui tamen poſſet, ſic vocatos a conditione ſoli, quod, ante Volgam ſuperatum, incoluerunt, fale referti; vnde etiam noſtro hoc aeuo Tartarorum tribuſ, quae ibi inter Volgam & Iaicum ſiue Iaxartem degit, *Solotoi borda* nominatur. Graeci *Scythas* vocarunt, a pellibuſ, quibuſ induebatur. Pelliti certe exciſi cernuntur in monumen-

(i) HERODOT. lib. IV.

(k) XENOPHON *Cyropaed.* lib. I.

(l) HERODOT. l. c.

numentis Persepoleos vetustissimis, quae CHARDI-  
 NIVS delineata nobis conseruauit. Lingua ipforum a  
 Celtica & Germanica diuersa fuit; vt ex vocibus qui-  
 busdam inde reliquis, clare perspicimus. Ad latus  
 orientale Tanais *Sauromatae* palabantur, ex commix-  
 tione Scytharum liberorum ad paludis Moeotidis prae-  
 rupta habitantium cum *Amazonum* reliquiis orti; vnde  
 eos lingua Scythica soloecizasse, HERODOTVS (m) in-  
 dicauit. Cum vero Sauromatum siue Sarmatarum idio-  
 ma illud fuerit, quo Slauorum natio adhuc vtitur; in-  
 de patet, ad idem & Scytharum linguam referendam.  
 Darii tempore duorum Scythiae trans Borysthenem Re-  
 gum, *Scopasis* & *Taxacis* nomina innotuerunt. Cis Bo-  
 rysthenem tunc imperitauit Rex HERODOTO *Indathyr-*  
*sus*, STRABONI *Idanthyrus*, ARRIANO *Iandyfus*, IUS-  
 TINO *Iancyrus*, OROSIO *Attyrus* dictus, quod no-  
 men ego *Antarum* siue Venedorum *Dominum* interpre-  
 tor. Ab hoc nugiuenduli quidam *Anthyrium* Heroem,  
 Meclenburgensium Principum, si diis placet, satorem,  
 quem, vt celebrior videretur, Alexandri M. Ducem  
 fuisse somniant, fingendi occasionem sumserunt; Ve-  
 nedos etiam Scythiae siue Antas, cum Venedis ad ma-  
 re Balthicum recentioribus, commiscentes. Post HE-  
 RODOTI tempora omnes quidem versus Septentrionem  
 fiti populi, alius licet generis fuerint, a Scriptoribus  
 Graecis Scythae vocantur; debuere tamen sensim a

R 2

Sarma-

(m) lib. IV.



Sarmatis subacti, & tandem dominati fuisse Scythae genuini; nam Augusti Imp. aetate veterum Scythia ubique *Sarmatia* dicta est, & terrae solum trans Volgam versus Orientem sitae *Scythia* audierunt. Ita nimium pacis studium & quietis amor animos viresque eneruant, ut nec optime parta tueri possint fortibus & bonis creati.

### §. LXI.

De origine Urbis Romae. Fabulosa in Historia Romuli & Remi. De vetustissimis Celtarum in Italiam a nostro latere incursionibus.

Dum haec in Scythia acciderent, in Italiam mari aduecti sunt Lydi, Phrygesque. Nouissimi Graeci magnam litoris vtriusque partem coloniis implevere. Hinc lingua Latii ex Germano-Celtica, ut ita loquar, facta est semigraeca. Sunt, qui Phrygiam linguam a Graeca diuersam statuerunt. GOROPIVS BECANVS antiquissimam Phrygiam linguam Germanicam fuisse putauit, BOCHARTVS diuersam a Graeca. Ille a maxima eruditorum parte reiectus, hic a RYCKIO (n) refutatus est. Romam certe *Graecam urbem* vocauit Ponticus Heraclides apud PLVTARCHVM (o). Troianos, Aeneae socios, DIONYSIVS aliquoties (p) *Graecos* nominauit. Ipsum *Romae* nomen Graecum est; Latini in sacris *Valentiam* dixere, quod diu occultatum Valerius Soranus euulgauit, & morte garrulitatem

(n) *Dissert. de primis Italiae colonis cap. 22. pag. 466.*

(o) *in Camillo.*

(p) *lib. 1. p. 46. 47. 48.*



litatem luit (q). Nec vana omnino est, vt CLVVERIVS (r) & BOGHARTVS (s) opinati sunt, traditio, Aeneam in Italiam venisse. Nititur certe vetustissimorum authorum ARCTINI, CALLISTRATI, SATYRI, SILENI, DEMAGORAE, AGATHILLI, DAMASTIS & CALLIAE a DIONYSIO adductorum, LYCOPHRONIS (t), omniumque Scriptorum Romanorum auctoritate. Alia argumenta RYCKIVS addidit, quae hic recensere non vacat. Idem Chronologiam Regum Albanorum ab Aeneae sanguine descendentium emendatiorem exhibuit. Recte tamen (u) observavit, suspectam esse Romae a Romulo Remoque originem, quod ante eum iam CLVVERIVS (w) argumentis non vnis probauerat. Romae iam diu ante Romulum Hercules, vt vidimus, Celticus Ioui inventori aram dicauerat, ob boues a Caco recuperatos. Et Romulum a Roma dictum verosimilius: nec Albae Longae ex Rhea Siluia, Numitore Regis Amulii fratre nata, in lucem eum editum, credibile. Qui enim, si ibi natus fuisset, in Tiberim vna cum fra-

R 3

tre

(q) PLINIVS lib. III. c. 5. lib. XXIX. c. 2. SERVIVS ad lib. I. Aen v. 280.

(r) Ital. antiq. lib. III.

(s) Peculiari libello.

(t) Cassandrae v. 1226.

(u) cap. XI.

(w) Ital. Ant. lib. III.

tre proiici potuit, centum & viginti fere stadiis secundum DIONYSIVM (x) Alba longa distantem? Multo aptior ad submergendos infantes recens natos erat lacus profundissimus in proximo illius loci situs. Et, si Albani fuissent hi gemelli, non video, cur Numitori, Regni heredibus destituto, non successerit Remus? Melius enim erat, certissimam Regni auiti possessionem capere, quam de incerta noui cum fratre altercari. Hoc euident est, Romam a Romulo in principem urbem erectam, maximique imperii sedi praeparatam. A Romuli etiam aeuo anni Urbis primum numerari coepere, atque annus mundi ter millesimus trecentissimus primus Romae primum statuitur a PHILIPPO LABBAEO inter recentiores Chronologos eminenti. Hinc certior rerum series, & traditionum incertarum loco genuina historia exordium in Occidente sumit. Luētatus est primum recens atque ex Latinis, Tuscis Phrygibus atque Arcadibus collectus populus cum finitimis ciuitatibus, quas tamen breui temporis spatio vel vi cepit, vel foederibus sibi iunxit. Iura regni ac sacerdotii, & quicquid religionem maiestatemque tueretur aut ornat, sub Regibus septem inuentum atque ordinatum est. Mercaturae studium, quod graeco ingenio excolebatur, frugalitate coniunctum, opes animosque addebat. Et cito gradu ad dominationem omnis Italiae peruenisset exoriens potentia Romana, nisi in

(x) lib. 1.

fi in ipso prosperitatis cursu irruptio Gallorum eandem paulisper sufflaminasset. Tarquinius Priscus Romae regnabat, cum *Ambigatus* Biturix Celtico praefesset. Constituerat is praegrauante turba Regnum exonerare. Incitauit ergo sororis filios, iuuenes impigros, *Bellouesum* & *Sigouesum*, vt sedes sibi alibi quaerent, numero, quantum ipsi vellent, hominum excito. Sigoueso sortibus dati Hercinii saltus; Belloueso Italia. Hic secum traxit Bituriges, Aruernos, Senones, Aeduos, Ambarros, Carnutes, Aulercos. Ingentes copiae in Tricassinos delatae, Alpes inexsuperabiles credidere. Tandem tamen *Taurino saltu inuias Alpes transcendunt*, & Tuscis ad Ticinum flumen fusis urbem condiderunt *Mediolanum*. Alia manus Caenomannorum, *Elitouio Duce*, vestigia priorum secuta, eodem saltu, fauente Belloueso, cum transcendisset Alpes, vbi postea *Brixia* & *Verona* vrbes fuere, confedit; Salluuii circa Ticinum amnem Boii, Lingonesque. cum iam inter Padum & Alpes omnia tenerentur, Pado traiecto, Etruscos & Umbros agro pellunt: intra Apenninum tamen se tenuere. Senones tandem recentissimi aduenarum, ab *Vtente* flumine vsque ad *Aesim* fines habuere. Haec *LIVII* fere verbis (y) recensui. Sed vereor, *LIVIUM* recentiorum commenta veterum relationibus immiscuisse. Eius enim narratio hic sibi  
 non

(y) *lib. V. c. 35.*

non constat. Senones inter primos, qui Italiam ingressi sunt, nominat; deinde eosdem recentissimos aduenarum vocat. In vetustissimis Fuldensibus, Moguntinensibus & Colonienfibus Codicibus manu exaratis, FRANCISCO MODIO teste, lectum est de Gallis Italiam intrantibus: *ipsique per Taurinos, saltusque Iuliae Alpīs transcenderunt, fufisque acie Tuscis &c.* Quodeum irruptioni Gallorum per Alpes maritimas, in quarum vicinia Salyum gens, repugnet, a RHENANO temere admodum in illud *Taurino saltu inuias Alpes transcenderunt* mutatum, atque a GRVTERO, GRONOVIQUE in textum Liuii receptum est. Genuina vero MODII & vetustorum exemplarium lectio, indicat clarissime, Gallos, qui Italiae se infuderunt, venisse a Danubio per Taurinos siue Styrios, Alpemque Iuliam, quae antiquissimum ad Clusam (vulgo Chiufa) transitum habet, a Guelfis deinde a nostris possessum. Fudere primum Tuscos, qui ab Infero ad Superum mare colebant, a Rhaetis egressi. Id quod migrationem per Alpes Iulias non parum confirmat. Inter populos Belouesum secutos *Ambarros* nominat LIVIVS, qui forte Ambrones, Cimbrico deinde bello notiores facti, licet non diffitear etiam in interiore Gallia alios Ambarros fuisse. Reliquos populos ex coniectura adiunxit, quia Gallos nullibi nisi inter Garumnam, Matonam & Sequanam (quos limites iis & CAESAR (z) ponit) de-  
gere

(z) *lib. I.*

gere credidit. Taurini nostri etiam ipsi ignorabantur; vnde Taurinorum Italarum rationem solum habens, Gallos per Alpes maritimas Italiae induxit. *Senones* autem FLORVS Brennis & Vindelicis iungit, vnde & illos in Alpibus nostris degisse, atque inde Italiam mouisse, certum est. Nomen ad appellationem pastorum Alpestrium *Sennen*, adhuc hodie vsitatum, alludit. Et *SVIDAS* (a) notanter Senones *Albanos*, hoc est, in Alpibus degentes, appellat. *Cenomani* cum Brixiam & Veronam circa confederint, Tridento venere. *Elitoui* Ducis ipsorum nomen a Germanico *Ludouici* differre non videtur. *Cain* apud Cambros est *albicans*, *venustum* & *pulchrum*, & cum nostro *schoen* conuenit; & *men*, locus. An ergo *Cenomani* incolae Tyrolis vbi olim fuit *Fallis venusta*, hodie *Finsthal* dicta? *Boii* Bononiae conditores & viciniae coloni etiam non aliunde, quam ex Boiohemo siue prouincia ad sinistrum Danubii latus extensa, venere. *Boii* enim Gallici a nostris orti atque a CAESARE demum (b) in Aeduis collocati fuerunt. Nostri tamen, cum Galli sint cognominati, a LIVIO similiter ex Gallia stricte ita dicta in Hercyniam syluam conducti sunt, licet Galli inde potius & in illam Galliam, & postea in Italiam mouisse debuerint, ex rationibus quas & hic & alibi adduximus.

(a) *in κελτόι.*

(b) CAESAR lib. I.



mus. Boii iidem videntur inter Gallos Roman diripientes praecipui, & Brennus, expeditionis Gallicae Dux, eorum princeps fuisse; siquidem SILIVS ITALICVS (c) vera locutus est, qui Chrixum, Boiorum tempore secundi belli Punici Ducem, se *ataui Brenni stirpe* tulisse, & Capitolia capta in titulos traxisse refert. Ibidem Scipio Brennum Chixi huius proauum vocat.

§. LII.

Galli Rheno  
superato non  
venere in  
Germaniam;  
neque Ger-  
mani aut  
Franci ab  
iis orti.

Concidit ergo opinio IO. BODINI, GABRIELIS TRIVORII (d), AEGIDII LACARRII (e), & R. P. TVRNEMINII aliorumque fingentium, ab iis, qui Sigouesum secuti sunt, & Hercyniae filuae se iniecisse traduntur, ortos esse non Boios solum, sed etiam vniuersos Germanos, & speciatim Francos. Quod si tamen argumenta modo prolata non adessent, sola & Francorum & caeterorum Germanorum lingua a Gallica diuersa, indicio foret, hos a Gallis progenitos esse non potuisse. Vnde & CLVERIVS, PONTANVS, VALESIVS maiorque eruditorum pars, meliorem sententiam amplexi, Francos pro Germanis, hosque a Gallis discretos, habuerunt.

§. LIII.

(c) lib. IV.

(d) in *observatione Apologetica* cap. 13.

(e) in *Historia Coloniar. Gallicar. lib. 1. & lib. V.*

§. LIII.

Gallos Italiae inuasores ab Oceano & Hyperbo-  
 reis montibus digressos Heraclides Ponticus (g) affir-  
 mauit. PLVTARCHVS, iactantiae causa, ita locu-  
 tum statuit. Sed Alpes, qui Italiae & Germaniae in-  
 teriacent, hoc nomine etiam ab aliis veteribus insigni-  
 niri, certum est. AESCHYLVM in Prometheo dixisse,  
 Istrum ex Hyperboreis & Riphaeis montibus deferri,  
 auctor est APOLLONII SCHOLIASTES. Simili mo-  
 do locutus est PINDARVS (h) & ipse APPOLLONIVS  
 (i). Posidonius apud ATHENAEVM prodit, Hyperboreos  
 habitare iuxta Alpes, qui Italiae sint montes. He-  
 cataeus ibidem tradit, ad suam vsque aetatem gen-  
 tem eorum durasse, librosque composuit, quos de  
 Hyperboreis inscripsit, non paruo historiae damno  
 deperditos (l).

Alpes Ger-  
 manicae vo-  
 cati Montes  
 Hyperborci.

§. LXIV.

A nostro igitur latere omnino Italiam ingressi sunt  
 Galli. Vno illectos tandem Apenninum transiisse,  
 Clusium obsedisse, atque a Legatis Romanorum ibi  
 offensos, horum exercitu ad Alliam caeso fugatoque,  
 Romam

Gallorum  
 occupatio &  
 direptio Ro-  
 mac. Roma-  
 norum Scri-  
 ptorum  
 mendacia.


S 2

(g) apud PLVTARCHVM in Camillo p. 139.

(h) Olymp. Ode III.

(i) Argonaut. lib. IV.

(l) Alia Exempla vide apud CLYVER. Germ. Antiq. lib. I. cap. P.



Romam cepisse, incendisse & vastasse, e LIVIO, PLVTARCHO caeterisque auctoribus constat. Annus Urbis tunc agebatur trecentesimus sexagesimus quartus. Gallorum Dux *Brennus* erat; Senones plerique vocant; sed alios quoque Gallorum populos Cisalpinos & Transalpinos in exercitu horum fuisse verosimile est. POLYBIUS *Ananes*, *Boios*, *Aegones* atque *Senones* hic coniungit, Italiae Colonos. Capitolium solum Manlii consiliis seruatum, non tamen armis, sed mille pondus auri ab obsidione liberatum. Camillum superuenisse, Gallos diuersis praeliis vicisse, aurumque inique extortum ab iisdem recepisse fabula communis est Romanorum aliquot Scriptorum (m). Candidior POLYBII narratio, Gallos pace cum Romanis facta, vrbeque ipsis reddita, ad suas sedes rediisse. De Camilli victoria quid Romani postea senserint ex SVETONIO (n) discimus, qui tradit, Drusum demum Propraetorem ex prouincia Galliae retulisse aurum, Senonibus in obsidione Capitolii datum; nec, vt fama, extortum a Camillo. Haesit Gallis gloriosae expeditionis memoria, Romaeque captae imaginem in vmbonibus suis amauere. Vnde SILIUS loco citato (o) de Chrixo Boio cecinit:

*Ipsē*

(m) LIVIUS lib. V. PLVTARCHVS, DIODORVS, FLORVS, EVTROPIVS.

(n) *Tiber. cap. 3.*

(o) *Lib. IV.*



*Ipse tumens atavum Brenni se stirpe ferebat  
 Chrixus, & in titulos Capitolia victa trahebat,  
 Tarpeioque iugo demens & vertice sacro  
 Pensantes aurum Celtas umbone ferebat.*

Repertus est ante aliquot annos in Anglia umbo artificiosissime elaboratus easdemque figuras exhibens. Vnde a Celtico Principe gestatum, a Romano artifice licet fabricatum, conicias. Servatur iam Londini in Museo Iohannis Woodwardi, Medici insignis, qui illum aeri incidi fecit. Videas in eo Romam captam, dirutam & incensam, Brennum cum Q. Sulpicio Tribuno militum transfigentem, pensationem auri Capitolini, adventum Camilli abiturumque Gallorum ab Urbe. Et quoniam opus antiquissimum est, delineatio- Tab. XIII.  
 nem illius nos hic adiecisse, non ingratum erit.

§. LXV.

Gallos post reditum ad sua, bella civilia excipere, Inalpinis populis in eos mouentibus. Nec tamen haec in longum traxere; nec ideo Italiam inuadendi cupido in iis extincta est. Reuersi enim sunt subinde ad concertationes cum Romanis, non vno fortunae tenore. Aliquando Albam vsque procefferunt, aliquando propius Vrbi incubuerunt. Transalpinis quoque, vt more Romanorum loquar, Gallis, hoc est, Rhaetis, Noricis & Boiis, arma sumentibus in Cis-

Variae aliae  
 Gallorum  
 cum Romanis  
 concertationes.



alpinos siue Italiae Colonos, hi suasionibus & muneribus declinauere bellum; ne tamen vane arma deponerentur, in Romanos coniunctim itum est. Boios, Gallorum omnium ferocissimos, a C. *Sulpitio* Dictatore non longe a Roma deuictos *APPIANVS* (o) commemorat, Anno ante Christum natum cclxxxii. Galli (p) ad *Arretium* Romanos pugna vicerunt. Tribuni ibi septem, nobiles viri multi & militum tredecim millia caesa sunt. Postero anno, Romani redintegratis viribus in Gallorum fines ingressi, *Senones* obuios acie profligarunt, sedibusque eiecerunt. Vrbs *Senonum* princeps *Senae* quidem *Gallicae* nomen retinuit; sed colonia Romanorum tunc facta est. Boii *Senonibus* eiectis sibi metuentes *Etruscos* adsciuerunt socios. Combinatus exercitus Romano ad lacum *Vadimonis* occurrit & pugna commissa ex *Etruscis* multi, ex *Boiis* plerique caesi sunt. Nec hoc tamen infortunio fracti spiritus *Boiorum*. Sequenti anno ad certamen rediere, & ad interuentionem fere delati, pacem petere coacti sunt, superbe nimis antea spretam

De Alexandri M. rebus gestis. Fabula de origine Francorum aut Saxonum ab exercitu Alexandri M. reliquiis. De Insignium Meclenburgensium significatio.

#### §. LXVI.

Dum haec in occidente agerentur, orientem versus res Graecorum fortunatissime processissent, nisi obicem iis *Perfarum* & *Macedonum* deinde potentia posuisset.

(o) de bello Celtico.

(p) *LIVIVS lib. XII. POLYB. lib. II. EUTROP. Sc.*

fuiſſet. Hanc Alexander felici audacia ad ſummum ex-  
tulit, cognomen Magni inde naſtus. Vno ille victo-  
riarum curſu omnes vicinos, magnumque Perſarum  
imperium ad Indos vsque ſibi ſubegerat; neque hic ſub-  
ſtitiffet, niſi mors, vel veneno vel intemperantia acce-  
lerata, in ipſo illum iuuentutis flore mortalibus eripu-  
iſſet. Paulo ante obitum vndique ad illum Legati  
confluxerant, pacem aut amicitiam eius expetituri.  
Inter hos Scythae memorantur. Hoc nomen cum  
tandem vniuerſi Septentrionis incolis tribueretur, fa-  
ctum eſt, vt modo Getae, modo Sarmatae, imo & Go-  
thi & Germani Alexandro Legatos miſiſſe dicantur a  
ſcriptoribus recentioribus. Neque vlla fere natio eſt,  
quae non decora quaedam ſibi ab Alexandro arceſſiue-  
rit. Ridicula ſunt, quae ΚΑΔΛΥΒΚΟ de Polonorum  
Legatione ad Alexandrum & victoria ab eodem relata  
confinxit(q). Philippum Alexandri M. patrem cum Go-  
this amicitiam contraxiſſe ducta Medopa, Gothilae Re-  
gis filia, IORNANDES fabulatur. Sed confundit Go-  
thos cum Getis. Francos FREDEGARIVS a Troia  
egreſſos in Macedoniam partim veniſſe, partim cum  
Friga Rege, vocatos Frigios, Aſiam peruagatos in li-  
tore Danubii & maris Oceani conſediſſe nugatur AI-  
MOINVS (r) his addit, viribus Francorum auctos Ma-  
cedonas ſub Philippo & Alexandro proſpere bella geſ-  
fiſſe.

(q) *Epist. VIII. & IX.*

(r) *Lib. I. de Geſt. Franc.*



fisse. OTFRIDVS WEISSENBURGENSIS hinc Francos de genere Alexandri M. prodiisse cecinit in Prooemio Evangeliorum Teutonicorum ad Ludouicum Germanicum. Voluere & Saxones gloria Alexandri suam augere. Vnde apud WITICHINDVM legitur, fuisse, qui dicerent, Saxones Macedonici exercitus reliquias extitisse. Eandem fabulam habent GODEFRIDVS VITERBIENSIS, CONRADVS ABBAS VRSPERGENSIS, ALBERTVS STADENSIS, THEODERICVS NIEMIVS, GOBELINVS, WERNERVS ROLEVINGIVS & Chronici Picturati auctor BOTHO. Ex recentioribus idem commentum amplexi sunt IOHANNES BOEMVS(s), CORNELIVS KEMPIVS (t) & acerrimus eius defensor SVFFRIDVS PETRVS (u). Nugas tamen esse, quae hic magna fiducia de Frisone, Saxone & Brunone totidem in Germania gentium conditoribus refert, nemo sanus vnquam dubitavit. Monumenta Frisica, quibus se niti dicit, fictitia sunt omnia, nulliusque auctoritatis. Et Graecam nostratium originem iam dudum refutarunt viri eruditi, ex quibus CRANCIVM, REINECCIVM, FABRITIVM & ALBINVM sufficiat nominasse. Meclenburgenses Principum suorum antiquitatem etiam ad Alexandrum vsque extenderunt. Parti illi Venedorum dominati sunt.

(s) lib. III. c. 13.

(t) *Histor. Frisc. lib. I. c. 9.*

(u) *lib. de origine Frisorum.*

sunt. Cum igitur etiam omnem a Vistula ad Borystem siue Danastrum, atque inde ad Pontum & Danubium regionem a Venedis habitari apud IORNANDEM legissent, ibique Scythis aliquando Regem *Indathyrsum* HERODOTO nominatum, & IORNANDI corruptius *Antyrum* dictum, ac pro Gothorum Rege falso habitum, praefuisse intellexissent; hunc suorum Principum satorem vane satis constituerunt. Vt autem clarior ille appareret, fabulam fabulis auxere, Anthyriumque sub Alexandro M. Ducis munia gloriose exercuisse finxerunt. Addunt, post mortem Domini nauis domum vectum, quod caput bucephali pro insigni habuerit, vnde *caput bouinum* in Meclenburgensibus insignibus ortum traxerit (w). Ego certius suspicor, arma, vt Heraldici vocant, loquentia esse, a Borwino, Henrici Leonis genero, cum Polaborum partem quandam beneficio socii possideret, in usum traducta. *Wola* enim vel *bola* Venedis *bouem* & *glowa* vel *blawa* caput denotat; vnde Polaborum nomen, quanquam proprie ad Albim habitantes indicet, tamen etiam sono suo *bouis caput* aliquo modo refert. Polabiae illam partem postea amisisse videtur Borwinus, & Ilouiae ac Meclen-

(w) NIC. MARESCALLVS in *Annal. Herulor. & Vandalor. lib. 11. c. 1.* Carmen Germanicum in MORHOFII *Relatione de lingua Germ.* BANGERTVS in *notis ad HELMOLD. p. 129.* MASIVS de *Diis Obotrit. c. 17. §. 3.*



Meclenburgo tantum praefuit (x). Retinuit tamen in armis caput bouinum, semel receptum, & Meclenburgo quoque, vbi princeps ipsius sedes erat, pro insigni reliquit, vt nostri quoque Principes Leones suos Brunsvico & Luneburgo impertiti sunt.

### §. LXVII.

Diuisio imperii Alexandrini. Celtis inde occasio Orientem inuadendi.

Alexandro M. rebus humanis exempto imperii illius moles in varias discerpta est partes. Ptolomaeus Lagi filius Aegyptum, Antipater Macedoniam, Antigonus Pamphiliam, Lyciam & Phrygiam, Cassander Cariam, Craterus Graeciam, Eumenes Paphlagoniam, Cappadociam & prouincias vicinas, Lyfimachus Thraciam, alii alias regiones receperunt (y). Eminuere tamen prae caeteris tria in tribus orbis partibus regna, Macedonum in Europa, Ptolomaeorum in Aegypto, Africae prouincia, & in Asia Syriacum Seleucidarum. Prouinciae a valido vnus imperii nexu solutae tum vbique ad pristinam libertatem adspirantes passim rebellauere, & Principes ipsi variis dissidiis inter se collisi vires sibi inuicem attenuauerunt. Harum rerum notitia peruenerat ad Celtici generis populos, qui haecenus in Italia virtutis fortunaeque periculum, impari licet successu, fecerant. Placuit itaque ingentia arma Orientem versus vertere.

### §. LXVIII.

(x) ARNOLD. *Chron. Slaueor. lib. III. c. 4.*

(y) DIODORVS SIC. *lib. XVIII.*

§. LXVIII.

Effuderant se iam diu antea ex Hercynia sylua Alpibusque suis in Pannoniam, Illyricumque, & vicina Graeciae loca infestarant, quo duce, incertum. Nisi is *Sigouesus* fuerit, quem ex Gallia in Hercyniam syluam coloniam duxisse fabulati sunt Romani, cum potius eundem ex Hercynia in Pannoniam & Illyricum cum suis migrasse, dicendum fuisset. Verosimile enim est Boios in Pannonia & Scordiscos aliosque ibidem ex Boiohemo illuc profectos fuisse. Factum itaque est hoc eodem tempore, quo alii Galli in intima Italiae sub Belloueso penetrarent. Id quod *IUSTINVS* diserte ex veteribus asseruit (z). Post haec, *Cambau-le* Duce, porro in Thraciam, *PAVSANIA* (a) referente, irruerunt, praedasque egerunt. Successus animos addidit. Hinc auxiliis vndique coactis, iterum ingens peditum equitumque exercitus coaluit, cuius pars, *Cerethrio* Duce, in Thraces & Triballos descendit; pars sub *Brenno* & *Acichorio*, Pannoniam vastauit; pars, *Belgio* praeeunte, Macedones & Illyrios petiit; Ptolomaeumque Macedonum Regem, audacius contra ire ausum, praelio vicit & occidit. Praeda onusti ad patrios fines & tunc rediere (b), victores orbis terrarum vinci posse, docuisse contenti.

De Expeditionibus Celta-  
tarum in  
Pannoniam,  
Illyricum,  
Thraciam &  
Macedoniam.


T 2

§. LXIX

(z) lib. 24. 4.

(a) lib. X.

(b) *PAVSAN.* l. c.



## §. LXIX.

De iis, qui  
sub Bren-  
no Grae-  
ciam inuase-  
re. Gallos  
hos Cisarhe-  
nanos fuisse  
demonstra-  
tur.

Brenno tamen & Graecos adire animo sedebat. Ille igitur non cessabat, populares excitare, in conuentibus hanc rem continue proponere, finitimos in foedera sollicitare. Persuasus est tandem populus, praedae opimioris spe animatus. Ab vltimis Oceani finibus barbaros conuulsa Graeci (c) ferunt: quare & Germanos inter ipsos militasse, non sine causa conuicitur. Illyrios in exercitu Gallorum fuisse APPIANVS (d) prodit. CALLIMACHVS Delphorum oppugnatores, vt supra etiam attigimus, *Titanum posteros* vocat, eosque ab Occidente remotissimo, niuibus ob multitudinem aequiparandos affluxisse, refert. Vtrumque & in Gallos & in Germanos quadrat, Ditem aut Teutatem pro fatore communi venditantes, & Graecorum respectu Occidentem versus sitos. *Tolistobogios, Tectosages & Trocmos* in hac expeditione LIVIUS (f) commemorat. *Tolistobogios* fuisse Boios a Duce *Tolisto* cognominatos STRABO (g) indicauit. Qui Trocmi fuerint dubium est. Si quid tamen coniecturis dandum est, ad *Reganum* fluuium eos, nominis vicino sono persuasus, collocarem. *Tectosages* cum Galliae Transrhenanae Tectosagibus, quorum vrbs *Tolosa* fuit, cum IUSTINO non sunt confundendi. Quemadmodum & aurum a Caepione Tolosae

(c) PAVSAN. l. c.

(d) lib. de Bell. Illyric.

(f) Lib. XXXVIII. ib.

(g) lib. XII. & IV.



Tolosae inuentum, non ex spoliis Delphicis congestum; sed Diis suis a Gallis consecratum atque repositum fuisse Posidonius apud STRABONEM (b) affirmat. Nostros enim fuisse Teetosages, & cis Rhenum Hercyniam syluam incoluisse, credible est. Nomen ipsorum forte in nomine loci *Dachsland* ad Rhenum superiorem sito superest. Nec Brennus etiam ipse cum Brenno, qui Romam cepit, cum quibusdam confundendus. Aetate enim centum & quod superat annorum ambo discreti sunt. Nec Brenni nomen virile; sed dignitatis est, atque apud Cambros adhuc *brenin* Regem, Principemque designat (i). Brennum hunc gente *Prausum* fuisse, STRABO (k) indicauit, incertus vbinam hic populus habitauerit. Ego Prausos coluisse statuo eo loci, vbi adhuc superat *Prausorum regio*, hoc est, vt nunc loquimur, *Breisgouia* siue *Brisgouia*. Ita Prausi Teetosagum vicini fuerunt. A Rheno itaque per omnem Danubii tractum ad Thraciam vsque Celtae exciti fuerunt, quibus APPIANVS (l) *Scordiscos* a Colapi fluuio ad Istrum, secundum STRABONEM (m) protensos, *Medos* siue *Moesos* & *Dardanos* addit

T 3

(n).

(b) lib. IV. p. 130.

(i) Vid. CAMDEN, Brit. BOCHARTI *Geogr. Sacr. lib. 1. c. 42.*  
DAVIES in *Lexic. Cambro-Britan.* & LHUYDIUS in *Archaeol. Britan. sub voce Rex.*

(k) lib. IV. p. m. 130.

(l) l. c.

(m) lib. VII.



(n). Maximum exercitum ex his coaluisse, quis dubitet. PAVSANIAS peditum centum & quinquaginta duo millia, equitum supra sexaginta millia amplius mille & ducenti fuisse tradit. IVSTINVS (o) aliquantum ex hoc numero detraxit.

§. LXX.

De Gallis,  
qui Asiae  
partem occu-  
parunt Galla-  
tiam ab ipsis  
dictam.

Cum tamen ad Dardanos ventum, viginti millia electorum militum, Tolistobogii nempe, Trocmi & Tectosages, seditione orta, a Brenno discesserunt in Thraciam. Duces erant *Leonorius & Lutharius* (p), in quibus Germanica *Leonhardi & Lotharii* nomina obferues, Principesque ipsos gente Germanos fuisse existimes. Hi Thracia vastata, aliquamdiu Byzantium oramque Propontidis vectigalem habuerunt, tandemque in Asiam transmittentes, maiorem etiam eius partem sibi tributariam fecerunt. IVSTINVS (q) tamen dixit, Gallos ad tuendos fines a Brenno Duce, cum in Graeciam proficisceretur, domi relictos, in Asiam transmigrasse. Qui eos in auxilium primum vocauerat Nicomedes Bithyniae Rex, devicto maxime eorum opera Zyboea, partem regni iis concessit, ab ipsis deinde *Galatiam & Gallograeciam* cognominatam. Quae fata deinde haec regio habuerit, MARCVS VELSE-

RVS

(n) in *Illyric.*

(o) *lib. XXIV. c. 6.*

(p) *LIV. l. c.*

(q) *lib. XXV. c. 1.*

RV S (r) pluribus explicavit. Nos addimus saltem, ad Galatas hos, a suscepto semel verae religionis cultu aberrantes, D. PAVLUM insignem Epistolam scripisse, ubi eos *διωήτες* (s) siue *stultos* appellat, ad soli, quod infederant, genium ac proprietatem veluti alludens. Paphlagonēs enim, in quorum regionis parte degebant, a Graecis pro bardis & stolidis olim habiti (t). HIERONYMVS hic commemorat, visam sibi Ancyram Galatiae Metropolin, vetustae ruditatis vestigia servantem: ceterum linguam, excepta Graeca, qua totus Oriens utebatur, ferme eandem fuisse, quae tunc esset Treuironum. HIERONYMI aevo, Treuiros iam Germanorum magis mores & linguam, quam Gallorum tenuisse, constat; ut adeo hinc pateat, & in Asia partem Germanorum Gallis mixtam fuisse. Nomina certe Regum Ducumque ipsorum idem confirmant. Modo *Leonorium* & *Lutharium* attigimus. *Ortiagon* (u), qui deinde cum Manlio conflixit, nostrum *Hartog* siue *Hertzog*, Dux, refert. Eiusdem aetate clari, *Combolomarus* & *Gaulotus*, Gallicum quid sonant. Nomen tamen *Deiotari*, quem Senatus Romanus Regem nominavit, & CICERO eleganti Oratione defendit,  
idem

(r) *Rev. Boicar. lib. II.*

(s) *cap. III, v. I.*

(t) SPANHEM. *ad Callimach. Hymn. in Delump. m. 440.*

(u) Vid. SVIDAS *in voce Ortiagon.*



idem ac illud *Dietheri* vel *Theoderici* esse videtur, vt caetera praetermittam.


§. LXXI.

Delphorum  
oppugnatio  
Gallica, Gal-  
lorumque ad  
eos elades.

Sed ad Brennum redeundum, qui insuper habito tot suorum secessu, perstitit in consilio Graeciam inuadendi. Macedonia igitur vna cum Acichorio, socio Celtarum Principe, peragrata, Sperchium flumen traiecit (x) & per agrum Heracleensem apud Thermopylas transitum tentauit; sed a Graecis cum magno suorum damno repulsus est. Nec septimo post die felicius cum iisdem ad Oetam montem praeliatus est. Tandem Heracleotae & Aenanes, vt se barbaris hospitibus liberarent, ipsi aliam per Oetam viam ostenderunt, quam Acichorio sub Thermopylis aduersus Graecos relicto, secutus, Graeciam ingressus est, Graecorum exercitu euentu inopinato consternato, & ad huius rei nuntium dilabente. Delphos tunc petiit, quorum loci ex donariis tot gentium congestus thesaurus non secus olim, ac nunc in Italia gaza Aedis B. Mariae Lauretanae, celebris erat. Huic inhiabat gens auri auida. Brennus cum in conspectu haberet templum, diu deliberauit, an confestim id aggrediretur, an vero fessis via militibus, noctem ad vires restaurandas daret. Duces socii *Emanus* & *Thessalorus* (quod nomen AVENTINVS & VELSERVS *Thessalonus* legerunt) moras amputari iubent. Brennus in alia abiit, & tempus ad corpora

(x) PAUSANIAS l. e.

pora curanda dedit. Interea aliquaer Gaecorum copiae  
 auxiliares aduenerunt, a quibus & oraculo, sacerdotum  
 cura diuulgato, Delphis fiducia resistendi. PAVSA-  
 NIAS & IVSTINVS memorant, tunc lapidibus  
 proiectis infestatos oppugnatores: Apollinem ipsum  
 praesentem suis fuisse: terram, quam Galli occupa-  
 uerant, ingenti motu contremuisse: crebra tonitrua &  
 fulmina eos exterruisse, & singulos ferme coelestibus  
 ignibus correptos conflagrasse: Vistas etiam consurgere  
 heroum species, & Delphis auxilio esse: nocte infe-  
 cuta funestioribus percussos casibus: acerrimum frigus  
 cum niue plurima eos afflixisse; saxa praeterea ingen-  
 tia & montis crepidines, sponte e Parnasso auulsas,  
 in barbaros corruisse: inter haec Phocenses a tergo  
 inuasisse Gallos tot malis consternatos, eosque, Bren-  
 no vulnerato, in fugam dedisse: postera nocte punico  
 terrore percussos barbaros, &, Graecos adesse somni-  
 antes, in se ipsos arma conuertisse, plurimosque ibi  
 mutuis vulneribus concidisse: reliquias exercitus cum  
 copiis *Acichorii* aduenientibus se coniunxisse, & Grae-  
 cis cum iaculis continue hostiliter incessentibus, aegre  
 Heracleam rediisse: ibi Brennum hausto mero, secun-  
 dum PAVSANIAM, vel pugione, secundum IVSTI-  
 NVM, vitam sibi taediosam finiisse; tandem ad Sper-  
 chium retrogressis ex insidiis superuenisse Thessalos  
 & Malienses, ac tantam iis stragem intulisse, vt ne vnus  
 quidem superfuerit, aut saluus domum redierit. Quae



APPIANVS de suis Illyriis peste & diluuiio post reditum  
 punitis narratiam praetereo. Inde tamen intelligas, non  
 omnes in expeditione periisse. ATHENAEVS (y) prodit,  
*Cordistas* (ita *Scordiscos* vocat) reliquias Gallorum, qui  
 Brenni ductu oraculum Delphicum armis tentarunt, in  
 agris Istro vicinis a quodam eorum Duce *Bathanato* col-  
 locatos esse, viamque qua reuersi sint inde suo ad-  
 huc aeuo *Bathanatum* dictam fuisse. Ex ipsis Tecto-  
 sagibus quosdam Illyricum petiisse, & spoliatis Istris  
 in Pannonia resedisse IUSTINVS habet. Nec si omnis  
 ad Delphos Gallorum exercitus caesus fuisset, ii qui in  
 Thraciam secesserant, ausi fuissent, viribus nationis  
 suae tantopere infractis, anno statim excipiente, in  
 Asiam transire, eamque sibi tributariam facere. Del-  
 phicum templum omnino a Gallis captum & spolia-  
 tum esse DIO & POSIDONIVS etiam apud STRA-  
 BONEM (z) non inficias eunt. APPIANVS cum  
 non conciliare posset auctores de Gallis ante captos  
 Delphos deletis scribentes, & alios, Delphos a Gallis  
 captos referentes; duplicem expeditionem eorum sibi  
 confinxit: vnā, qua cladem acceperint; alteram  
 multo posteriorem, qua Cimbris nescio quibus con-  
 iuncti templum spoliauerint. Post occupatos autem  
 Delphos ob dissensionem dispersos, alios alio abiisse,  
idem

(y) *Lib. VI. p. m. 234.*

(z) *Lib. IV.*

idem POSIDONIUS retulit. Aliquam tunc victoriam de iis Graecos obtinuisse, atque ideo enses, baltheos & clypeos Gallicos Apollini Delphico in rei gestae memoriam suspendisse, CALLIMACHO auctori coaetaneo credendum est (a). POLYBIUS (b) huius Gallorum cladis meminit. CALLIMACHVS porro commemorat, etiam victoriam, a Ptolomaeo Philadelpho ab iisdem Gallis Delphici templi spoliatoribus relatum. Veterum ad hunc locum scholiorum auctor plenius haec, a caeteris scriptoribus praetermissa, enarrat; eos nempe, qui ex Delphica clade superfuerint, ab Antigono quodam, non Macedoniae Rege, sed Ptolomaei amico, fuisse conductos, vt secum sub mercede militarent; iis enim copiis indignis Ptolomaeum. Gallos autem hos cum Ptolomaei pecuniam diripere voluissent, idque Rex edoctus fuisset, ab eo ad Nili ostium Sebeniticum translatos, ibique eius iussu submersos fuisse. Expeditio de caetero Delphica contigit, PAVSANIA teste, anno altero Olympiadis centesimae & vicesimae quintae, hoc est, ante Christum natum ducentesimo septuagesimo octauo.

§. LXXII.

Tot vero hominum e terris, quas Danubius praeterlabitur, & Rhenus exoriens attingit, profectio & iactura ingentem iis vastitatem necessario intulit.

De vera origine Alemannorum ex Germanis

V 2

Vn-

(a) *Hymn. in Delum vers. 181. seq.*

(b) *Lib. II.*



Vnde probabile est, gentem *Germanorum*, quae eadem est ac *Herminonum* infra Moenum tunc habitantem coloniis idem flumen transmisisse, se tandem cum reliquiis ibi Gallorum coniunxisse, vacuaque loca cultoribus impleuisse. Tum itaque, quod DIO (c) refert, etiam factum est, ut omnis regio Celtica, quae ad Rhenum est, ab iis occupata *Germania* vocaretur. Speciatim tamen regionem illam, quae a Gallis Germanisque in vnum commixtis incoli coepit, a ceteris maioribus nostris, exterorum consuetudinem & connubia in sedibus suis auitis adhuc refugientibus, tunc *Alemanniam* siue *terram publici iuris*, atque vbi quilibet pro lubitu habitationem commixtım sibi sumere potest, appellari coepisse, non sine causa reor, ut adeo in origine Alemannorum ad TACITI decumates agros & solum ibi dubiae possessionis non sit confugiendum; quanquam & hoc ad Alemanniam pertinuerit. *Allomanne* olim & *Almende* etiam nunc, nobis locus syluae, agri, prati, pagi aut territorii, qui communis est omnibus, & promiscui vsus (d). Nec adeo absone QUADRATUS ASINIVS, qui Romanam Historiam vsque ad Alexandrum Mamaeae aut Philippos potius produxit (e) apud AGATHIAM statuit, Alemannos esse vi nominis sui *conuentitios homines & mixtos*. Nec mirandum est, seri-

rius

(c) Lib. LIII. p. m. 576 577

(d) Vid. notas ad Catechesin Theotisc. meas pag. 113.

(e) Vid. CELLARI: Geograph. antiq. T. 1. p. 449.



rius auditum nomen eorum. Generalius enim illud Germanorum, specialius hoc deprimebat, donec auctis ex terrae cultu & commerciis cum Romanis, bellicisque expeditionibus fama populi virtusque, incla-ruit, atque a Caracallae aeuo, qui Alemannos deuicisse dicitur, Romanis scriptoribus vsitatum factum est (f). VOPISCVS tamen in Proculo scribit, Alemannos tunc adhuc GERMANOS dictos, veteri scilicet appellatione. LIVIVS de Hannibalis transitu in Italiam agens, vbi Pennini montis meminit, dicit loca, quae ad eum fe-runt, gentibus semigermanis obsita fuisse, Alemannos in-telligens, qui, vt hinc patet, iam tunc quoque aliquam Heluetiae partem infederant, per expeditiones in Grae-ciam incolis vetustis dubio procul exhaustam. Vnde & TACITVS Alemannos sub nomine Heluetiorum, quos ad vetustiora tempora respiciens, Boiis confines facit, comprehendisse videtur. Inter Boios enim & Heluetios eius iam aetate Alemannos degisse ex hacte-nus dictis certum est.

§. LXXIII.

Eodem tempore & aliam Germanorum manum transito Mosellam inter & Mosam Rheno, pulsisque veteribus incolis Gallis in Belgicam se sensim effudisse conicias. CAESARI (g) relatum est, plerosque

Germano-  
rum in Bel-  
gicam irrup-  
tio. Taciti  
locus de no-  
mine Germa-  
norum ex-  
plicatus.

V 3

Bel-

(f) SPARTIANVS cap. 10 & AVREL. VICTOR in Caracalla.

(g) Comment. 11.



*Belgas esse ortos a Germanis: Rhenumque amnem antiquitus transductos, propter loci fertilitatem ibi confedisse; Gallosque, qui ea loca incolerent, expulisse. Quamuis & coacti forte Rhenum transfierunt, a Sueuorum illa natione, qui Catti postea dicti sunt, pulsivi, ut STRABO (b) expressis verbis indicat. Nam eos qui TACITO & posterioribus sunt Catti, nobis vulgo Hessen, CAESAR Sueuos vocat. Nouos autem illos Belgii colonos Germanos modo laudatus CAESAR speciatim Eburones, Condrusios, Caeraesfos, Paemanos, vno nomine Germanos appellatos indicat. Atuaticam castellum idem CAESAR (i) in medijs Eburonum finibus ponit, & tamen hoc PTOLEMAEVVS, Itinerarium ANTONINI, alique veteres Tungrorum fuisse indicant. Vnde clarum est, Tungros a TACITO etiam nominatos, sed CAESARI adhuc ignotos, in Eburonum & reliquorum locum, fato nescio quo, successisse. Hi vero Eburones cum socijs, aut Tungri, dubie procul fuere illi Germani, qui Cimbro Teutonisque, cum omnem Galliam vexassent, fines suos ingredi prohibuisse apud eundem CAESAREM dicuntur (k). TACITVS, vbi de origine Germanorum agit, vetustiorum quorundam scriptorum sententiam profert.*

(b) *Lib. IV.*

(i) *Comment. VI.*

(k) *Com. II.*

profert. *Affirmant, ait, Germaniae vocabulum recens  
 Et nuper additum, quoniam, qui primi Rhenum trans-  
 gressi Gallos expulerint, nunc Tungri, tunc Germani  
 vocati sint: ita nationis nomen, non gentis eualuisse pau-  
 latim, ut omnes primum a victore ob metum, mox a se  
 ipsis, inuento nomine, Germani vocarentur. Ii itaque, quos  
 TACITVS citat, statuerunt Germanorum nomen militare &  
 ad metum incutiendum aptum fuisse; vnde illud ge-  
 nuine *Herman* quod *militem* nobis designat, olim pro-  
 nunciatum coniicio; literis H & G soni vicini postea  
 inter se permutatis, ut solet, & supra ostensum est.  
 Eo formidabilius autem videbatur Germanorum postea  
 nomen, quod cum voce *werre guerre*, bellum, etiam  
 consonaret. TACITO narratum est, hoc nomen il-  
 lam nationem, quae Rheno transito Gallos vicerit, ex-  
 puleritque, quaeque TACITI aevo Tungrorum appella-  
 tionem gesserit, assumsisse, & populares suos reli-  
 quos eo etiam appellasse; ut nempe vel ipso nomine,  
 bellicum & hostile quid sonante aduersariis metum in-  
 cuteret: inuento porro semel fausti ominis vocabulo,  
 placuisse id deinde omni illi genti, vnde Tungrorum  
 maiores prodierint, & ab eadem communiter adopta-  
 tum fuisse. Errant igitur, qui TACITO imputant,  
 quod prodiderit, Germaniae nomen suo aevo fuisse  
 nouitium. Non enim TACITVS hoc dicit, sed ii de  
 suis temporibus affirmarunt, quorum scriptis vsus est.  
 Ipsi ii veteres auctores errarunt, quod putauerint, no-  
 men*

men Germaniae recens additum, quia ipsis recens auditum. Trans Rhenum enim degebat ab antiquo maxima *Herminonum* gens TACITO, PLINIO ceterisque memorata atque ab *Hermino*, *Irmino* vel *Armino*, vetustissimo heroe, & postea in Deum belli praesidem elato, (de quo supra plura) ita dicta, quae omnia communis patriae nostrae mediterranea ad Rhenum usque occupabat, & colonias has trans Rhenum siue veterem gentis limitem in Gallicum solum miserat. Neque enim aliunde proficisci poterant. Ab his Herminonibus, siue, quod idem est, Hermanis aut Germanis, commune nomen secum apportasse *Germanos* Gallici soli colonos, rerum series & ratio suadet. Illustris etiam LEIBNITIVS idem aliquoties argumentis non contemnendis ostendit (1) nec, qui contradixerint, habuit. Germaniae ergo nomen eo tempore, quo Tungrorum maiores, Eburones, Condrusi, Caeraesi & Paemani, Rheno traiecto, Gallos expulere, non inuentum; sed Gallis saltem Romanisque cognitum primum factum est. Germanorum autem appellatio a Romanis, Ingaevonibus & Istaevonibus, promiscue tributa est, quanquam diuersitas quaedam inter eos esset; ut solent remotiores nationes a viciniore & notiore appellari. Sic Turcae eodem modo Europae incolas Christianos *Francos*, Galli nos *Alemannos*, Finni omnes Germanos *Saxones* vocant.

§. LXXIV.

(1) In not. ad script. Brunsv.

quod  
Puni  
Q. F  
sed p  
mani  
cinis,  
runt.  
minatu  
Sed an  
Lapide  
gloria  
M. CLA  
COS. L  
K. MAR  
DVCE.  
INTER  
Virdom  
PROPE  
copias  
memin  
isse put

§. LXXIV.

Boii interim, Insubresque, Italiae incolae, more quodam suo, Romanos continuo fere laceffiuerunt, Punicis bellis distentos. Boii ad Padum T. Manlio & Q. Fulvio Coss. in fidem deditionemque recepti sunt; sed post eos Insubres copiis auxiliariis, etiam a Germanis, hoc est, Alemannis, nouis illis trans Alpes vicinis, vndique contractis, victori populo insurrexerunt. *Gargenus* ipforum Rex apud *SILIVM* (m) nominatur, quem C. Flaminius Consul vicisse traditur. Sed anno sequenti, qui est ante natum Christum CCXX. Lapides Capitolini subactorum Insubrum & sociorum gloriam M. Claudio Marcello tribuunt. Legitur in iis:

Boiorum, Insubrum & Germanorum bella aduersus Romanos.

M. CLAVDIVS. M. F. M. N. MARCELLVS. AN. DXXXI.  
 COS. DE. GALLEIS. INSVBRIBVS. ET. GERMANEIS  
 K. MART. ISQVE. SPOLIA. OPIMA. RETTVLIT  
 DVCE. HOSTIVM. VIRDOMARO. AD CLASTIDIVM  
 INTERFECTO.

*Virdomarum* *FLORVS* (n) Insubrem nominat. *PROPERTIVS* (o) genus eum a Rheno duxisse, & copias eius ab eodem Rheno traiectas refert, vt supra meminimus; vnde Germanorum auxiliarium Ducem fuisse putes. Magni Principis arma Feretrio Ioui Marcellus

(m) Lib. V.

(n) Lib. II. c. 4.

(o) Lib. IV. El. penult.

cellus suspendit, quod praeter Historicos Romanos VIRGILIUS (p) commemoravit.

§. LXXV.

Coloniae Romanorum in devictorum Gallorum terras in Italia ductae.

Alia bella minoresque velitationes, quae Gallis in Italia cum Romanis intercessere, tanquam a scopo meo alieniora, praetermitto. Hoc solummodo adiicio; Boios tandem anno ante Christum CLXXXVI. siue sponte sua, siue vi pulsos (r) Italia excessisse. Novas sibi sedes apud Tauriscos, siue, ut nunc audiunt, *Stirios*, STRABONE notante, statuerunt, bellum ibi postea contra Dacos gesserunt, donec tota ipsorum gens funditus excisa, agrum, qui ad Illyricum pertinebat, desertum ac pecoribus pascuum vicinis reliquit. Hinc *desertis Boiorum* inter Arabonis fluuium & lacum Peisonis nomen, PLINIO (s) memoratis. *Bononiam*, urbem eorum in Italia praecipuam, quae & *Felsina* alias dicta, iam dudum coloniam Latinam ex Senatusconsulto L. Valerius Flaccus, M. Atilius Serranus & L. Valerius Tappus Triumviri deduxerant. (t) Iam ubi penitus e provincia exacti, statim & *Mutina*, sedes iam Ducum huius nominis ex Estensi stirpe prognatorum, & *Parma* colonias Romanorum civium accepe-

(p) *Aeneid VI. v. 809.*

(r) STRABO *lib. V. p. 147.*

(s) *lib. III. c. 24.*

(t) LIV. *lib. XXXVII. c. 57.*

ceperunt, M. Aemilio Lepido, T. Aebutio Caro & L. Quintio Crispino Triumviris easdem deducuntibus (u). Istris etiam domitis C. Claudius Consul *Aquileiae* coloniam instituit. *Insubres* domitos tandem relictos, atque etiam excultos STRABO (x) prodit. *Mediolanum* pagus olim, post vrbs praeclara, & tandem Regni Longobardici Metropolis facta est, in cuius propinquo minores, *Brixia*, *Mantua Regium*, quae iam quoque *Estensibus* paret, & *Comum*. Vniuersam Galliam Cispadanam Romana ciuitate, post eandem toti Italiae impertitam, cum iure quoque suffragii a Pompeio Strabone donatam STRABO (y) innuit, & EZECHIEL SPANHEMIVS (z) fusius ostendit. Transpadanis eundem Pompeium ius tantum Latii concessisse ASCONIVS (a) retulit: ciuitatem autem Romanam demum Iulius Caesar Dictator anno ante Christum natum XLV. (b) iisdem, hoc est Insubribus, Cenomanis, Venetis, Orobiis & Lebiis largitus est. *Ligures*, vt & hoc addam, diu admodum post haec ciuitatis Romanae iure caruere. Et Nero demum *nationes Alpium*

X 2

mari-

(u) LIV. lib. XXXIX. c. 51.

(x) lib. V. p. 147.

(y) lib. V. p. 250.

(z) Orb. Roman. p. 89.

(a) In Pisonian.

(b) DIO lib. XLI. p. 118.



*maritimarum* (c), quibus Ligures a Geographis accensentur, in ius Latii transtulit.

§. LXXVI.

Germanorum motus, & Sueuorum, Aforum, Cimbrorum & Teutonum expeditiones in Septentrionem De Thoro vetustissimo Principe.

Infra Herminones siue Germanos colentes populos Ingaeuonum, Istaeuonumque etiam interea Celtica in Graecos expeditione commotos fuisse, quis dubitet? Ex Ingaeuonibus certe *Sueuos*, Germanis loca altius & circa Danubium & Alpes sita occupantibus, Rhenumque superantibus, loco mouisse ostendimus. Qui infra Sueuos Chersonesum littusque Codani sinus & nostri maris incolebant, *Cimbri* erant *Teutonisque*, forte & ipsi olim ex Sueuis. Vtraque natio insulis Codani sinus & obuerso Septentrioni ab antiquo colonias immisit, veteribus incolis Lappis Finnisque in interiora & montana compulsis. Quo tempore incertum. Euntium in terras illas ducem fuisse *Thorum* vetustissimum (nam & recentior in Saxonum historia & Sagis Septentrionalium occurrit) facile mihi persuadeo. Quia *Thor* apud Danos & Suecos olim Deorum summus creditus est (d). Finni Lapponesque & hostem venerati sunt, tanquam bellorum Deum, sub nomine *Turrisas* (e), quod *Torum* natione *Asum*  
non

(c) TACIT. *Annal.* XV. c. 31.

(d) Vid. SCHEFFERI *Vpsal.* cap. 6.

(e) WEXIONIVS *Descript.* Succ. IX. c. 2.



non incongrue SCHEFFERVS explicauit (f). Quod si verum est, sequitur, eum ex litore Balthici maris nostro venisse, & Sueuum, siue Vandalum fuisse, ex gente Asorum, de quibus supra iam quaedam attuli. Quanquam, qui postea sub Odino Septentrionem subegerunt, forte haec de origine Thori commenti sunt, vt gloriosiores genti deuictae etiam ratione antiquitatis & cum Thoro cognationis apparerent. Nec soli Septentrionales Thorum pro Deo habuerunt; sed & Saxones & Sueui, imo ipsi Celtae, quibus Iupiter tonans *Taranus*. Vpsalia, si ab Odino inuenta iam fuisset, vt ferunt (g), Thorum vel eius coloniae aliquem authorem habere deberet. IOHANNES MAGNI (h) ab Vbbone ante tempora Abrahae aedificatam tradit. Sed multo recentior est. Ex vetusto enim Scriptore ALBERICVS Monachus Trium fontium (i) refert, saeculo demum sexto conditam & nominatam fuisse Vpsalam ab Vffa, Redwaldi Orientalium Anglorum Regis auo, cuius aulae sedes in Suecia fuerit. Quod a Cl. BENZELIO quoque probatum fuisse (k) laetor.

X 3

§. LXXVII.

(f) *Lappon. c. 7.*(g) SCHEFFERVS *l. c.*(h) *lib. 1. c. 6.*(i) *ad an. 636.*(k) *in Notis ad Vastouii Vitem Septentr.*

## §. LXXVII.

Cimbri qui-  
nam fuerint,  
& ubi habi-  
tauerint?

*Teutones* sua adhuc aetate Codanoniam siue Scan-  
dinauiam, hoc est, vt supra ostensum, Iutlandiam te-  
nuisse, MELA (l) affirmat. Infra eos ergo, in Hol-  
satia Wagriaque, & reliqua Chersoneso, *Cimbros* degisse  
STRABONI credendum est. PLINIUS (m) sinum  
Lagnum *Cimbris conterminum* facit. Sinum autem La-  
gnum esse illum, qui SAXONI GRAMMATICO *Lymicus*  
dicitur, atque ad Alburgum Iutiam pene disrum-  
pit, alibi demonstrauius. Consentit TACITUS (n)  
qui *Cimbros sinum Oceani tenere* dicit: & PTOLO-  
MAEVS (o) ab iis Chersonesum *Cimbricam* vocat.  
Nec dissentit PLVTARCHVS (p) *Oceanum Septentrio-  
nalem*, hoc est, mare Balthicum, eos *accoluisse* referens.  
Non autem sola Chersoneso contentos; sed etiam in  
littore maris Germanici diffusos ab Albi vsque ad  
Rheni exitum, STRABO docet. Vnde & *Cauchorum  
Frisiorumque* gentes iis comprehensae. Qui a Cim-  
meriis eosdem cum Posidonio apud eundem STRA-  
BONEM, aut cum aliis apud PLVTARCHVM (q)  
deri-

(l) lib. III. c. 3. & 6.

(m) lib. IV. c. 13.

(n) Germ. c. 37.

(o) lib. II. c. 12.

(p) in Mario p. 451.

(q) in Vita Marit pag. 419.

deriuant, atque a Palude Moeotide deducunt, longe discretos populos ob nominum similitudinem, & mare Balthicum cum Moeotico, vt & alibi perperam a veteribus factum est, confundunt. An non STRABONIS pagus Cimbricus circa Maeotim situs, potius Cimmericus dicendus fuerit, iam non definitio. IUSTINVS (r) tamen, qui meminit Mithridatem, praeter Gallo-Graecos, Sarmatas & Bastarnas, etiam Cimbros auxilia petitum misisse, cum bellum in Romanos meditaretur, forte Cimmericos iterum siue Bosphoranos cum Cimbris commiscuit. Ea certe FREINSHEMII non improbabilis sententia fuit. Germanos vero (nomine hoc generalius de vniuersa gente nostra intellecto) Cimbros fuisse STRABO, VELLEIVS (s), TACITVS (t) caeterique omnes confitentur. PLVTARCHI enim Celto-Scythae, vnde eos deduxit, a veteribus conficti, nunquam extiterunt: & Gomeri posteros, vnde etiam quidam recentiores eosdem arcessunt, alius generis fuisse ab initio demonstratum est.

§. LXXVIII.

*Teutonum* nomen cum illo *Theotifcorum*, vniuersae nempe gentis nostrae appellatione, confundunt plerique.

Quinam fuerint Teutonnes & vnde dicti.

(r) lib. XXXVIII. c. 3.

(s) lib. II. c. 12.

(t) Germ. c. 37.



plerique, nosque *Teutones* appellant. Sed satis apparet, *Teutones*, *Theotiscorum* siue maiorum nostrorum partem saltem fuisse, in extremo Iutiae angulo. Si coniecturare liceret, a veteri nostro *teute*, *tuyte*, *tote*, conus, cornu, recessus acuminatus, (vt apud *KILIANVM* in] *Etymologico Belgico* videre est) vocem hanc descendere dicerem. Illo enim loco, vbi *Chersonesus Cimbrica* in coni figuram exit, confedere ab antiquo. Nec displicet haec mihi originatio. Communiter autem *Teutones* sub *Cimbrorum* nomine comprehensos fuisse patet ex *PLINIO* (u), qui locum, vbi hi habitauerunt, *Cimbrorum promontorium* vocat.

§. LXXIX.

De *Cimbrorum* nomine, & quod Germanica appellatione *Franci* fuerint dicti.

De *Cimbrorum* appellatione, altiori disquisitione opus est. Quae hanc in rem *RVDBEKIVS* (w) nimis anxie conquisiuit, vt *Cimbros* ex sua Scandinauia ortos persuaderet, longius nimis petita aut dubiae sunt fidei. Approbat tamen nominis deriuationem a *Kaemper*, pugil, pugnator, qui inferiori aeuo *campio*. Ante eum *OL. WORMIVS*, *HVG. GROTIUS*, & cum tot aliis eruditis viris post eum, ipse *LEIBNITIVS* noster, eidem vocis ratione calculum suum [adiecerunt. Sed cum *duello* solum *decertantem*, ea significet, neque

(u) lib. XIV. c. 13.

(w) *Atlant.* T. I. c. 21.

que Cimbri duellis prae ceteris adfueti fuisse legantur; ingenio tantum haec sententia, nec vllis aliis argumentis, nititur. Posidonius apud STRABONEM (x) dicitur non inepte collegisse, *Cimbros homines fuisse praedones ac vagos*. Ibidem ii *latrociniis* sibi opes peperisse feruntur. Et PLVTARCHVS (y) addit, *Cimbros* a Germanis vocari *latrones*. Hoc sequioris aetatis auctores intellexerunt, ac si PLVTARCHVS dixisset; vocem *Cimber* significare *latronem*. Vnde FESTVS: *Cimbri*, inquit, *lingua Gallica, latrones dicuntur*. Et Glossae a CANGIO citatae: *κιβρός ὁ ληστής*. Sed longe alius est sensus verborum PLVTARCHI. Relatum nempe est Romanis, eos, qui ipsis nomine Cimbrorum innotuerint, a Germanis vocari *latrones*; & hoc nomen ab illo Cimbrorum diuersum esse. Cimbrorum ergo appellatio non Germanica, sed Gallica est, & examini illi barbarorum, quod Gallis Ambro-nibus, Tigurinis & Tugenis coniunctum ac sociatum tandem Italiae aditum quaesuit, ab amicis istis Gallis indita est. Teutones & Cimbri se *fratrum*; Galli vero isti Cimbris coniuncti eosdem *sociorum* (z) & *cognatorum* nomine compellabant. Iam in lingua Wal-lorum & Cambrorum, quae veteris Celticae pars est, restat

(x) lib. VII. p. 207.

(y) in Mario.

(z) STRABO lib. VII. p. 207.



restat adhuc *Cymmar*, siue, vt nobis enuntiandum est, *Cymmer*, & *socium*, *sedalem* aut *compirem* designat (b): vnde *Cimbrorum* vocabulum sponte & aptissime emanat, id quod me primum hic ostendisse non piget. Quoniam autem nomine Germanis *Cimbri* venerint, dubitari potest. *Latrones* illud denotauit: & cum regionem mari circumfluam (vbi olim homines pyratice studiosi, etiam post eos, coluere plurimi) inhabitauerint; verosimile est, ipsos in mari praecipue latrocinia exercuisse, & mercatoribus vltro citroque commeanantibus infestos fuisse, cum vicinorum opes tantae tunc non essent, vt rapi mererentur. A pyratice ergo nomen latronum meruisse potuerunt. Maria eos etiam extrema peruagatos esse, vel inde coniecere licet, quod mare supra Norwegiam vocauerint *Morimarusam* siue mortuum, Philemone apud PLINIVM (c) teste: & Germanicum mare AVSONIO est *Cimbrica Thetys* (d). Moris autem ab antiquo fuit maris Balthici accolis, vt Principum filiis nati minoribus, haereditatis loco, nauigium instrueretur, quo maria percurrerent, sibi que pyratice, quam licitam putabant, opes terrasque acquirerent. Neque hoc iis dedecori, sed laudi ducebatur (e). Vocabantur vero tales *vargi*  
aut

(b) DAVIES & LHVYDIUS in *Dictionar. Britann.*

(c) *lib. IV. c. 27.*

(d) in *IV. Consul. Honorii v. 335.*

(e) Vid. BARTHOLIN, in *lib. de Causis contemptae a Danis mortis.*

aut *varegi*, *warengi*, *warangi*, item *vreci* & *vraci*, hoc est *exules* & *vagi*, siue etiam *Praedones* veteri voce. Et vox *vargus* pro *exule* in Lege Salica & Ripuaria occurrit (f). *Vurece*, *Vuraece* & *Vurace* eodem sensu Anglosaxones habuisse SOMNERVS & BENSONIVS in Dictionariis horum linguae euincunt. Nos pariter, literis traiectis, *Wermuth*, & Saxonice *Wremte*; *born* & *brun*; *bernen* & *brennen*, familiaque promiscue dicimus. Cum autem hi exules necessitate compulsi audaces, vbicunque poterant latrocinia committerent, pyriticam exercentes, factum est, vt nobis quidem *frech* pro *audaci*, *feroci*, Septentrionalibus vero *vargus* & *varegus* (vulgo *warger*) pro *praedone*, & *pyrata* vsurparetur. SIDONIVS iam monuit, Aruernos suos *vargorum* nomine *latrunculos* nominare (g). Cimbro autem non FESTVS solum, sed Posidonius quoque (h), eorum in Italiam irrumpentium coaetaneus, *praedones* & *vagos* fuisse asseruit. Mare inde Balthicum, pyratibus olim his infestum, Russis adhuc *mare Varegicum* dicitur; & regio, vnde pyratae & nautae isti plerumque veniebant, *Varegia* (quod in *Wagria* tandem corruptum) vocata est, quondam Aldenburgum, iam Lubecam principem urbem habens, commerciis &

Y 2

naviga-

(f) Tit. LVII. 17. adde CANGII Glossar.

(g) SIDON. lib. VI. Ep. 4.

(h) STRABO lib. VII. p. 103.



nauigationibus versus Orientem clarissimam. IOHAN-  
 NES quidem MAGNVS (i) Sueoniam etiam ab aliis  
*Balthiam*, ab aliis *Vergion* dictam tradit. Danis, a  
 Cimbris Teutonibusque propagatis, idem nomen a  
 Graecis datum, a Russis forte intellectum. Anglo-  
 Dani enim, qui ex Anglia Saeculo XI. exacti Imperato-  
 ribus Constantinopolitanis sese addixerant, ab iis in  
 Protectorum ordinem allecti, *Barangi* a Scriptoribus  
 Byzantinis dicuntur (k). Alii eos *Warengos*, & Ano-  
 nymus descriptor Profecionis Danorum in Terram  
 Sanctam (l) *Weringas* vocant. Eadem tamen ap-  
 pellatio antiquitus Cimbricae Chersoneso, eiusque  
 parti, vbi Wagria cernitur, data est: vtpote quae  
 olim, sub Cimbris, maribus nostris dominata, postea  
 etiam marinarum rerum scientia enituit, ac saeculo etiam  
 post Christum natum octauo *Ruriconem* pyratam e suis  
 illustrem, Principem Russis primum largita est. Reli-  
 quias ergo Cimbrorum, post clades a Romanis accep-  
 tas hic remanisse, & nostra lingua *varegos*, *varengos*,  
 siue *vraecos* & *vrancos* vel *Francos*, vt antea, ita &  
 porro dictos fuisse, non incongrue plane statui posse  
 puto: licet nomen id paruae Cimbrorum ciuitatis,  
 quae non terra, sed mari valebat, Romani Scriptores  
 igno-

(i) In praef. Hist. p. m. 4.

(k) Vid. MEVRSII & CANGII *Glosar.*

(l) c. 27.



ignorauerint, & nostri in literas referre neglexerint. Increbuit tamen per omnem Europam fama illius, cum ipsi hi *Vargi*, *Vreci*, siue *Vranci* vel, vt postea scriptum est, *Franci* seculo post C. N. tertio a mari suo recessissent, &, exemplo vicinorum incitati, transito Albi & Visurgi ad Rhenum confedissent, terris illis a tyrannide Romanorum liberatis, mox Regnum condituri; Galliam, & post Italiam quoque occupaturi; tandemque, singulari suo fato Occidentis Imperium in suos translaturi. Hos quoque nauigationis peritissimos fuisse, non secus ac progenitores ipsorum, exemplo suo sub Probo comprobarunt captiui quidam ex Francis, qui a Ponto vsque, correptis nauibus, Graeciam Asiamque populati, plerisque Libyae litoribus appulsi, Syracusas cepere, & tandem domum salui redierunt (m). Antiquissimam quoque Francorum sedem ad exitum Albis, in Wagria & Meclenburgico Ducatu, hoc est, in Cimbria fuisse Illustris LEIBNITIVS peculiari libello euicit, GEOGRAPHI RAVENNATIS & ERMOLDI NIGELLI auctoritati non contemnendae innixus. Quam rem suo loco fusius deducemus. Nomen autem Francorum antiquissime *Frec* vel *vrec* pronunciatum fuisse, vel inde patet, quod a bonis auctoribus, vbi de origine vocis agunt, illud

Y 3

cum

(m) EVMENIVS in *Panegy. Constant. Caesaris c. 18.* ZOSIMVS *Hist. lib. 1.*

cum vulgari *frech* vnum creditum, & *ferox* ac *audax* expositum sit. Amplectuntur hanc sententiam ISIDORVS (n), ADO VIENNENSIS (o), RIGORDVS (p) aliique. Iuuat coniecturam nostram, quod STURLONIDEM aliosque Septentrionales, veteris pronuntiationis tenaces, Francorum regionem *Fracolandiam* suo adhuc aevo vocasse (q) animaduertamus. Postea, vt in multis aliis fieri consuevit, *n* inditum, nominis significationem genuinam obscuriorem reddidit, a nobis iam in lucem iterum productam. Sed de his inferius & suo loco plura.

## §. LXXX.

Causae ob-  
quas Cim-  
bri patria  
emigraue-  
riant.

Quae causa Cimbro & Teutones impulerit ad emigrandum, alia quaestio est. TACITVS (r) existimat, stimulos addidisse libidinem, auaritiam, mutantaeque sedis amorem, vt relictis paludibus & solitudinibus suis foecundissimum Galliae & Italiae solum possiderent. EPHORVS (s) vero Isocratis discipulus, in Cuma Asiatica natus, qui fabulis omissis, ab Heraclid-

(n) *lib. IX. c. 2.*

(o) *in Chronico.*

(p) *in Philippo Augusto.*

(q) Vid. STURLONIDIS locum ap. TORFAEVM in *Ser. Reg. Dan. p. 109. 110.*

(r) *Hist. lib. IV. c. 74.*

(s) STRABO *l. c.*

clidarum descensu Historiam inclouit, grauis inprimis auctor, notauit, *Celtas* (eos autem, qui postea Cimbri dicti, intelligit) plurimum ab exundationibus maris vexari, pluresque eorum aquis, quam bellis, perire. CLITARCHVS vetus non minus historicus (t) scriptum reliquit, *Cimbros* tam subitis incurfionibus aquarum inuadi aliquando, vt vix celerissimis admiffis equis aquas euadant; tanta tamen audacia esse addunt iidem, vt quo loco non ita pridem ab vndis domicilia absorpta sint, eodem rursus aedificent, & contra mare arma sumant. Hos ineptire iudicauit POSIDONIVS, negans homines mari asfuetos tam stupidos esse posse, vt non deprehenderent naturale Oceani incrementum. POSIDONIO consentit STRABO. Sed vterque iniurius est in EPHORVM & CLITARCHVM, qui non de consueto quotidie maris affluxu; sed de extraordinariis exundationibus maris loquuntur. Vt ab his sibi cauerent Cimbri, aggeribus & fossis cum Oceano ballabant. Nec improbabile, taedio frequentium inundationum, cum meliores terras alibi cognouissent, sedes mutare coepisse. Quam graue sit mare nostrum accolis suis, quando a flatibus Cauri tumidum in litorales regiones debachatur, nuper & vidimus & intelliximus, vastatis subita eius irruptione foecundissimis prouinciis Frisiae, Oldenburgii &

(t) STRABO l. c.



& Holfatiae. Per singula fere Saecula aliquot huiusmodi diluuiâ ibi acciderunt. Et Patrum nostraque memoria Seelandiae bona pars suffocata. Dollartus sinus Frisiae immissus, Heiligelandia insula subinde attrita, & praeter non amplam adeo rupem pene absumta, Nordstrandiaeque dimidium, & quod superat, aquismersum est. Nec nuper modo natura hanc viam tenuit. Aestibus maris iam olim abrepta est omnis terra, qua nostro aevo ab exitu Visurgis ad Batauos vsque Vada, insulaeque cernuntur continenti obiectae, pars olim continentis. Sed altius atque vsque ad montana nostra aliquando furibundi maris fluctus penetrasse, tot sylvarum strages in Flandria & Westphalia passim, in Ostphalia vero circa Hildesiam atque etiam Hanoueram obseruatae demonstrant. Omnes enim vno quasi eodemque positu, diuersis hisce in locis, radice nempe inter Septentrionem & Occasum, cacumine inter Orientem & meridiem porrectis, iacent. Et cum ante paucos, quo haec scribo, dies prope hortum Regium Herrenhusanum aquae ductus effodetur, alueo Leinae fluvii parallelus, inter varia maris eiectionamenta, praecipue echenites (qui cum in nostro mari non inueniantur, e longinquo abrepti fuisse debent) stragemque arborum eodem situ proiectarum, inuenta sunt immanium belluarum ossa praegrandia cornubus ceruinis & craniis ossibusque humanis non paucis commista vio-

lentiae

lentic aquarum aduersus has terras immensae testes. Ne amplius autem faeuitiam illam maris veterem experiamur, Cimbrorum reliquiis, Caucis Frisiisque debemus, qui ingentibus aggeribus stupendo labore congestis altiozem Oceanum terris excluderunt.


§. LXXXI.

Non autem vno saltem anno, sed pluribus versus Italiam tetendisse Cimbro credendum est. Validae enim gentes non vnae superandae, fluminaque maxima traicienda erant. Vbi Celtae in Graeciam iuissent, aliquos ex iis expeditioni interfuisse, sodalibusque post reditum desiderium sedium mutandarum inspirasse crediderim. Post cladem Celticam animos addidere vires Celtarum fractae, & vastitas locorum a tot millibus hominum bello isto consumptis. Vbi itaque *Sueui*, quibus postea *Catti* successere, partem regionis Herminonum siue Germanorum inferiorem sibi vindicassent, Albi & Visurgi transmissis, Cimbri quoque iter in meliores terras tentarunt. Albi eos litus dextrum adscendisse, & versus Bohemiam perrexisse verosimile est, cum a Boiis, quorum sylvas penetrare animus erat, repulsos POSIDONIVS (u) commemoret. Cum Boiis imminerent, substitisse eos in loco Misniae, cui *Francenberg*a nomen, audacior me conuiceret. Nec

Via, qua Cimbri Italiam petierint. Francofurti ad Oderam origo. Arma Cimbrorum.

prima

(\*) STRABO lib. VII, p. 203.



prima obstacula animos generosos fregere. Alia enim via tentata est, vt Boios euitarent. Paulisper itaque retrogressi Viadrum traiecisse videntur eo loco, vbi nunc est *Francofurtum*. Locus hic, siquidem ita vetustus est, vt Chronica eius ferunt, hoc suum nomen a *transitu* Cimbrorum, qui a Germanis, vt vidimus, *Franci* dicti sunt, accepisse posset, cum alius ibi Francorum transitus non succurrat. Neque tamen id pertinaciter adseruerim; sed iis saltem, quorum interest, altius perquirendi occasionem suppedito. Carpathios igitur montes Cimbri ad sinistram declinantes, ad Istrum peruenere; hinc ad Scordiscos ex bello Graeco reliquos, & tandem ad Tauriscos siue Stirios (w). Toto autem hoc tempore, quo per tot ambages ad limitem Italiae tetenderunt, multum ex veteri barbarie eos deposuisse non est dubium. PLVTARCHVS (x), congregantes cum Romanis, galeas faeuarum belluarum rictibus insinuatisque figuris, quas alatis cristis fastigiauerint, ornatas, loricas ferreas, candida scuta, telum bipenne, ingentesque gladios gessisse refert. Haec arma in itinere comparata. Tumuli enim Holsatici eius temporis aeris parum, ferrum nullum, (quod adhuc TACITI aevo apud Germanos rarius) acumina hastarum lapidea, gladiatorumque loco

(w) POSIDONIUS apud STRABONEM l. 6.

(x) in Mario.

loco cuneos, quos vulgus lapides ceraunios appellate ostendunt.

§. LXXXII,

Vbi in Tauriscis haerent, anno conditae Roma, sexcentesimo quadragesimo (y), ante Christum natum centesimo decimo quarto, haec primum Cimbrorum audita sunt aima. PLVTARCHVS addit, eos, quod nullum cum aliis habuissent commercium, atque ex tractibus venirent longinquis ac haecenus ignotis, neminem mortalium nouisse: coniectatum saltem ex proceritate corporum & caesiis oculis, Germanos esse. Immani huic Germanarum gentium vi, cum iam fauces Alpium Iuliarum penetrassent, obuiam missus Cn. Carbo, infelici circa Noreiam urbem, Tiliauento flumini in Carnis adsitam, praelio fusus fugatusque est (z).

Per Alpes Iulias Italiam intrarunt fuso Cn. Carbone.

§. LXXXIII.

Audierant vero hic aliam Cimbrorum Teutonumque manum, quae transmissa Albi, Visurgi, Rhe- noque inferiorem Germaniam peruagata (a), Galliam omnem vexauerat (b), impedimentis cum praesidio

Cimbrorum Teutonum. que societas cum Heluctiis. Clades Romanis illatae. Marius aduersus eos destinatus Teutones deuicit.

Z 2

(y) TACIT. *de Mor. Germ.*

(z) VELLEIVS *lib. II c. 12.* STRABO *lib. V.* PLVTARCHVS *in Mario LIVII Epitome LXIII.*

(a) VELLEIVS *lib. II. c. 8.*

(b) CAESAR *lib. II. c. 4.*



sex millium hominum in Atuatiorum regione (c) apud propinquos Germanos, eiusdem soli nuperos occupatores, relictis, altius adscendisse. Alio itaque versi, transitis Rhetiae montibus, *Heluetios*, *Ambrones* (d) praesertim (ad Ambram Baioariae, ubi postea haereditariae Guelforum sedes, colentes,) *Tigurinos* (e) item & *Tugenos* in societatem & foedera adsumfere (f). Ab hac, ut antea dixi, cum Gallis seu Celtis huius societate ego Populo huic Septentrionali iam *Cimbrorum* nomen inditum, & per Gallos post haec in Romanorum notitiam perlatum fuisse opinor. Quae enim ab aliis huic nomini dantur originationes, a Gomeritis, Cimmeriis, Sigambriis aut Britanniae Cumeris arcessitae, ne coniecturis quidem verosimilibus sunt superstructae. Sociis autem Cimbris Helvetiae populi modo nominati ad Teutones trans Rhenum descendunt, iisque coniuncti omnem longe lateque Galliam vastarunt quatuor integris, ut videtur, annis. Anno enim Urbis DCXLIV. demum M. Silano Consule Cimbrum ad Senatum legatos misere, petentes, ut Martius populus aliquid sibi terrae daret quasi stipendium (g).

Re-

(c) CAESAR lib. II. c. 29. DIO CASSIUS lib. XXXIX. APPIANVS de Bell. Gall. lib. ult.

(d) OROS. lib. V. c. 16.

(e) CAESAR lib. I. c. 12. Epitome LIVII LXV.

(f) STRABO lib. VII.

(g) FLORVS lib. III. c. 3.



Repulsi, quod precibus obtinere nequiverant, armis petere constituerunt. Silanus vim depellere conatus, primam ab iis in Gallia cladem accepit (*h*). Neque meliora postea fata experti sunt L. Cassius, M. Aurelius Scaurus, Seruilius Caepio & M. Manlius. Fufis enim his vel captis, quinque simul exercitus consulares populo Romano Cimbri abstulerunt (*i*). Cassium Tigurini soli in finibus Allobrogum vicere (*k*). Scaurus captivus, cum *Bolo* Regi (Boiorigem caeteri vocant) ut Alpes transiret, disuaderet, ab eo occisus est (*l*). In praelio, quod Manlio & Caepioni cum Cimbris intercessit, Romanorum sociorumque octoginta millia trucidata (*m*). Dies huius cladis inter nefastos relatus, aequae ut Alliensis (*n*). Actum erat, nisi C. Marius his temporibus contigisset. Rediens is ex Africa, postquam de Iugurtha triumphauerat, ad Cimbricum bellum animum applicuit. Primo ille itaque militem eductum a congressione prohibere, fossam,

Z 3

quae

(*h*) LIV. *Epitome LXV.* VELLEIVS *lib. II. c. 12.* ASCONIVS PEDIANVS *sub finem commentar. in Ciceronis pro C. Cornelio sub fin.* TACITVS *Germ. 37.*

(*i*) TACITVS & caeteri *II. cc.*

(*k*) LIVII *Epitome LXV.* CAESAR. *lib. I. c. 12.* OROS, *lib. V c. 15.*

(*l*) *Epitome LIVII LXV.*

(*m*) OROS. *lib. V. c. 16.*

(*n*) PLVTARCHVS *in Lucullo p 510.*



quae ab auctore Mariana post dicta est, a Rhodano in mare, in Massiliensium commoda, ducere, ad labores suos adsuafacere atque ad felicius certamen praeparare. Cimbri tandem morae pertaesi, circumeundo Alpes, alio loco in Italiam per Noricos Montes irrumperere interim quaerebant, quibus alter Consul Q. Catulus cum exercitu oppositus (o). Teutones vero & Ambrones, iuxta Marium relictis, tandem praeter Romana castra transibant Alpes versus. Aliquot diebus hoc transitu consumptis, Marius etiam tempus opportunum adesse ratus, castra mouit ab Isarae & Rhodani confluente, hostesque ad Aquas Sextias affecutus, primum cum Ambronibus, qui separata castra habebant, congressus, victoriam obtinuit (p). Postero die cum Teutonibus conflixit, tantamque iis stragem intulit, ut gentem hanc penitus tunc excisam VELLEIVS scribat (q). Numerus caesorum non vnus a veteribus refertur. LIVIVS (r) ducenta millia, VELLEIVS paulo modestior amplius centum quinquaginta millia cecidisse retulit. Duces Cimbrorum plures, atque ipse Rex *Teutobochus* (s) cum nonaginta gregariis militibus

(o) PLVTARCHVS in *Mario* p. 414.

(p) PLVTARCHVS l. c. p. 416. FRONTINVS *Strategem.* lib. II. c. 9.

(q) l. c.

(r) *Epitom.* LXVIII.

(s) FLORVS l. c.

tibus captus est (t). EUTROPIVS & OROSIVS *Teutobodum* rectius vocant; ita enim ipso nomine *Teutonum Imperator* exprimitur. Caesarum offibus Massilienses postea vineas circumsepisse PLVTARCHVS prodidit (u). Acta sunt haec Anno Urbis DCLIII. ante natum Christum CI.

§. LXXXIV.

Cimbri inter haec cum Tigurinis & Tugenis per Alpes Tridentinas in Italiam delapsi sunt (w). Q. Catulus, qui fauces Alpium ibi obsederat, statim repulsus (x). Nec Athesis aut Padus obiecti, & vallis aggeribusque muniti, irruentem barbarorum aciem cohibere poterant (y). Romam etiam non magno negotio attigissent, nisi Marius superuenisset, atque ostentatis sociorum Rege Ducibusque captiuis, animos hostis infregisset. Iunctis ergo Catuli & Marii exercitibus ad decretorium praelium III. Kalendas Sextiles deuentum est in campo *Raudio* (z) prope *Vercellas* (a), vbi victi tandem Cimbri, centum & quadraginta millia

Cimbrorum  
clades ad  
Vercellas.  
Honores  
Marius  
delati.

(t) *Epitom. LIV. LXVIII.*

(u) *l. c.*

(w) *FLORVS l. c.*

(x) *Epitom. LIVII l. c.*

(y) *PLVTARCHVS l. c. p. 418.*

(z) *FLORVS l. c.*

(a) *PLVTARCHVS l. c.*



millia caesorum cum Rege Boiorige (b), & sexaginta millia captiuorum reliquerunt (c). Foeminae ipsorum cum libertatem ac sacerdotium a victore obtinere nequirent, tandem in rabiem versae, suffocatis elisisque infantibus suis, mutuis vulneribus potius concidere, aut ab arboribus iugisque plaustrorum suspendere, quam dedere se maluerunt. Tigurini, qui Noricos Alpium tumulos infederant, in diuersa dilapsi euauerunt. Marius hac tam ingenti victoria sextum Consulatum meruit, & in memoriam illius Honori & Virtuti Aedem ex manubiis Romae dedicauit, vt vetus Inscriptio apud PIGHIVM & GRVTERVM docet. Ibidem non procul a Castello Aquae Martiae Tropaea Marii erecta fuisse e remotissima traditione discitur. Nam locus ille a multis iam saeculis *Cimbrum*, & Ecclesia S. Eusebii proxime sita *ad Cimbrum* vocatur (d). MABILLONIVS (e) meminit se Veronae in Museo Comitum Moscardi hanc de victis Cimbris Inscriptiorem vidisse:

D. F.  
G. M. TRVCIDATIS  
CIMBRIS. IN F. ITAL. A. V  
R. R. OB. INSIGNEM. EIVS  
MEMORIAM  
S. P. Q. R.

10.

(b) FLORVS l. c.

(c) EVTROPIVS, LIVII *Epitome* l. c.(d) Vid. MONTFAUCONII *Diar. Ital.* c. 2.(e) in *Itin. Ital.* p. 24.

IO. DANIEL MAIOR in eleganti, quem de Cimbriae  
coloniis lingua vernacula conscripsit, libello (f) e  
IACOBO ZABARELLA (g) nummum producit, se-  
ptimo Consulatu Marii cufum, in cuius auersa parte  
tropaeum cum inscriptione: VICTIS CIMBRIS.  
Vultus fere conuenit cum alio Marii nummo, quem  
laudatus MAIOR possedit, & genuinum existimauit. V-  
trorumque delineationem damus.

Ex Nummophyl. D. Majoris.

Ex Zabarella delin.



Tropaeum tamen titulosque Sulla postea deiecit, Ca-  
jus Caesar restituit (b), virtutem tanti Ducis etiam  
post fata veneratus. CICERO eum ob debellatos for-  
midandos hos hostes *custodem urbis* (i) nec non *cu-  
stodem*

(f) Cap. LXVI;

(g) *Ant. Heroum* p. 88.

(b) SVET. in *Vita eius* c. 11.

(i) *Orat. III. in Catilinam* c. 10.



stodem libertatis atque imperii Romani (k) vocavit; ac alibi exclamat (l) sit in aeterna gloria Marius, qui bis Italiam obsidione & metu servitutis liberavit.

§. LXXXV.

Quaedam Reliquiae Cimbrorum in Alemannia.

Tantam post cladem, qui cum Tigurinis mortem aut servitutem fuga euitauerant, partim in Hercyniam delati circa Nicrum orientem, inter Heluetios, seu simauis, ibi tunc iam *Alemannos*, confedisse videntur. A *Cimbris* enim nomen habere loca illo in tractu in *Cimmern* desinentia, CYPRAEO (m) & MAIORI (n) facile credo. Reperiuntur enim ab utroque Nicri litore *Cimmern*, *Cimmern in Loechlin*, *Wald-Cimmern*, *Herren-Cimmern*, *Roten-Cimmern*, *Heiligen-Cimmern*, *Marschals-Cimmern*, *Hagen-Cimmern*, & similia. Baronum *de Cimmern* frequens etiam in RIXNERI libro Torneamentorum, licet pleraque ex iis conficta sint, mentio occurrit.

§. LXXXVI.

Aliqui ex Cimbris Teutonisque domum redierunt.

Aliquos etiam domum rediisse certum est. STRABO enim (o) meminit, Cimbrorum suo adhuc tempore illam regionem inhabitasse, quam tenebant olim, atque Augusto lebetem, qui apud ipsos sanctissimus erat,

(k) Orat. ad Quirites post redit. c. 7.

(l) Orat. IV. in Catilin. c. 10.

(m) De Orig. sedibus &c. Sax. Cimbr. &c. cap. 3.

(n) l. c. cap. 72.

(o) lib. VII. p. 202.

rat, dono misisse, amicitiam expetentes & veniam illatarum iniuriarum. TACITVS quoque sua aetate finum maris Balthici proxime Oceano Cimbro tenuisse, & parvam quidem ciuitatem, sed gloriam ingentem fuisse affirmat (p). *Cimbrorum* vero ciuitas cum eadem fuerit cum *Vraecorum* siue *Francorum* regione, vt paulo ante ostensum; hocque Chersonesi latus obiectum sit illi, quod tot Oceani illuiones haecenus expertum est: inde iterum conici potest inundationes omnino Cimbro ad emigrationem compulisse, & eos, qui ab Oceano in altero latere tuti erant, domi remansisse, suosque, ex Italia redeuntes, ad se recepisse. Nec Teutonum gens integra excisa, vt VELLEIVS putauit; sed praeter eos, qui redire potuerunt, insulae fere omnes Balthici maris a Teutonibus repletas supererant.

§. LXXXVII.

Haec autem miranda Dei bonitas est, vt etiam mala, nostra culpa procurata, boni quandoque futuri nobis causas esse iubeat. Rudis adhuc Cimbrorum audacia fatalis pene ipsis fuerat. Sed notitia tamen populorum cultiorum, Gallorum nempe & Romanorum, melioris etiam vitae, bonarumque artium veluti scintillas quasdam in iisdem excitauit, quae ab illis, qui domum redierunt, popularibus vicinisque

Hi cultum patriae suae intulerunt, praesertim artem metalla tractandi.

Aa 2.

genti-

(p) Germ. c. 37.



gentibus communicatae, magno vsui postea vniuerso Septentrioni fuerunt. Ab illo enim tempore metalla tractandi, & arma aenea ac ferrea in locum lapideorum substituendi rationem vel ab hoste didicisse videntur. Cum tamen ferrum operosius fundatur & fabricetur; aerea ego instrumenta & arma ferreis, vt apud caeteras gentes, ita etiam apud nos, antiquiora esse existimo.

§. LXXXVIII.

Literarum quoque vsum tunc nostris innotuisse verosimile est. Mox enim videbimus, Odinum, Saxonicae nobilitatis Principem, earum, aliarumque artium notitiam ad Septentrionales quoque pertulisse. Si SALMASII sententia recipitur, qua *Runas* (id Septentrionalibus literarum nomen est) quasi *Romanas* dictas putauit (q), quia etiam Arabes Romanos *Runos* vocent; certum iam est id, quod asserimus. Neque enim ante Odinum, praeter Cimbrorum expeditionem, alia occasio fuit, qua literae a Romanis ad nos deportari potuerint. Quanquam ego, literarum illarum originem a Romanis omnino probans, derivationem tamen hanc dubitanter admodum suscipio; quia *Runae* etiam ab incisione in lignum dici potuere. *Rinnen* enim & *rießen* nobis sunt *crenae* aut *incisiones* siue *fossulae*; & *rune*, equus excisus siue castratus.

Cimbri videntur literarum vsum patriae intulisse. Germani prius Runas habuere, quam Septentrionales. Refutatio Suecorum, qui ex recentibus Runicis Inscriptionibus antiquissimas faciunt.

Cum

(q) Vid. *Commentar. de Lingua Hellenist.* p. 384. (q)



Cum enim papyro & membranis adhuc careremus, aliarum quoque gentium exemplo, literas in tabellas ligneas incidimus, quem morem in Norwegia adhuc alicubi obseruari WORMIUS testatur, literaturae Runicae in Dania quondam Varro. Produxit nobis e Moscardi Comitum Museo PERINGSCHIOLDVS in annotationibus suis ad COCHLAEI Vitam Theoderici Regis Ostrogothorum (r) instrumentum ferreum, incerti vsus. Ipse vlnam vocat, & quoniam in campis Veronensibus repertum dixere, a Gothis, quos suos putat, ibi amissum coniicit. Sed Gothi illi iam cultiorem scribendi modum & literas, cum Graecis illius temporis exacte conuenientes, habebant, vt vel Codex argenteus, quem VLFILAE Euangeliorum, versionem Gothicam continere non vane creditur nobis patefecit. Explicatio etiam, quam dedit, vacillat, dum a dextra ad sinistram legit, more gentibus versus Occidentem degentibus non frequentato. Interim haec verba inde hoc modo exsculpsit: *Mas is iumiku de si er öida. Maru fa köik felir aser.* quae sic exposuit: *Homo est certe simus post fata. Equi accipiunt frenum, cadente domino.* Ego nihil in re tam obscura definio. Etsi, si verum est, quod in campis Veronensibus inuentum sit, Gothis longe vetustius monumentum videri possit. Nec iniuria forte Cimbris

Aa 3

bris

(4) pag. 550.

Il. a. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100. 101. 102. 103. 104. 105. 106. 107. 108. 109. 110. 111. 112. 113. 114. 115. 116. 117. 118. 119. 120. 121. 122. 123. 124. 125. 126. 127. 128. 129. 130. 131. 132. 133. 134. 135. 136. 137. 138. 139. 140. 141. 142. 143. 144. 145. 146. 147. 148. 149. 150. 151. 152. 153. 154. 155. 156. 157. 158. 159. 160. 161. 162. 163. 164. 165. 166. 167. 168. 169. 170. 171. 172. 173. 174. 175. 176. 177. 178. 179. 180. 181. 182. 183. 184. 185. 186. 187. 188. 189. 190. 191. 192. 193. 194. 195. 196. 197. 198. 199. 200. 201. 202. 203. 204. 205. 206. 207. 208. 209. 210. 211. 212. 213. 214. 215. 216. 217. 218. 219. 220. 221. 222. 223. 224. 225. 226. 227. 228. 229. 230. 231. 232. 233. 234. 235. 236. 237. 238. 239. 240. 241. 242. 243. 244. 245. 246. 247. 248. 249. 250. 251. 252. 253. 254. 255. 256. 257. 258. 259. 260. 261. 262. 263. 264. 265. 266. 267. 268. 269. 270. 271. 272. 273. 274. 275. 276. 277. 278. 279. 280. 281. 282. 283. 284. 285. 286. 287. 288. 289. 290. 291. 292. 293. 294. 295. 296. 297. 298. 299. 300. 301. 302. 303. 304. 305. 306. 307. 308. 309. 310. 311. 312. 313. 314. 315. 316. 317. 318. 319. 320. 321. 322. 323. 324. 325. 326. 327. 328. 329. 330. 331. 332. 333. 334. 335. 336. 337. 338. 339. 340. 341. 342. 343. 344. 345. 346. 347. 348. 349. 350. 351. 352. 353. 354. 355. 356. 357. 358. 359. 360. 361. 362. 363. 364. 365. 366. 367. 368. 369. 370. 371. 372. 373. 374. 375. 376. 377. 378. 379. 380. 381. 382. 383. 384. 385. 386. 387. 388. 389. 390. 391. 392. 393. 394. 395. 396. 397. 398. 399. 400. 401. 402. 403. 404. 405. 406. 407. 408. 409. 410. 411. 412. 413. 414. 415. 416. 417. 418. 419. 420. 421. 422. 423. 424. 425. 426. 427. 428. 429. 430. 431. 432. 433. 434. 435. 436. 437. 438. 439. 440. 441. 442. 443. 444. 445. 446. 447. 448. 449. 450. 451. 452. 453. 454. 455. 456. 457. 458. 459. 460. 461. 462. 463. 464. 465. 466. 467. 468. 469. 470. 471. 472. 473. 474. 475. 476. 477. 478. 479. 480. 481. 482. 483. 484. 485. 486. 487. 488. 489. 490. 491. 492. 493. 494. 495. 496. 497. 498. 499. 500. 501. 502. 503. 504. 505. 506. 507. 508. 509. 510. 511. 512. 513. 514. 515. 516. 517. 518. 519. 520. 521. 522. 523. 524. 525. 526. 527. 528. 529. 530. 531. 532. 533. 534. 535. 536. 537. 538. 539. 540. 541. 542. 543. 544. 545. 546. 547. 548. 549. 550. 551. 552. 553. 554. 555. 556. 557. 558. 559. 560. 561. 562. 563. 564. 565. 566. 567. 568. 569. 570. 571. 572. 573. 574. 575. 576. 577. 578. 579. 580. 581. 582. 583. 584. 585. 586. 587. 588. 589. 590. 591. 592. 593. 594. 595. 596. 597. 598. 599. 600. 601. 602. 603. 604. 605. 606. 607. 608. 609. 610. 611. 612. 613. 614. 615. 616. 617. 618. 619. 620. 621. 622. 623. 624. 625. 626. 627. 628. 629. 630. 631. 632. 633. 634. 635. 636. 637. 638. 639. 640. 641. 642. 643. 644. 645. 646. 647. 648. 649. 650. 651. 652. 653. 654. 655. 656. 657. 658. 659. 660. 661. 662. 663. 664. 665. 666. 667. 668. 669. 670. 671. 672. 673. 674. 675. 676. 677. 678. 679. 680. 681. 682. 683. 684. 685. 686. 687. 688. 689. 690. 691. 692. 693. 694. 695. 696. 697. 698. 699. 700. 701. 702. 703. 704. 705. 706. 707. 708. 709. 710. 711. 712. 713. 714. 715. 716. 717. 718. 719. 720. 721. 722. 723. 724. 725. 726. 727. 728. 729. 730. 731. 732. 733. 734. 735. 736. 737. 738. 739. 740. 741. 742. 743. 744. 745. 746. 747. 748. 749. 750. 751. 752. 753. 754. 755. 756. 757. 758. 759. 760. 761. 762. 763. 764. 765. 766. 767. 768. 769. 770. 771. 772. 773. 774. 775. 776. 777. 778. 779. 780. 781. 782. 783. 784. 785. 786. 787. 788. 789. 790. 791. 792. 793. 794. 795. 796. 797. 798. 799. 800. 801. 802. 803. 804. 805. 806. 807. 808. 809. 810. 811. 812. 813. 814. 815. 816. 817. 818. 819. 820. 821. 822. 823. 824. 825. 826. 827. 828. 829. 830. 831. 832. 833. 834. 835. 836. 837. 838. 839. 840. 841. 842. 843. 844. 845. 846. 847. 848. 849. 850. 851. 852. 853. 854. 855. 856. 857. 858. 859. 860. 861. 862. 863. 864. 865. 866. 867. 868. 869. 870. 871. 872. 873. 874. 875. 876. 877. 878. 879. 880. 881. 882. 883. 884. 885. 886. 887. 888. 889. 890. 891. 892. 893. 894. 895. 896. 897. 898. 899. 900. 901. 902. 903. 904. 905. 906. 907. 908. 909. 910. 911. 912. 913. 914. 915. 916. 917. 918. 919. 920. 921. 922. 923. 924. 925. 926. 927. 928. 929. 930. 931. 932. 933. 934. 935. 936. 937. 938. 939. 940. 941. 942. 943. 944. 945. 946. 947. 948. 949. 950. 951. 952. 953. 954. 955. 956. 957. 958. 959. 960. 961. 962. 963. 964. 965. 966. 967. 968. 969. 970. 971. 972. 973. 974. 975. 976. 977. 978. 979. 980. 981. 982. 983. 984. 985. 986. 987. 988. 989. 990. 991. 992. 993. 994. 995. 996. 997. 998. 999. 1000.



bris vindicaretur. Quanquam literae Celtibericae potius mihi esse videantur. Ego, ut alii etiam sententiam ferre possint, figuram illius addo, duplo tamen minore forma ob spatii defectum.



Deformatio vero illa Romanorum characterum apud nostros inde praecipue provenit, quod circuli formae literae ob difficultatem incidendi euitandae & aliis rectilineis commutandae essent. Neque vnus, sed varii modi hic, pro lubitu cuiusque loci, sunt obseruati. Apud *WORMIVM*, atque in docto *HICKESII* Linguarum Septentrionalium Thesauro varii generis Runae delineatae ac aeri incisae sunt. Nos olim etiam huiusmodi incisae sunt. Nos olim etiam huiusmodi literis vti sumus. Nec forte notae illae, quas *TACITVS* (s) sortibus incisas commemorat, a Runis diuersae

(s) de moribus Germ. c. X.

uersae fuerunt. Verba quaedam impressa putes, varios rei euentus exhibentia. VENANTIUS FORTVNATUS earundem Saeculo post C. N. sexto adhuc in Germania meminit (t). Vbi enim canit:

*Barbara fraxineis pingatur runa tabellis;*

*barbarum* pro Theotisco siue Germanico accipit, quod auctoribus eorum temporum non infrequens esse, vel e CANGII *Glossario* (u) intelligi potest. Ipse VENANTIUS alibi quoque (w) *barbarum* pro Germano ponit, quando scribit:

*Chilperice potens, si interpres barbarus adfit,  
Adiutor fortis, hoc quoque nomen habet.*

*Hülper* enim nobis & *adiutor* & *rie*, fortis, diues. Postea studiorum luce nobis clarius accensa, membranarum vfi sumus, & literas Romanas correctius pingere didicimus. Septentrionalibus serius ea felicitas contigit. Diutius enim in tenebris gentilitiae ruditatis delituerunt. REMBERTVS Saeculi noni scriptor (x) refert, Ludouicum Imperatorem, S. Anshario in Sueciam destinato, literas ad Biornonem Regem dedisse, huncque rursus respondisse Ludouico, literis

Re-

(t) *Carm. lib. VII. Carm. 18.*

(u) *sub voce Barbarus.*

(w) *lib. IX. Carm. 1.*

(x) *in Vita S. Ansharii cap. XI.*



Tab. XIV.

Regia manu, more ipsorum, deformatis. Vnde apparet, Latinas fuisse, quarum tunc usus per omnem Europam obtinebat, sed *deformatas*. Ex his autem ipsis Biornonis literis desumptum reor Alphabetum, quod LAZIVS mancum licet, in membrana antiquissima inuenit & edidit (y). Integrius idem RABANVS MAVRVS in *libello de Inuentione linguarum* (z) nobis asseruauit. Vtriusque exemplar, quoniam vitio descriptorum paulisper differre videntur, in aere hic addo; adiicio & tria Alphabeta, quae HICKESIVS ad calcem RABANI MAVRI *de computo* in antiquo Codice Exoniensis Ecclesiae inuenit; nec non aliquot alia, quibus quidem peregrini tituli superscripti in Codice MSto Saeculi XI. Ratisbonensi, vnde R. P. PEZIVS Benedictini ordinis decus, ea mecum communicauit; sed inter quae tamen illa, quibus Syriaci & Arabici nomen impositum, aperte satis ex ductibus & adiectis nominibus Runica esse percipimus. Vsum vero Runarum vulgarem Olaus denique Rex anno post C. N. 1001. ad petitionem Siluestri II. Papae penitus abrogauit, Latinasque literas tunc vsitatas iis substituit (a). Antiquissimae itaque apud Septentrionales omnino Runae fuerunt: sed lapides tempora ante

(y) *Migrat. Gent. lib. IX. pag. 514.*(z) GOLDASTI *Resum Aleman. Touc. II. p. 93.*(a) Vid. ERICI SCHROEDERI *praefat. Lexici Latino Scan- diic.*

te natum Christum aequantes & de expeditionibus nescio quibus in Graeciam, Thraciam, diffitasque regiones, iisque vetustissimis, testantes superesse, hoc concedere nequeo antiquariis Suecis, viris alioquin doctissimis. Quos enim hactenus cognoui lapides ab iis hunc in finem productos, asserta haec non euincunt. PERINGSCHIOLDVS notabiliores selegit (b). Sed in plerisque cruces fidei Christianae indices spectantur (c), eadem forma, qua in vetustioribus coemeteriorum quoque nostrorum monumentis cernuntur. Alicubi etiam adest formula Christianorum, *Gud hialpe hans sial h. e. Deus adiuuet animam eius* (d). Expeditiones, quae nominantur, loca saltem Sueciae confinia, aut non adeo longe ab iis remota, concernunt. Ita *Semigallia* Liuoniae pars & *Domisnaes* promontorium Curlandiae in vna (e) nominantur. *Oriens* & *Graecia* in aliis (f) sunt loca litoris Baltici & *Russia*, quae, quia dogmata Graecorum amplectebatur, *Graecia*, vt *Kiouia* ADAMO BREMENSEI *Metropolis Graeciae* dicta est. Neque credi potest

PE-

(b) in Annot. ad Vitam Theoderici a pag. 456. ad pag. 499.

(c) p. 456. 457. 459. 466. 467. 469. 472. 478. 480. 483. 485. 488. 489. 491. 494. 497.

(d) p. 458. 466. 490. 494.

(e) p. 457.

(f) p. 458. 459. 460. 462. 463. 464. 468. 469. 470. 471. 473.



PERINGSCIOLDO, vbi *Tisalfur* (g) Theffaliae lu-  
 stratorem, *Asfara*, Asiae lustratorem (b), *Fauri  
 maisi* Moesiae lustratorem (i) & *Bessir* Bessos (k) in-  
 terpretatur. Cruces enim produnt, Christianismo  
 vigente hos lapides notatos esse, vbi prouinciae hae  
 Suecis ignotiores erant. Audacissime porro *Eonem*  
 quendam, in Lapide obuium, in *Ionem*, antiquissi-  
 mum Graecorum Regem, commutat (l), cum ta-  
 men hominem illum Christianum fuisse iterum ex  
 cruce insculpta appareat. Alibi (m) ex verbis: *Spiut  
 sar visi toyla*, quomodo prodeat: *Spiut*, qui *Dux To-  
 tilae late fuerat*; ego non video; nec quomodo in  
*Thialphone* (n) *Thelephum* Achilli contemporaneum  
 inuenire potuerit, cruce etiam hic conspicua. Vbi  
 de Vlafo ac Guthluca (o) in Longobardia mortuis la-  
 pis testatur, hos ex iis esse statuit, qui ex Sueonia  
 in peregrinas oras primum irruerint. Sed cruces ite-  
 rum adsunt: & Longobardos nunquam in Sueonia  
 degisse,

(g) p. 465.

(b) p. 466.

(i) p. 466.

(k) p. 467.

(l) p. 473.

(m) p. 475. sq.

(n) p. 484.

(o) pag. 479.

degisse, fatis ex iis, quae protulimus, & proferemus, patebit. Expeditiones versus Occidentem, quae in quibusdam Epitaphiis (p) nominantur, propinqua sine dubio concernunt: Sed ille de Hispania & Vise-gothis intellexit: & *Tbingislandiam* (q), locum sine dubio Sueciae vicinum, de Africae prouincia Tingitana exposuit, cum tamen additum denuo illud: *Deus adiuet animam*, prodat Christianum fuisse hominem, cui positus fuit lapis. Alii lapides, qui (r) cuiusdam Sidonam urbem atque Hierosolymas cum nauibus profecti, & foeminae (s) Hierosolymas iturae mentionem faciunt, ad tempora Expeditionum Cruciatarum in terram Sanctam pertinent, quo & peregrinationes sacrae frequentari coepere. Sed haec de his pro nostro instituto fatis. Apparet hinc, viros ingenio praeditos, vbi semel sententiis quibusdam occupati sunt, facile quaeuis iis applicare, & quidlibet in quolibet se inuenisse, persuaderi posse.

§. LXXXIX.

Cimbrorum Teutonumque e peninsula & regionibus ipsorum adiacentibus emigrationem secuta etiam Quinam populi Cimbrorum terras occupauerunt, aut post


Bb 2

(p) p. 487. 488. 490.

(q) p. 490.

(r) p. 495.

(s) p. 496.



eos inde egressi sint. De Scoringia & Scyris, De Assi, Vandalis & Ambris, De Vtinulis & Langobardis, eorumque sede.

esse debuit profectio *Winilorum*, qui postea *Langobardi*. *CLVERIVS* Winulos cum Vindulis siue Vandalis, *HELMOLDVS* cum Winitis confundit. Sed distinguendos esse *PAVLI* *DIACONI* narratio docet. Refert ille (t), Winilos, a Germanis originem ducentes, ab insula Scandinavia (Cimbricam autem Chersonesum intelligit) ob multitudinem prolis, vel aliis de causis, egressos, & primo in regionem *Scoringiam* venientes, ibi aliquantis per confedisse: Illo tempore *Ambrum*, *Assumque*, *Vandalorum Duces*, vicinas quasque prouincias infestasse, a Winilis etiam tributa poposcisse, ac negantibus bellum indixisse: hos a Wodano atque vxore eius *Frea* victoriam postulantes, lepido astu, votis maectatos, & postea ab hostibus quietos in *Scoringia* confedisse, donec famis penuria coacti, ex ea prouincia in *Mauringiam*, & porro in regiones versus Orientem concesserint, finesque imperii Romani, Bulgaris deuictis, attigerint, Italiae mox Domini futuri. Hanc tamen *PAVLI* recensionem diuersas Longobardorum migrationes commiscere, euidens est. *Scoringia*, vt inde incipiam, in litore Chersonesi Cimbricae dextro a Sinu Lymico ad Chalufum siue Trauam protensa iacuit. Ab hoc enim fluuio *Mauringiam* incipere, infra ostendam.

Por-

(t) lib. 1. c. 2. 3. 7. 8. 9. 10. 11.



Portus Lymici finus in Otheri Periplo, ab Alfredo Rege Anglorum nobis seruata, adhuc Saeculo nono *Sciringesbeale*, & incolae litoris illius iam Romanorum tempore *Scyri* audiuerunt. Supra igitur finum Lymicum, extremo Iutiae Winili tenuerunt, veterum Teutonum pars. Regiuncula nostro aevo *Wensuffelia* forte a Winilis nominatur. Quando vero PAVLVS addit, tempore emigrationis Winilorum Ambrum Assumque vicinas prouincias infestasse; hoc interpretandum videtur: Cimbris clade affectis potentia emicuisse maritimas Sueuorum gentes, *Vandalorum*, hoc est, *aquaticorum* nomine donatas a vicinis: *Vand* enim Danis adhuc *aquam* denotat: Inter hos principatum tunc tenuisse *Assos*, quorum ex nomine principem fecit PAVLVS. Fuerint quoque trans Visurgim populi bellica laude insignes, *Ambrae* fluminis incolae. Hos ab Occidente atque Oriente Cimbrorum Teutonumque terras, raris post acceptam cladem colonis habitatas, nouis incolis immixtis, impleuisse, veterisque gentis reliquias sibi subegisse vero non absimile est. Vnde pars eius, cui Winulorum nomen, armis susceptis, iniuriam vindicauit atque eluctata tandem, tranquilliozem in nostro Albis litore sedem inuenit, a quo ipsi *Langobardorum* appel-



latio. *Lange* enim *longum* & *Bard* siue *boerde* litus apud nos vocari, notissimum est. Et veterum loca euincunt; ab eo loco, vbi *Elmenauia* in *Albim* exit, ad *Bodam* vsque, & forte etiam vltcrius, *Langobardos* litus *Albis* incoluisse, *Occidentem* versus *Elmenauia*, *Obacro* & *Harticis* montibus terminatos. Ibi *Longo-*  
*bardos*, vt *TACITI* (u) verbis vtar, paucitas nobilitauit, & plurimis ac valentissimis nationibus cineti, non per obsequium, sed praeliis & periclitando tuti fuerunt, vsque dum diuina prouidentia euocati, *Italiae* possessionem armis meruere; de quo suo tempore plura.

§. XC.

De Romanorum acquisitionibus. O-  
 dinum ex Asia  
 Romanorum  
 metu in Se-  
 ptentrionem  
 profugisse  
 fabula est.  
 Chronologia  
 Odini &  
 Wodani.

Dum haec nostris in terris mutationes acciderent, in *Italia* *Marium* felici rerum successu elatum inuidia depressit, & ciuitas *Cimbrico* metu liberata intestinis odiis patuit. *Cinnae* tamen *Sullae*que dominatio non longa fuit. *Seruile* bellum, quod *Capuae* eruperat, omnem pene *Italiam* corripuit quidem, sed breui extinctum est, industria *Areii* & *Crassi*, ipsiusque magni *Pompeii*. *Seruorum* antesignani erant *Spartacus*, *Crixus* & *Oenomaus*, ille *Thrax*, hi *Galli*, *OROSIO* (w)

anno-

(u) De Moribus Germ. c. 40.

(w) lib. V. c. 24.

annotante. Crixum aduerso praelio Gellius Consul oppressit. Vbi PLVTARCHVM (x) Germanos a Gellio caesos dicere, & Caesarem feruilem tumultum Germanis tribuere (y) nota. OROSIVS & Gallos & Germanos inter Spartaci auxilia retulit. Putes, hos ex captiuis bello Cimbrico factis superfuiffe, Catilinae deinde coniuratio Senatui fatalis accidisset, nisi detectam Cicero Consul subito extinxisset. Neque tamen haec qualescunque turbae impedierunt, quo minus ad imperium orbis notioris Roma tandem perueniret. Italia dudum domita, Hispania & Africa finitis feliciter Punicis bellis acquisita, Asiaque ex Attali testamento in prouinciam redacta erat. Vnus Mithridates Ponti Rex per quadraginta annos exercitibus Romanis restitit; tandem tamen morte sibi ipsi illata & se victum esse confessus est. Hoc vero bello victricia arma ad terminum gentium Tanaim lacumque Moeotim (z) Romani protulerunt. Qui Odinum ex Asia in Septentrionem venisse fabulantur, hoc tempore eum a Romanis inde pulsum fingunt. Sunt ex iis SHERINGHAMVS & recentior illo THORMODVS TORFAEVS (a). Edda, sacer ille apud suos liber, sed infinitis

(x) in Crasso.

(y) lib. 1. Bell. Gall.

(z) FLORVS lib. III. c. 4.

(a) in serie Reg. Dan. lib. II. c. 2.



finitis figmentis scatenis, Odini expeditionem Pompeii aevo contigisse narrat, atque ita natiuitati Christi propius eam admouet, sed nullo fundamento innixa. Asiaticum enim Odinum non fuisse supra euicimus: tantaeque eius antiquitati repugnat Genealogia Regum Anglo-Saxonum fide digna, quam a NENNIO BEDAEQUE conseruatam habemus. Secundum eam, si generationem quamuis, Rudbeckiano more, qui & naturae conueniens est, triginta annis computes, flourerit fere Odinus siue Wodanus Principum Hengisti ac Horfi abauus Saeculi post Christum natum tertii initio. Prior vero Odinus, quem Septentrionem sibi prius subiecisse infra ostendemus, post TACITI demum aeuum imperasse debuit; quoniam nulla eius hunc apud Historicum mentio facta. Incidunt autem tempora illius secundum eundem generationum Calculum in initium Saeculi secundi, quo speruenerimus amplio rem harum rerum recensio nem instituemus.

§. CXI.

De Ariouisto,  
populis ei  
subditis &  
bello Caesaris  
aduersus  
eum.

Factionibus interim potentiorum familiarum Roma ipsa laborabat. Pompeius, Crassus & Caesar praecipuas sibi in Republica partes vindicabant. Caesar cum Consul em anno ante Christum natum quinquagesimo nono ageret, administrationem Illyrici & Galliae Cisalpinae in annos tres, Transalpinae vero

in

in annos quinque obtinuit. Galliae quietem tunc Heluetii turbabant, qui socii Rauracis, Tulingis, Latobrigis & Boiis patria exierant, nouas & commodiores sibi sedes bello quaesituri: eos tamen Caesar, ne provinciae graues essent, ad Geneuam consecutus, praelio cecidit ac domum redire coëgit (c). Principatus Galliae tunc apud Aeduos atque Aruernos erat, unde continuas de eodem inter utramque factionem contentiones. Aruerni Sequanique, ut Aeduos superarent, Germanos aduocauerant. Venerat Ariouistus, Rhenumque primo cum quindecim millibus suorum transierat. Placebat solum Gallicum natura & cultura, ante Germanicum, fertile. Hinc ille in eo moras necesse, atque e patria subinde auxilia conquirere, ut tandem sui ad CXX. millium numerum in Gallia essent. Aedui cum his semel atque iterum armis contenderant; sed tandem magnam calamitatem pulsi acceperant, & omnem nobilitatem, senatum ac equitatum amiserant. Fracti hoc infortunio Aedui, robore alio suo & Romanorum amicitia potentes, coacti erant Sequanis carissimos ex suis obsides dare, & iureiurando ciuitatem obstringere, se neque obsides repetituros, neque auxilium a populo Romano imploratos, neque recusatos, quo minus perpetuo sub illorum ditione atque imperio essent. Peius tamen victoribus Sequanis, quam

(c) CAESAR *Comment. lib. 1.*



quam ipsis victis Aeduis accidit. Ariouistus in finibus eorum confedit, tertiamque agri illorum, qui optimus Galliae totius erat, partem occupauit. Tandem & de altera parte tertia Sequanos decedere iussit, propterea, quod Harudum millia hominum viginti quatuor ad eum venissent, quibus locus & sedes parandae. Haec Diuitiacus Aeduis Caesari, auxilium eius implorans, exposuit. Caesar, quamuis ante haec Ariouisto fauisset, & se Consule eum a senatu Regem & amicum populi Romani appellari curasset, ut nempe Gallorum vires per ipsum frangerentur, & Romanorum dominatui eo facilius omnis Gallia subiiceretur; noluit tamen Germanorum potentiam ibi nimium increfcere, ne Cimbrorum Teutonumque exemplo per Prouinciam aliquando Italiae aditum quaererent. Monuit itaque Ariouistum, ne vltius progredetur, Aeduos in pristinam libertatem restitueret, & Germanorum in Galliam transitum vltiorem inhiheret. Ariouistus horum nihil sibi persuaderi passus est. Vnde ad praelium deuentum, in quo Germani terga verterunt, neque prius fugere destiterunt, quam ad Rhenum millia passuum ex praelii loco circiter quinquaginta (c) peruenissent. Ibi plurimi interfecti (d);

reli-

(c) Vid. HOTTOMANNI *ad hunc Caesaris locum* & CELLARI *Diatriben de C. Jul. Caesaris bello aduersus Ariouistum cap. 17. 18.*

(d) DIO *lib. 38. PLVTARCHVS in Caesare.*

reliqui flumen superarunt cum Ariouisto, quem non diu post, moerore forte confectum, magno suorum dolore obiisse CAESAR ipse testatur (e). Magni animi Principem fuisse, & sermones ipsius a Caesare relati, & facta ostendunt. Praeter linguam patriam Gallicae quoque scientiam habuit; in ipsa Gallia per integros quatuordecim annos commoratus. Vxores ipsi duae fuerunt, vna *Sueua* natione, altera *Norica*, Vocionis Regis soror; vtraque haec in fuga periit. Harum filiae duae erant, ex quibus vna occisa, altera capta est. Ex populis quos in exercitu habuit Ariouistus, Caesar *Harudes*, *Marcomanos*, *Triboces*, *Vangiones*, *Nemetes*, *Sedusios* & *Sueuos* recenset. Sueuos supra Sincambros habitasse, idem Imperator nobis prodidit. *Sedusii*, vbi coluerint, incertum. Ex caeteris tamen, qui cum iis nominantur populis, ego eos ad Selzae fluentum colloco, vbi postea oppidum *Salecio*, hodie *Selz* dictum, inclaruit. Ex *Seltz* enim, l a Romano ore eiecto, facile patronymicum *Setusius* vel *Sedusius* prodire potuit. *Nemetes* circa *Spiram* fuere: vnde in Notitiis Prouinciarum & Ciuitatum Galliae ciuitas *Nemetum Spira* aut *ciuitas Nemetum*, id est, *Spira*. A Nemetibus vsque ad amnem *Nauam Vangiones*, CLVERIO censente, habitarunt. Vnde Notitiae habent: *Ciuitas Vangionum*, id est, *Warmatia*. Hanc

Cc 2

au-

(e) lib. V, c. 29.



autem veterum *Borbetomagum* esse, certum est. *Triboccorum* nomen in vico Alsatico, *zun dreien buchen* vocato, superesse *CLVERIVS* (f) suspicatur; cui sententiae nec *VLRICVS OBRECHTVS* repugnat (g). Hoc constat, Argentoratum in Triboccis situm fuisse (h). *Marcomanos* hic memoratos *CLVERIVS* (i) eosdem putat cum iis, quos Maroboduus postea in Boiohemum duxit. Sed errat. Illi enim a Marca fluuio, qui hodie Moraua dictus, natales suos & nomen habuerunt: Caesaris autem Marcomani ad Rhenum sederunt. *Marcianae siluae*, ab *AMMIANO MARCELLINO* (k) & Auctore Tabulae Peutingerianae nobis indicatae, quae iam *Schwartzwald* dicitur, incolas hos fuisse, nullus dubito, *Harudes* tandem collocari possunt eo loci, vbi infra urbem Basileam sylua *Hart* adhuc hodie reperitur. Quanquam, si *Senonnes* ad Rhenum vsque extensi fuerunt, secundum Caesaris indicium, *Harudes* etiam de populo Cisrheno, quod magis placet, interpretari possunt. Nam & cis Rhenum supra Philipsburgum castrum sylua est *die Hart* nominata, quam nos olim pertransiisse recordamur.

## §. XCII.

(f) *Germ. antiq. lib. II. c. 11.*(g) *Prodr. Alsat. p. 2.*(h) *OBRECT l. c.*(i) *lib. III. c. 3.*(k) *lib. XXI. Edit. Vales. cap. 8.*



§. XCII.

Cum in procinctu expeditionis aduersus Ariouistum Caesar esset, Treuiri ipsi nuntiarant (1) pagos centum Sueuorum ad Rheni ripam confedisse; qui Rhenum transire conarentur: iisque praesse *Nasuum* & *Cimberium* fratres. Sed ubi illi Ariouistum deuictum perceperere, domum redierunt, traiectu Rheni intentato. A *Nasua* dictam esse *Nassouiam*, situs loci huius aliquo modo verosimile reddit. Postero anno *Belgae* contra Romanos in Gallia inueterascentes coniurarunt, & Caesarem, ut aduersus ipsos cum exercitu proficisceretur, eosque deuinceret, commouerunt. Galliae hic populus erat, plurimam partem ex Germanis ortus (m), Rhenumque antiquitus transductus. Eadem expeditione Rhemi acquisiti. Sueffiones, Bellouaci & Ambiani se dederere. Idem post cladem acceptam facere coacti sunt Neruii. Aduatici, ex Cimbris Teutonibusque procreati, hoc exemplum secuti; sed in ipsa deditioe rebellantes, insignem calamitatem accepere. P. Crassus eo ipso tempore ad Aremoricas ciuitates, quarum praecipui *Veneti*, cum Legione vna missus, omnes eas in potestatem populi Romani redegit. Sequenti anno Veneti, iugum Romanae dominationis excutere molientes, nauali praelio in ordi-

Alia Caesaris in Gallia gesta. Plurimae ciuitates ipsi se dederere. Aremorici, Vesprii, Tenterique victi. Germania, Rheno transitu, territa. Vbi Rhenum transferit.

C c 3

nem

(1) CAESAR lib. I.

(m) CAESAR lib. II.

nem redacti, aliique Gallicae nationis populi per Legatos domiti. Rediit deinde Caesar in Italiam & sua auctoritate Pompeium & Crassum iuuit, vt Consules anni sequentis constituerentur. Caesari Galliae administratio tum adhuc in quinquennium concessa est. Eodem pacto etiam Crassus Syriam & Pompeius Hispaniam gubernandam obtinuit (n). Rediit itaque in Galliam suam Caesar, in quam *Vsipes* & *Tenchteros* Germanos irruisse cognouit. Situm horum populorum veterem TACITVS indicat, qui suo tempore proximis Cattis facit, & iuxta Bructeros eorum meminit. Et DIO (o) auctor est, Drusum in *Vsipetum* regionem iuxta insulam Batauorum, ac inde, Lupia ransmisso in Sicambros irruisse. Sicambri ergo a Lupia ad Sigam protensi, & sub Lupia *Vsipes* & *Tenchteri* ad insulam vsque Batauorum siti fuerunt. Expulsi hi populi a Sueuis, per triennium, sedis incerti, circumuagati erant. Tandem vero venerant ad loca quae Menapii incolebant, & vbi ad vtramque Rheni ripam agros, aedificia & vicus habebant. Menapio-citerioribus vno impetu oppressis, ipsum flumen transferant, & vltiores quoque inuaserant. Hinc latius vagabantur, & in fines Eburonum ac Condrusco-  
rum,

(n) CAESAR l. c. PLVTARCHVS DIO.

(o) Lib. LIV.



rum, qui Treuirorum clientes erant, venerant. Multitudo hominum CDXXX millium erat, a qua, nec sine causa, Caesar Galliae suae metuebat. Ne igitur maiora auderent, expeditionem in eos mouit. Et cum per legatos agros ab ipso peterent, renuit, utque in Germaniam se e Gallia reciperent, iniunxit. Ibi enim in Vbiorum finibus confidere & coniunctis viribus Sueuis resistere eos posse iudicabat. Germani tamen inducias vnus diei ad deliberandum datas cum violassent, subita irruptione in Equites Romanos facta; Caesar hanc iniuriam ulturus, castra eorum inuasit & occupauit. Profugos hostes ad Confluentem Mosae & Rheni affecutus, magnum eorum numerum interfecit. Reliqui in flumen se praecipitarunt, ibique perierunt. Ex omnibus quinque tantum millia equitum praedandi frumentandique causa trans Mosam missi cladem euaserunt, & trans Rhenum in Sicambrorum fines se receperunt, secundum Caesaris relationem. Interim tamen & Vspetum & Tenchterorum gens in nostro Rheni litore adhuc sub Augusto superfuit: & TACITO etiam ibi commemoratur, ut ideo non omnes a Caesare deletos videas. Circa praelii locum omnes consentiunt. VNUS CLVVERIVS ad Confluentem Mosellae & Rheni in Caesare legendum statuit quod HADRIANO etiam VALESIO (p) placuit. Nihil

(p) Notis. Gall. pag. 363



hil tamen solidi pro sua sententia CLVVERIVS affert, quam quod Mosae & Rheni Confluentem recentiore & manu factum esse putat, nec tamen probat. Vnde merito hac de causa dicam ei IO. ISAACIVS PONTANVS scripsit (q). Strages autem barbaris inopinantibus a Caesare illata adeo displicuit Catoni, vt, cum de supplicatione ob hanc victoriam decernenda rogaretur, in senatu dixerit: Caesarem ipsum hostibus dedendum esse, vt pro ciuitate perfidiam expiaret (r). Debellatis Vspetibus & Tenchteris, Caesar vniuersae Germaniae terrorem iniicere, Rhenumque transire statuit, vt suis quoque rebus ea timeret, quae haecenus adeo frequenter Galliam inuasisset. Causa belli sumta a profugis equitibus Germanis, quos Sicambri dedere renuebant, populi Romani imperium Rhenum finire, nec trans Rhenum quicquam illi potestatis esse causati. Vbi etiam Caesarem magnopere orabant, vt sibi auxilium aduersus Sueuos ferret. Vnde transitus Rheni decretus, & ponte sublicio intra decem dies super fluuium extructo, peractus. Sicambri interea cum suis se in sylvas & solitudines abdiderant, vt, cum Caesar aduenisset, nemo esset, qui vinceretur. Ita ingentes eius aduersus Germaniam conatus frustra fuere. Vbi renuntiarunt; Sueuos in vnum omnes

(q) *Disceptat. Chorograph. Part. I. c. 5.*

(r) *PLVTARCH. in Caes.*

mnes conuenisse, & locum fere regionum suarum delegisse, vbi Romanos expectarent cum iisdem decertaturi. Caesar eos ibi adoriri intutum ratus, vastatis solum finibus ipsorum, vbi dies omnino octodecim trans Rhenum consumpsisset, in Galliam se recepit, pontemque rescidit; quem circa Coloniā constitutum fuisse cum aliis BROELMANNVS asserit. Sed cum FLO-  
RVS indicet, Caesarem ad Rhenum tunc pergentem *Mosulam* siue Mosellam nauali ponte transisse, pons Rheni ab ipso extructus supra Coloniā, imo supra Confluentiam urbem, fuisse debuit. Hoc etiam inde patet, quod Caesar ipse in Vbiorum finibus se flumen transisse prodat. Hi autem Siga amne a Sicambris & Lohna, vt videtur, a Sueuis, qui ipsos premebant, distinguebantur, sub Augusto deinde trans Rhenum ducti, eoque loco constituti, vbi nunc Colonia Vbiorum floret.

§. XCIII.

Germania itaque territa, & Gallia vniuersa subacta, exiguam quamuis aestatis parte reliqua, in Britanniam proficisci Caesar contendit, quod omnibus fere Gallicis bellis hostibus Romanorum inde subministrata auxilia intellexisset. Ad portum itaque *Icium*, in finibus Morinorum situm, classē conuenire iussit, atque ex eo soluens, ventis felicibus circa Dubrim primum appulit. Vbi Icius portus fuerit, eruditi cer-

Caesaris ex-  
pedicio Bri-  
tannica.



tant. Apud Calesium constituerunt eundem PAV-  
LVS AEMILIVS, MARLIANVS, LHVIDIVS, OR-  
TELIVS, LABBEVS, CLARKIVS & alii; apud Mardi-  
cum CHIFLETIVS; apud Gessoriacum siue Bononiam  
CAMBDENVS, CLVVERIVS & SOMNERVS, atque  
apud Wissantum CANGIVS. Nos cum HADRIA-  
NO VALESIO eundem *Stapulis*, oppido Galliae Bel-  
gicae, olim *Quentaicum* & *Wicum* etiam simpliciter  
dicto, peculiari libello adiudicauimus (s). Caesar, li-  
cet prima vice Britanniam insulam penitus subigere ne-  
quiret; postero tamen anno, qui erat ante natum Chri-  
stum quinquagesimus quartus, cum Treuiros deuicis-  
set, & Germanis iterum Rheno traiecto imminuisset,  
eandem repetiit, & praelio victor vestigalem populo  
Romano reddidit. Nec ante iugum hoc illa penitus  
excutere potuit, quam Saxones nostri saeculo post  
natum Christum quinto ad Insulam illam peruenissent,  
& Romanis, Pictis ac ipsis demum Britannis deuictis,  
nouum ibi Regnum constituissent.

#### §. XCIV.

Ab hoc tempore vera Britannorum historia initium  
sumit. Quos enim ante Caesaris aetatem Reges Bri-  
tannorum ex monumentis patriis nobis recensent re-  
centiores, eos omnes confictos esse, certissimum est.

Neque

(s) Vid. *Dissert. nostra de portu Icio in Miscellaneis Lipsiens.* Tom. VIII.  
pag. 255. §9.

Britannia va-  
riis Regulis  
parebat.

Neque vni Regi, sed diuerfis Regulis Britannos veteres paruiffe ex Caefare apparet. Meminit is *Mandubracii* adolescentis, cuius pater *Imanuentius* Trinobantum Rex a *Caffiuelauno*, Cafforum forte Regulo trucidatus fuerit. Restituit Mandubracium in Regnum Caefar, & Caffiuelaunum quoque fubingauit. Eadem tempeftate Cantii regionibus quatuor Reges praeerant, *Cingetorix*, *Caruilius*, *Taximagulus* & *Segonax* (t), Memoratur & nobilis *Dux Lagotorix* (u). Poft Caffiuelaunum Regnum Britannicum adeptum fuiſſe *Theomantium* vel *Tennantium* fratrem Mandubracii, quem recentiores Androgeum, EUTROPIVS, PAVLVS DIACONVS & BEDA Androgorium appellant; & huic ſucceſſiſſe *Cynobelinum* GODOFREDVS MONVMEMENTENSIS refert, cuius tamen fides in dubio eſt. NENNIVS *Cynobelinum*, quem ille ſimpliciter *Belinum* vocat, filium Minocani facit. Non omni Britanniae, ſed Trinobantibus ſaltem & Icenis praefuiſſe, QVERCETANO non illubenter credo, Hic deinde Cynobelinus Legatos de pace Auguſto, in Britannos tendenti, obuiam miſit, tributum promittentes. Fallitur enim TACITVS, dum ſcribit, Auguſtum ac Tiberium

Dd 2 nullam

(t) CAESAR lib. V. c. 7. add. DIO, STRABO, DIODOR. SICVL. SVETONIUS, EUTROPIVS.

(u) CAESAR *ibid.*



nullam Britanniae curam etiam in pace habuisse. Contrarium enim ex STRABONE (w), DIONE (x) PLVTARCHO (y) & HORATIO (z) apparet. Hic certe vota facit, pro Augusti instanti ad Britannos itinere & Fortunam Antianam alloquitur:

*Serues iturum Caesarem in ultimos  
Orbis Britannos.*

Deinde vero vaticinatur:

*- Praefens diuus habebitur  
Augustus adiectis Britannis  
Imperio, grauibusque Persis.*

§. XCV.

De nummis  
Regum &  
Principum  
Britannorum  
argenteis.

Verosimile est post Iulii Caesaris tempora Britannos, ad Romanorum morem, nummos ex auro & argento cudere incepisse, cum antea aereos tantum habuissent (a). GIBSONIVS in *Additionibus ad CAMBDENI Britanniam* aureum nummum produxit, in quo eques cum literis CAS. Hoc de *Cassibelauno* interpretatur. Plures *Cynobelini* nummos CAMBDENVS & GIBSONIVS habent, ex quibus aliquos in specimen addimus. Quibusdam TASCE, TASCIE, &

Tab. XV.

TA-

(w) lib. II. & IV.

(x) lib. LIII.

(y) in *Augusto*.

(z) lib. I. Od. 35. & lib. III. Od. 5.

(a) CAESAR lib. V.



TASCIA inscriptum est; quod CAMBDEVVS non male *denarium tributi*, Romanis dandi, exponit. Cambrobritannis enim census *tâsg*, & taxare, censere *tasgu* adhuc audit. In postica nummorum Cynobelini parte aliquando CAMV. legitur, quod *Camulodunum*, regiam ipsius sedem, denotat. In quodam nummo equitis effigiei circumscriptum est CEARATIC quo *Caratacum*, filium Cynobelini, TACITO memoratum, indicare idem CAMBDEVVS putavit. GIBSONIVS alium produxit, vbi sub equo legitur BOOTIKA, quod non incongrue de *Bodicia* siue *Bunduica*, Icenorum Regina sub Neronis imperio, intelligas. Ultimo loco aliquot Ateulae nummos afferre libet, quem Principem vel Regulum in Britannia fuisse non immerito CAMBDEVVS suspicatur. Caput alatum convenit cum effigie Victoriae Britannicae in nummis Antonini Pii, Commodi, Seueri, Getae aliorumque Imperatorum conspicua. Similis figura alata in Cynobelini nummo reperitur. Hoc non animaduertit LAVRENTIVS BEGERVS, qui caput Cupidinis in nummo Ateulae inuenisse sibi visus est. In postica nummi animal vnicornu cernitur, capite in altum sublato, quod hodie in Regum magnae Britanniae insignibus adhuc telamonis vice fungitur. Sub pedibus animalis huius pentagonum adest a Celtis inter Symbola sacra olim

cultum, vnde nobis etiam idem Germanice *alpsus* & *druttenfus*, a virunculo metallico & a Druidibus nominatur. In infimo nummi loco cernitur luna bicornis, cui in alio nummophylacii Pruffici exemplari stella inserta est, annotante BEGERO. Eadem Lunae imago in nummo & aliis Britannorum monetis apud GIBSONIVM observatur. Cultus Lunae & stellae polaris Britannis eo consuetior fuit, quo apertior horum astrorum in navigationis negotio usus. Quid ad latus posita vox VLATOS significet, nescio. BEGERVS familiae nomen esse putavit ex fragmento Inscriptionis a SPONIO (b) productae. Nos loci nomen esse suspicamur, nobis haecenus incogniti CHFLETIVS duos huius generis Vefontione effossos, quo per commercia delati esse potuerunt, aeri incidi fecit (c); in quibus tamen non vnicornu, sed equus apparet in Celticis & Britannicis nummis frequens. Ipse Ateulae nomen erronee de Attila Hunnorum Rege exposuit, in quo asseclam tamen ANSELMVM quoque BANDVRVM nactus est (d). Quem ultimo loco Ateulae nummum sistimus, e Gazophylacio Reuerendissi-

(b) *Miscell.* p. 170.

(c) *Vesont.* Part. I. pag. 211.

(d) *in Numism. Imperator.* pag. 577.

rendissimi & doctissimi GERHARDI Abbatis Luccensis depromptus est; & equus in eo a sinistra ad dextram profilit.

§. XCVI.

Antequam Caesar in Britanniam altera vice pergeret, Treuiri coercendi erant, qui imperio ipsius se subtrahere videbantur, Germanos etiam Transrhennanos sollicitantes. Duo tunc Magnates Gallorum de principatu ciuitatis huius inter se contendebant, Indutiomarus & Cingetorix. Quorum hic Caesari cum copiis imminenti statim se dedit; alter vero Indutiomarus non nisi aegre, & simulate tantum, ut postea apparuit. Cum enim a Caesare in regendis Treuiris Cingetorix ei praeferreretur, ad vetera consilia rediit, & cum Germanis de inuadendis in Gallia Romanis egit, in partes etiam suas quibusdam Galliae prouinciis pertractis. Discussa tamen breui haec nubes, & deuictis Indutiomaro, ceteris territis, tranquilla Galliae possessio Romanis instituta. Terrendi vero iterum erant Germani, qui vindictam fusi Ariouisti & profligatorum Vsiptum & Tenchterorum subinde minati fuerant. Rheno itaque copias iterum admouit Caesar & paulo supra eum locum, quo antea exercitum transduxerat, pontem facere instituit. Non procul is a Reinfelsa abfuisse ideo debuit. Sueui erant, in quos tendere

Treuiri coerciti, Rheni transitus altera vice tentatus. Baecenis sylvia ostensa.



tendere animus erat. Hi auxilia Gallis rebellibus miserant. Statim tamen ac nunciatum, eos cum omnibus copiis ad extremos fines sese recepisse, ubi *Bacenis* sylua infinitae magnitudinis Cheruscis a Sueuis, Sueuosque a Cheruscis separet, inopiam frumenti, forte etiam insidias hostis in regione ignota, veritus, ponte disrupto retrocessit, Germaniam vidisse contentus, Rhenoque potentiam Romanam terminari, ipso suo recessu confessus. *Bacnim* sylvam, quam Metaphrastes *Βακέννυ* vocat, esse eam, quae postea *Boconia* vel *Buchonia* audit, & in qua celeberrimum monasterium Fuldense fundatum est, ex Caesaris descriptione & nominis sono manifestum est. Extensa olim illa fuit inter amnes Fuldam & Werram, in cuius dextro litore Cherusci colebant, vsque ad Alleram in Visurgim delabentem, versus ortum Lina fluuio a Fosis secreti. TACITVS eandem suo aevo *Hercyniam* appellat, quando, *Cattos*, ait, *suus saltus Hercynius prosequitur simul, atque deponit*. Quos enim ille *Cattos* nominat, ii CAESARIS *Sueuis* successisse videntur.

§. XCVII.

Galli Germanique quidam Caesarem in ciuilia bella secuti.

Praeterimus caeteras minores sub Caesaris imperio cum Germanis velitationes. Sufficit monuisse, illum tandem Gallis pacatis, ingentia eorum & Germano-

manorum auxilia in ciuilia bella secum rapuisse (e).  
 LVCANVS singulos populos Caesaris exercitum secu-  
 tos recenset (f). De Batavis speciatim ita canit:

*Et vos crinigeros bellis arcere Caycos  
 Oppositi, petitis Romam, Rhenique feroces  
 Deseritis ripas & apertum gentibus orbem.*

Vbi Caycos notes esse Caucos iam tum, Amisio supe-  
 rato, Batavis in Insula Rheni graues. Militarunt etiam  
 sub Pompeii signis quidam Germani, qui postea in  
 Africam delati, a Scipionis partibus stantes, aduersus  
 Caesarem pugnarunt (g). Caesar hostium victor,  
 Dictator perpetuus & Consul in decennium nominatus  
 a populo turbarum ciuiliu pertaeso; sed anno proxi-  
 mo, hoc est, ante Christum natum quadragesimo quar-  
 to, in curia a Bruto & Cassio occisus est.

§. XCVIII.

Octavius (h), qui postea C. Caesaris nomen, ma-  
 ioris auunculi testamento, & Augusti, sententia Munatii  
 Planci, suscepit, nihil sanctius duxit, quam vt ante o-  
 mnia mortem Iulii Caesaris vindicaret. Et caesi sunt  
 tandem ab eo Cassius & Brutus, atque ex caeteris ho-  
 stibus Pompeius iunior ad Siciliam oppressus, Lepi-  
 dus

Augusti ini-  
 tia. Galliae  
 sub eo Praefi-  
 des. Vbiorum  
 translatio &  
 urbis Colo-  
 niae origo.  
 Viae milita-  
 res ab Agrip-  
 pa institu-  
 tac.

(e) CAESAR lib. VII. & VIII.

(f) lib. I.

(g) HIRTIUS de Bell. African.

(h) DIO, SVETONIUS, TACITVS.

dus exutus, Antonius interfectus. Vnde summa tan-  
 dem potestas in Augustum cessit, qui cuncta bellis in-  
 testinis fessa nomine Principis sub imperium accepit.  
 Hispania, Cantabris devictis primum ab ipso ordina-  
 ta est; deinde & Gallia. Ut limites imperii tutiores  
 essent, legiones undique ad eorum custodiam distri-  
 butae. M. Vipsanius Agrippa, Augusto familiaris,  
 pleraque suis consiliis ordinasse videtur, cum contra  
 Gallos rebellantes missus, alter post Iulium Caesarem  
 etiam Rhenum transisset (i). Causam expeditionis  
 huius credas Sueuos, a quibus Vbii Romanorum a-  
 mici pulsi, & in alteram Rheni ripam confugere co-  
 acti (k). TACITVS certe testatur (l), Vbios Rhe-  
 num transgressos, ab Agrippa in fidem acceptos, &  
 experimento fidei super ipsam Rheni ripam colloca-  
 tos esse, ut arcerent, ceu noui Romanorum inquilini  
 & auxiliares, non ut custodirentur. Hoc ergo tem-  
 pore *Oppidum Vbiorum* in sinistra Rheni ripa ex ad-  
 uerso *Deufonis* siue *Duitii* fundatum & constitutum  
 esse crediderim. Agrippina deinde Agrippae neptis  
 Germanici filia, Neronis Imperatoris mater, quo vim  
 suam sociis nationibus ostentaret, in oppidum Vbio-  
 rum, in quo genita erat, veteranos Coloniamque de-  
 duci

(i) DIO lib. XLVIII.

(k) STRABO lib. IV.

(l) TACIT. de Mor. Germ. & Annal. lib. IV.

duci imperavit, cui nomen inditum ex vocabulo ipsius (m), quo etiam, & multis Romanae antiquitatis reliquiis adhuc nostro aeuo *Colonia metropolis* gloriatur. Idem Agrippa Galliam & Germaniam etiam viis militaribus magna industria constructis, cultiorem reddidit. STRABO refert (n) aperuisse eum vias, vnam per Cemmenos montes in Aquitaniam & ad Santonas vsque, alteram ad Rhenum, tertiam ad Oceanum per Bellouacos & Ambianos. Augustus ipse Germanorum fidem tanti fecit, vt ipsorum manum vsque ad Varianam cladem inter armigeros circa se duplici stipendio haberet (o). Stipatores hos & custodes corporis Augusti, equites peregrinos selectos & *Batauos* DIO (p) vocat. *Et sunt etiam nunc, inquit, peculiare corpus & baculos gestant instar Centurionum.* Nec Batauos solum, sed & alios Germanos in hoc corpus allectos fuisse, indicio est *Arminius* Cheruscorum Dux, qui in Romanis castris ductor popularium fuit, & frater eius *Flavius*, militaribus in eodem corpore donis honoratus (q). *Maroboduum* quoque Marcomannum iuue-

Ee 2 nem

(m) TACIT. *Annal. lib. XII. c. 27.*

(n) *lib. IV.*

(o) SVETON. *c. 99. DIO lib. LIII.*

(p) *Lib LIV. & LV.*

(q) TACIT. *Annal. lib. II. c. 9. 20.*



nem Romae ab Augusto beneficiis affectum STRABO meminit (r). Agrippa post Vbios receptos, bellis ciuilibus alio vocatus est. Post eum M. Vincius Galliarum Praeses cum Legionibus Rhenum transiit, & Germanos, quod Gallias infestassent, & Romanos ad se commeantes, trucidassent, inuasit, magna barbarorum caede facta. ACRON, interpres, HORATII *Sicambros* hic speciatim nominat; Romanosque istos a Germanis interfectos, *centuriones* & quidem numero viginti, qui, ad stipendia colligenda, in Sicambros missi erant, fuisse addit (s). Triumphus ei ideo decretus est, quem tamen non hac de causa, sed quod Salassos gentem Inalpinam rebellem etiam compressisset, admisit. Rediit deinde Agrippa in Gallias a Germanis infestas (t), eoque in Hispaniam euocato, Tiberius gener, Augusti priuignus, in his prouinciis anno fere vno administrando successit.

### §. XCIX.

Germaniae diuisio in Primam & Secundam vel in Superiorem & Inferiorem. Quae fuerit Germania Magna.

Haec circa tempora Germania, quae respectu nostri trans Rhenum, & sub ditione Romanorum iacebat, diuisa fuisse videtur in *Superiorem* seu *Primam* & *Inferiorem* siue *Secundam* (u). Tiberio certe imperium

(r) lib. VII. init.

(s) ad HORAT. lib. IV. Od. 2.

(t) DIO lib. LIV.

(u) DIO lib. LIII.



rium occipiente, ea diuisio iam exstitit. Legati etiam duo cum Legionibus, qui limitem custodirent, instituti sunt. Quicquid Romanis trans Rhenum erat, *Germania magna* vocabatur.

§. C.

Non diu post haec M. Lollius Legatus, auaritia, quam rebus bene gestis notabilior, introitum magnae illius Germaniae tentauit, sed infeliciter. Vltionem enim sumpturus de Sicambribus, Vifipetibus & Tenchteris, Galliae depraedatoribus, in ipso Rheni transitu, equitatu Romano per insidias circumuento, a Germanis deuictus est (w). Clades, Lollianam hanc & Varianam deinde, nec alibi quam in Germania, Augustum accepisse; sed Lollianam maioris infamiae, quam detrimenti, SVETONIUS (x) fatetur. Amissa tunc Legionis V. Aquila Augustum ab Vrbe in Gallias vocauit. Sed nostri ad sua iam redierant; vnde obsidibus solum datis, pacem pro tempore acceperunt; vindicta Druso reseruata. Legionem V. apud *Vetera*, quae hodie *Santen* in Cliuia, vel, vt aliis placet, *Byrten* haud inde procul, statua habuisse TACITVS testatur, & effossarum apud *Vetera* tegularum inscriptio LEG. V. idem demonstrat (y). *Melonem* Ducem

Clades Lolliana. Vetera, vbi sita, Sicambrorum Duces,

E e 3

tunc

(w) DIO lib. LIV. VELLEIUS PATERC. lib. 11, c. 97.

(x) in August.

(y) Vid. BVCHERII *Belgium Roman.* lib. 1. c. 14.



tunc Sicambrorum fuisse STRABO indicat (z). Huius frater, eodem STRABONE referente, erat *Baetorix*, cuius filius *Deutorix* siue Theodoricus a Germanico deinde in triumpho ductus est.

§. CI.

Rhaetia a Druso subacta. Eius descriptio. Hermundurorum in Rhaetis colonia.

Erat Drusus anno Lollianam cladem excipiente hoc est, ante N. C. decimo quinto, in Rhaetis perdomandis vna cum fratre Tiberio occupatus (a). DIO prodit, *Rhaetos* inter Noricum & Galliam ad Alpes Italiae finitimas, quas Tridentinas nominant, sedes suas habuisse. Ita vero Rhaetiam, Romanorum more, latissime sumit, vt *Vindeliciam* ab Oeno ad Lycum supra Danubium sitam, atque vna cum Rhaetia hoc tempore in prouinciam redactam, comprehendat. Post magna haec Rhaetia diuisa est in *Primam* & *Secundam*, & *Rhaetiae secundae* nomen *Vindeliciae* datum. Hoc vel ideo monemus, quia maximam huius regionis partem Saeculo post C. N. quinto Guelforum veterum maiores cum suis occupantes, & Romanos colonos in Italiam suam reducentes in Commentariis, quos de *Originibus Guelficis* conscripsimus, videbimus. STRABO (b) refert, Tiberium nauali pugna cum *Vindelicis* certantem in lacu Bodamico, insula eiusdem lacus pro

(z) Lib. VII.

(a) DIO lib. LIV. HORAT. lib. IV. Od. 4. SVETON. in August. c. 21.

(b) Lib. VII.

pro receptaculo vsu, quae forte fuit ibi, vbi iam Lindavia vrbs Imperialis sita est. Addit Tiberium vnus diei iter progressum ab hoc lacu fontes Istri vidisse, eo nempe loco, vbi iam Doneschingen ditionis Furstenbergicae oppidum iacet: lacum Rhaetos exigua parte, maiore Heluetios & Vindelicos attingere. A Druso *Pons Drusi* vocatus in Tabula Theodosiana cernitur, Sublauionem inter & Tridentum situs. Habet & PTOLEMAEVS *Drusomagum*, quam ipse in Rhaetia quidem, ad fines tamen Vindeliciae, collocavit. Rhaetia vero in prouinciam redacta, Romana elegantia artesque bonae in ea excitatae sunt. Fructus inde ad proximos etiam in Germania Hermunduros redundavit, quibus cum Romanis ibi frequentia commercia. Colonia quoque eorum in Rhaetiam splendidissima recepta. TACITVS haec nobis retulit, qui de iis etiam addit: *Passim & sine custode transeunt, & cum caeteris gentibus arma modo castraque ostendamus, his domos villasque patetecimus non concupiscentibus.*

§. CII.

Agrippa defuncto, Tiberius ab Augusto adoptatus atque in generum adscitus est, Iulia ipsi, vidua Agrippae, in matrimonium data, cum Vipsaniam ideo uxorem & filiam Agrippae ex alia, quam Iulia, coniuge, iussu Augusti repudiasset (c). Inde contra *Pan-*

*Drusi expeditio in Vampetes, Sicambros, Frisios & Bructeros. Fossa Drusiana. Fleuus. Embdae ciuitatis origine.*

(c) DIO lib. Lib. LIV.

*nonias*



nonias missus, *Scordiscorum* auxiliis adiutus, eas domuit, triumphalibus ideo honoribus honoratus. Galliae Praefectus Drusus interim censum ibi secundum agebat, cum primum Augustus ante quindecim annos fecisset. Ingens hinc animorum exacerbatio, & motus rebellionem minitantes; quos tamen Drusus solerti stratagemate composuit, Gallorum primoribus, praetextu eius festi, quod Lugduni ad aram Augusti ab ipso celebrabatur (*d*), euocatis, & delinitis (*e*). Germani, quia videbant, Gallos seruitutis Romanae iugum grauius ferre, Augusti etiam absentia ferocius, bellum interea mouerant. *Sicambri* eorumque auxiliarii *Vsi-petes* & *Tenchteri* incentores illius erant (*f*). Hinc comoda Druso occasio de Germania in prouinciam redigenda serio cogitandi. Sciebat hoc & Augustum etiam atque etiam concupiscere, ut patris sui Caesaris voto satisfaceret, qui bis traiecto Rheno bellum frustra quaesierat (*g*). Anno ergo hoc ipso, ante C. N. duodecimo (*b*), in inferiorem Germaniam mouit, classe etiam in Vahalim aduocata, qua vteretur. Ipse exercitum in insulam Batauorum, quae Romanis parebat

(*d*) STRABO lib. IV.

(*e*) Epitome LIVIANA 136.

(*f*) DIO lib. LIV.

(*g*) FLORVS lib. IV. c. ult.

(*b*) DIO lib. LIV. p. 623.

bat, primum a Veteribus deduxisse atque ex ea Rhenum circa Arnhemium traiecisse videtur. DIO enim dicit (i), Drusum secundum insulam Batauorum in regionem *Vsipedum*, infra Lupiam habitantium, atque inde in *Sicambrorum* terram transgressum, magnam agri partem vastasse. Reuersus de *Frisiis* subigendis consilium exequi coepit. Hos & caeteros maris Germanici accolas, vt commodius classe adire, atque in obsequio deinde retinere possent, *fossam* noui & immensi operis effecit, qua e Rheno in *Isalam* eatur, ab ipso *Drusianam* nominatam (k). Ipsum *Isalae* alueum ampliorem quoque tunc redditum existimes, vt sine impedimento classis Fleuum lacum intrare & fluuiio Fleuo in Oceanum deuehi possent (l). Fleuus hic licet Oceani a *Texelia* irrumpentis immenso impetu immane quantum dilatatus & cum Fleuo lacu confusus sit, vt potius maris sinus, quam fluuius videatur; vetus tamen nomen *Flie* adhuc conseruat. Drusus per *Fossam* hanc secundo Rheno, in Oceanum primus Romanorum Ducum (m) classe deuectus, *Frisios* subegit sibi que adiunxit (n). Per paludem deinde, vt

(i) lib. LIV.

(k) TACITVS *Annal. lib. II. c. 81.* SVETONIVS *in Claud. c. 1.*  
 CLVVERIVS *Germ. Antiq. lib. III. c. 17.*

(l) CLVVER. *l. c.* & GRAEVIUS *ad Sueton. l. c.*

(m) SVETON. *l. c.*


n) DIO lib. LIV.

vt DIO habet, quem nos *die Watten* vocamus, in  
 Chaucorum fines profectus est, ad Amisii nempe ostium.  
 Insulas in litore obuias & inter caeteras *Byrchanam*  
 tunc expugnauit (o), quae iam *Borchum* audit, &  
 non contundenda est cum PLINII *Buchana* siue *Bur-*  
*chana*, Romanis etiam *Fabaria* vocata, nobisque sub  
*Femeræ* nomine in Balthico mari cognita. In Ostio  
 Amisiae Drusi classem, defluxu maris in sicco consti-  
 tutam, in magno periculo fuisse, nisi Frisiorum ope-  
 ra, qui pedestri militia se ei iunxerant, adfuisset, DIO  
 indicat. STRABO vero eandem ibi a *Bructeris* im-  
 pugnatam & victoriam tandem a Drusi partibus ste-  
 tisse prodit. Bructeri ergo supra Frisios ab Vspetibus  
 & Tenchteris ad Amisiam vsque coluerunt. Chauci  
 hac vice, vt videtur, intacti relictæ. An ad Ostium  
 Amisii tunc munimentum anni cognomine fundauerit,  
 equidem dubito. PTOLEMEVS *Amisiam* inter  
 Germaniae ciuitates recenset. Et TACITVS ad *Ami-*  
*sii* ostium Romanorum stationem fuisse indicat (p),  
 vnde *Embda*, Ostfrisiae caput, & nostro quoque aeuo  
 mercatura celebris, exsurrexit. Hyeme autem appeten-  
 te, Drusus ignotas has Romanis haecenus oras reliquit,  
 exercitumque, laboribus & aerumnis confectum, in  
 hyberna reduxit. Ipse Romam rediit, ἀφ' οὐδὲν ἴσως  
 hono-

(o) STRABO lib. VII.

(p) *Annal. lib. I. c. 60. & lib. II. c. 8.*

honoribus auctus. Post Drusum deinde *L. Domitius Abenobarbus*, cuius mortem TACITVS in annum V. C. 777. refert, exercitu flumen Albim transcendit, longius penetrata Germania, quam quisquam priorum, easque ob res insignia Triumphi adeptus est (q) PRIGHIVS hanc Domitii expeditionem erronee in annum Urbis 741. retulit, atque ita ante Drusi illam posuit. Ipsum quoque Domitium Neronis Caesaris auum falso putauit. Auus enim Neronis non Lucii, sed Cneii praenomen habuit, & frater nostri Domitii fuit, vt ex hoc Schemate patet:



§. CIII.

Drusus sub veris initium iterum ad bellum profectus, alia via in Germaniam ex Veteribus, vt conuicere licet, castris tetendit. *Vspetibus* enim primo subiugatis, quos superiori anno nondum penitus domuerat, Lupiam ponte strauit, atque in *Sicambros* irrupit.

Drusi exeditio altera, qua ad Vifurgim vsque peruenit. Alifonis ad Luppiam & Castelli ad Rhenum aedificatio.

Ff 2

Sicambri

(q) TACIT. *An. lib. IV. c. 44.*



Sicambri eo tempore totius populi viribus collectis in *Cattos* expeditionem fecerant, quod hi finitimorum soli auxilia aduersus Romanos ipsis denegassent. Regionem igitur viris tunc vacuam facile pertransiit, Lupiam secus pergens, *Cattos*que declinans, nemine impediante, *Cheruscorum* fines attingit. *Cherusci* enim, licet cis *Visurgim* praecipuam sedem haberent, in sinistro tamen annis litore etiam quaedam possederunt, *Cattorum* latus prementes (r). Vnde apparet, eos, qui cis *Visurgim*, vbi nunc sunt ditioes *Serenissimae Familiae Brunsvico-Luneburgensis*, dominati sunt, integri annis ac vtriusque litoris quoque ab antiquo possessores fuisse. Hiemis propinquitas & alimentorum inopia *Drusum* hac vice a transitu *Visurgis* cohibuit. Examen quoque apum pergentem deterruisse dicitur (s). Nec propudiosum Romanis, in rebus ancipitis euentus, timiditatem religiosa praefagiorum obseruatione velare. In reditu non sine discrimine exercitus sui insidias hostium sensit. Nec summum, quod incurrerat, periculum euassisset, nisi incondito agmine irruentes *Germanos*, virtus militis *Romani*, circumspecte in angusto, quo conclusus erat, loco pugnantis, retropulsisset. Has viarum angustias ad *Oldenbe-*

(r) TACIT. *Germ.* c. 38. DIO lib. LIV. VELLEIVS PATERC. lib. II. c. 105.

(s) DIO l. c.



denbecam pagum fuisse credidit SCHATENIUS (t). Attritus exercitus, ubi in subiectam planitiem emerfit, barbari, quos Cheruscos, Cattosque & Sicambros fuisse putes, propius adire veriti, eminus tantum agmen infestauere. Drusus quoque, iis contemptis, *Castellum* contra eosdem ad *Lupiae* & *Alifonis* amnium confluentes, aliudque in Cattis ad ipsum Rhenum extruxit. Alifonem fluuium iam *Almam* vocari FERDINANDVS Episcopus ac Princeps, in *Monumentis Paderbornensibus* (u) ostendit. Et vetus castelli Alifonis nomen retinet adhuc vicus *Elsen* prope *Lupiae* & *Almae* confluentes (w). Castellum ad Rhenum in Cattis aedificatum non aliud esse potest, quam *Cassella* ex aduerso Moguntiae ad Rhenum sita.

§. CIV.

Hinc vero concludas, eos quos CAESAR *Sueuos* vocauerat, in posterum *Cattos* fuisse dictos. Hos vero *Cattos* siue, vt nunc audiunt, *Hassos*, ego *Sueuicam* gentem esse existimo, quae ex magna trans *Albim* *Sueuia* progressa, *Hartica* montana primum, deinde ulterius pergens, *Baceni* siue *Boconiam* syluam incoluit. Postea vero cognatis ad Rhenum *Sueuis*

Vnde Catti venerint, & quid nomine eorum designetur. De Pago *Hassgau* & *Hessen*, arce.

Ff 3

plerisque

(t) *Hist. Westphal. lib. I. p. 47.*

(u) *p. 10. & 11.*

(w) CLVVER. *Germ. Antiq. lib. III. SCHATEN. l. c. p. 43.*



plerisque in alteram Rheni ripam translatis sensim  
 successere, & a Moeni & Rheni confluentibus ad Si-  
 gam vsque regionem eorum & Vbiorum impleuerunt,  
 Cheruscis versus Orientem confines. Ad Rhenum,  
 a Romanis vocatos, confedisse ex **DIONE** clarum est.  
 In veteri Cattorum ad Harticos montes, sede, diu ad-  
 huc superfuit pagus *Hasségau*, in Antiquitatibus MSSis  
 Hamerslebiensibus *Prouincia Hassingauorum* dictus, &  
 dioecesi Episcopatus Halberstadenensis comprehensus (x),  
 cuius primarium locum *Hessen*, siue, vt antiquis scribi-  
 tur, *Hessenheim*, arce antehac Ducis Brunsvico-Lune-  
 burgenensis celebrem, **MEIBOMII** agnouerunt. Nomen  
 Cattorum ego deriuauerim a veteri *catten*, Anglis ad-  
 huc *catch*, Ital. *cacciare*, Gall. *chasser*, quod est *captare*,  
*insequi*, *venari*, vt ita *venatores* denotet. *Haschen*  
 apud nos eiusdem significationis est, & *haescher* apud  
 Darmstinos *venator*. Nec aptior syluicolis Cattis  
 appellatio.

§. CV.

Vltima Drusi  
 expeditio,  
 qua transit  
 Visurgi ad Al-  
 bim vsque  
 peruenit.  
 Mors eius &  
 honores post  
 mortem.  
 Tropaea Dru-  
 si, vbi fuerint.

Drusus ob res egregie gestas triumphalibus ho-  
 noribus affectus, & in urbem ouans inuectus, Pro-  
 consulare dignitatem meruit. Deinde anno ante C.  
 N. vndecimo, Cattos, qui, agro ipsis assignato relicto  
 Sicambris se coniunxerant, mox integrum Rheni litus  
 a nostra parte occupaturi, maleficiis infestauit, & par-  
 tim

(x) **MEIBOMIUS**, **PAVLINVS** & **IYNCKERVS** de *Pagis*.

tim subegit (y). Anno vero insequenti, cum Consulatus dignitatem adeptus esset, in Germaniam iterum properavit, Centurionum viginti combustionem in barbaris vindicaturus. FLORVS scribit, hos adeo certa victoriae spe bellum in Romanos sumsisse, vt praedam in antecessum diuiserint, & Cherusci equos, Suedi aurum & argentum, Sicambri captiuos elegerint. A Castello, Rheno apposito, in Cattos primum iuissse, postea in Sueuos, inde in Cheruscus Drusum peruenisse DIO memorat, Sueuos, iam a Cattis distinguens. Vifurgim quoque, ad Fuldae, vt videtur, confluentem, traiecit, atque ad Albim, omnia vastando, peruenit. Vterius etiam perrexisset, nisi spectrum terruisset. Vnde contentus, in litore fluminis tropaea erexisse, quorum etiam PTOLEMAEVS meminit, retrogressus est. Quidam ex numeris PTOLEMAEI Tropaea illa, infra Tangermundam circa *Stendaliam* locant (z). Ego, si vnquam ibi fuerint, altius & eo loco, vbi nunc est Magdeburgum, constituerim. Eo enim vetustissima via militaris ducit; & locum ab antiquo celebrem fuisse, etiam monumenta temporum Carolinorum ostendunt. Antequam autem Drusus ad Rhenum rediret, inter eum & Salam Franconicum, Moeno influentem, vbi Cattos deuicerat (a), morbo ex

con-

(y) DIO lib. LV.

(z) Vid. GELLARIJ *dissert. de expedit. Drusi c. 24.*

(a) STRABO lib. VII.



con fracto crure con fracto, decessit (b). Corpus ex-  
 anime aduolans ex Italia frater Tiberius Romam hono-  
 rifice deuexit, vbi in Martio campo crematum, ci-  
 neresque in Augusti sepulchrum conditae (c). GER-  
 MANICI praeterea nomen ei & filii Germanico &  
 Claudio, post Imperatori, datum; honoresque Statua-  
 rum, Fornicum & Cenotaphii ad ipsum Rhenum (d).  
 Cenotaphii rudera ad Moguntiam supersunt in vulgo  
 ita dicto *Eichelsteino*, cuius descriptionem & delinea-  
 tionem praeter SERRARIUM (e), CAR. PATINVS  
 & CHRIST. GOTH. BLUMBERGIUS (f) dedere. Monu-  
 mento eo loci dignus erat Drusus, qui in tutelam pro-  
 uinciarum praesidia & custodias vbique, praesertim ve-  
 ro per Rheni ripam quinquaginta amplius castella di-  
 rexerat (g). Imperatorium nomen Augustus Druso  
 non cessit (h), quamuis in nummis, a Claudio Im-  
 peratore post in honorem patris eius, capiti ipsius  
 laureato circumscriptum cernatur: NERO CLAV-  
 DIVS DRVSVS GERMANICVS. IMP. In eorum a-  
 uersa

Tab. XVI.

(b) DIO l. c. SVETONIUS in Claudio, LIVII epitome, FLO-  
RVS, VELLEIVS.

(c) DIO & SVETON. l. c.

(d) DIO l. c.

(e) Rev. Mogunt. lib. I. c. 15.

(f) libello peculiari de Eichelsteino, Drasi monumento

(g) FLORVS lib. IV c. 12.

(h) DIO lib. LIV.

uersa parte alicubi Drusus in equo super arcum triumphalem cernitur; in aliis sunt duo scuta transuersim posita. Omnibus vero ibi inscriptum: DE GERM (i).

§. CVI.

FLORVS, vbi opera Drusi recenset, castella ab ipso per Mosam, *Visurgim* & *Albim* statuta refert. Quae ad Mosam fuerunt, ad nos nihil attinent. De Tropaeis ad Albim iam diximus. Castellum ad Visurgim CLVERIVS (k) & WINCKELMANNVS (l) *Cassellas* super Fuldae ripam, caput nunc Hassorum, nec procul a Visurgi sitas, interpretantur. Huius loci nomen in veteribus Monumentis semper fere *Cassula* exaratur. Aliqui *Stereontium* PTOLEMAEI fuisse putant; sed falluntur. Drusi nomen refert aliquatenus riuus urbem percurrens, *die Drusel* dictus (m). Poterit igitur Castellum ad Adranae quoque transitum reliquisse. Sed id quod ad Visurgim fecit, si vllibi, in *Munda* oppido ad confluentes Visurgis & Fuldae constituto, quaerendum est. An sub *Munitii* nomine apud PTOLEMAEVM nominatum extet, nec praefractius negauerim, nec affirmauerim. Sonus certe

Castellum Drusi ad Visurgim an Munda. An Cassellae quoque opus eius sint.

(i) Vid. HARDVINI *Hist. Augusta ex Nummis in Operib. eius* p. 701. 717.

(k) *Germ. Antiq. lib III. c. 5.*

(l) *Hessenlands Beschreibung P. II, c. 10, p. 274.*

(m) WINCKELMAN. *l. c.*



certe nominis in Mundam conuenit. Tiberium postea ad Mundam traiecisse Visurgim, inde porro concludo, quod DIO dicat, eum ad Albim tendentem *Erygium* amnem transisse. *Erygii* autem nomen ex illo *Werrae* corruptum, quo noster amnis a Munda usque ad fontes suos insignitur, cum sub Munda *Visurgis* dici incipiat.

§. CVII.

Gabretam  
sylvam esse  
Harticum  
nemus ostenditur.

In Drusi quoque & Tiberii deinde expeditione Romanis primum Harticam sylvam nostram innotuisse reor, quam illi Gabretam vocarunt; *H* litera cum *G*, commutata. STRABO magnam sylvam vocat, & post eam Sueuorum sedes locat; inde Hercynios saltus esse affirmat. Hartica autem sylua magna satis est, quae a Visurgi ad Albim fere porrigitur, qui Sueuos alluebat, supra quos Hercynia sylua extendebatur, quae per Bohemiam & partem Silesiae processit. Ita situs etiam a STRABONE annotatus congruit. PTOLEMAEVS sub Gabreta sylua *Marcomannos* locat. Sed notandum est, illum Sueuos, quod Maroboduus Marcomanno parerent, Marcomannos appellare videri. Eodem modo & FLORVS locutus est, ubi de Tropaeo a Druso ad Albim erecto scribit, eum *Marcomannorum spoliis insignibus quendam editum tumulum in Tropaei modum excoluisse*. Neque enim tunc Drusus negotium habuerat,

rat cum Marcomannis; sed cum Longobardis & Sueuis, Albis accolis, sed Maroboduo Marcomanno parentibus. Si tamen FLORI descriptio vera est, Tropaei huius locus ibi constituendus erit, vbi nunc monasterium Bergense ad Magdeburgum restat.

§. CVIII.

Drufo in Germania occupato, Orientem versus Imperii limitem turbabant *Daci & Getae*, vnius originis gentes, ibique olim habitantes, vbi nunc est Transilvania, Walachia, Moldavia & pars Tartariae minoris. Daci hi Getaeque, Istrum frequenter trans-eunt, multa vicinis detrimenta inferebant. Sub Augusti aetatem praecerat iis *Boerebistes* natione Geta, qui prudenti consilio vsus, suos continua ad sobrietatem & laborum tolerantiam incitatione, perpetuis etiam militaris disciplinae exercitiis, breui tempore eo perduxit, vt finitimas plerasque gentes deuincerent, ipsiusque dominio subiicerent. Vt tutior in populo imperiis non adsueto auctoritas esset, religionem praetendit, omniaque Deo monente agi, plebi persuasit; vt solent qui in populis adhuc rudibus magna moliantur. Adiunxit sibi praeterea Decaeneum quendam hominem praestigiatores, qui per Aegyptum vagatus, quasdam diuinationes didicerat, ex quibus Deorum responsa simulabat. Parum abfuit, quin Zamolxis exemplo pro Deo coleretur, praesertim, vbi

*De Getarum  
Dacorumque  
Regno Ior-  
nandes Ge-  
tas cum  
Gothis con-  
fudit. Quae-  
dam de Go-  
thorum an-  
tiquitatibus*



dictis eius successus prosperi responderent. Thraciam igitur ad Macedoniam vsque & Illyricum Boerebistes cum suis populauit, Celtas, Thracibus & Illyriis permixtos, vastauit, & Boios, qui sub Critasiro erant, vna cum vicinis Tauriscis, adeo deleuit, vt in posterum agri eorum vacui atque deserti vicinis Illyrici populis, pascendis pecoribus, fuerint attributi, ac *Boiorum deserta* vulgo vocati (n). Romani ipsi habuissent, quod a Boerebiste timuissent, nisi is seditione quorundam oppressus ante fuisset, quam exercitum aduersus ipsum mitterent. Hos vero Dacorum Getarumque motus anno ante C. N. vndecimo accidisse ex DIONE (o) apparet. Tiberius ex Gallia, vbi cum Augusto erat, euocatus, eosdem pacauisse dicitur. IORNANDES, qui ab initio historiae suae Getas cum Gothis confudit, quod paulo ante sua tempora Gothos in Getarum regione, quo ex Germania commigrauerant, coluisse cerneret. Vnde & Boerebistem Gothorum Regem facit, eisque Decaeneum leges tulisse (p) fingit. Erronee quoque Boerebistem Syllae aetate aequalem fuisse dicit, quem sub Augusto floruisse STRABO, grauis & coetaneus auctor indicauit. Post Boerebistem interim Reges *Comosicum*, *Corillum*, & *Dorpaneum* nominat, quos omnes non ad  
Go-

(n) STRABO lib. VII. & lib. XVI.

(o) lib. LIV. in fine.

(p) IORNAND. *Getic.*



Gothos, sed ad Getas potius pertinere, certum est. STRABO post obitum Boerebistis, Regnum ipsius in plures partes diuisum fuisse memorat. Impares ideo Romanae potentiae Getae, parum abfuit, quin se prorsus Augusto postea dedidissent, nisi spei aliquid illis superfuisset in Romanorum hostibus Germanis. IORNANDES interim nos docet, Gothos, qui a Getis distinguendi sunt, vetustissimas leges scriptas habuisse, quas suo tempore *Bellagines* vocauerint. Addit, sacerdotes ipsorum dictos fuisse *Pileatos*: vbi STIERNHIELMIVS (q) obseruat, IORNANDEM confudisse Gothica vocabula *bat, but*, pileus, cum *att, atte* pater, & inde coniecisse a *pileo* dictos, qui vere *patres* sua lingua nominati fuerint. Potuerunt etiam in symbolum nominis paterni, quo dignitatis & reuerentiae causa compellabantur, caput opertum habuisse siue pileos gestasse; quemadmodum idem IORNANDES quoque refert, reliquos Gothos capillatos nuncupatos fuisse, qui vulgari scilicet lingua *herren*, hoc est domini dicebantur, voce cum *bar*, capillus consonante. Et in signum excellentiae ac domini, quo gaudebant, capillorum flagellis Germanos veteres ingenuae conditionis superbiisse, notum est. Proceres vero suos Gothi, eodem IORNANDE auctore, *Anses* vocarunt,

Gg 3

runt,

(q) In Glossar. Ulpb. Goth. appendice.

runt, quod interpreteris *Gratiosos*. Gothis enim & veteribus Germanis *anst* & *ans* gratiam designat.

## §. CIX.

Tiberii expeditione in Sicambros & translatio eorum trans Rhenum.

Germani, qui Romanis praesentibus vix obsequi consueverant, Drusi morte animati, ad pristinos mores & libertatis amorem reuertebantur. Aduersus eosdem igitur ab Augusto missus est octauo ante N. C. anno Tiberius & cum eo Caius, Agrippae & Iuliae, Augusto natae, filius, vt militiae aduesceret. Parum hac in expeditione effectum, DIO non obscure prodit (r). VELLEIVS tamen ait, Tiberium victorem omnes Germaniae partes peragratum esse, eamque sic perdomuisse, vt in formam pene Stipendiariae redegerit prouinciae. CASSIODORVS quoque ex LIVIO Germanos omnes inter Albim & Rhenum Tiberio deditos dicit. Sed in Sicambriis solum Tiberium occupatum fuisse, produnt Eclogae VRSINI Dionianae atque ipse DIO, si in eo *Cantabrorum* loco *Sicambrorum* nomen reponatur. HORATIVS his ipsis diebus (s) Augusto cecinit:

*Te caede gaudentes Sicambri  
Compositis venerantur armis.*

Et Tiberius ipse apud TACITVM (t) fatetur; se Sicambros consilio potius, quam vi, in ditionem accepisse

(r) Lib. XV.

(s) lib. IV. Od. penult.

(t) Annal. lib. II.

cepisse. SVETONIUS his addit (u), eum Sueuos ac Sicambros dedentes se in Galliam traduxisse atque in proximis Rheno agris collocasse. Exigua post haec Sicambrorum portio in veteribus sedibus remansit, cui *Deudorix* siue Theodoricus praefuit, a Germanico deinde Romae in triumphum ductus (w). Tandem & haec gentis reliquiae a Cattis & superuenientibus Francis absorptae sunt; qui a MARTIALI, CLAUDIANO, SIDONIO & aliis non raro ideo *Sicambri* vocantur. Regio autem Sicambrorum a Siga amne, circa quem procurrit, & veteri nostro *ham* vel *heim*, patria, regio, antiquissimis temporibus *Sigham* dicta fuisse videtur; *vn-Sighamer* & Latinum *Sicamber* formatum, ad *Sigam fluiuium habitantem* designat.

§. CX.

Domitis Sicambris Tiberius in praemium operae nauatae *Imperatorium* nomen & *Consulatum*, paulo etiam post *Tribunitiam potestatem* in quinquennium ab Augusto accepit. Armenia quoque, quae defecerat, ipsi commendata est. Vtrumque male habuit Caium & Lucium Caesares, qui se spretos iudicabant. Tiberius iram eorum reueritus Rhodum secessit, vbi disciplinae quasi capiendae causa per integros septem annos commoratus est. Fuere tamen, qui propter Iuliam

Honores in Tiberium collati. Secessus eius Rhodiensis.

con-

(u) *August. Cap. 21. & in Tiber. cap. 9. EVTROP. in Aug. TACIT. Annal. lib. XII. 39.*

(w) STRABO lib. VII.

coniugem, quam diutius ferre nequiverit, Romade-  
cessisse affirmarent (x).

## §. CXI.

Marobodu  
inolitioes.  
Populi ei  
subiecti, Re-  
gio Bouias-  
mum, Boio-  
rum expulsio  
e Boiohemo.  
Boioariorum  
origo & Du-  
castus.

In interiore Germania circa haec tempora non  
parua populorum commotio facta est, Marobodu  
auctore. Erat is genere Marcomannus (y), nobilis na-  
tu, corpore praeualens, animo ferox & natione ma-  
gis, quam ratione barbarus (z). Marcomanni vero  
hic differunt, vt iam monui, a Marcomannis Caesari  
memoratis. Hi enim a Marciana sylua; Marobodui ve-  
ro populares a fluuio Marca siue Moraua, Danubium  
influyente, dicti sunt. Inuenis Maroboduus Romae pri-  
uatus vixerat, & rebus gerendis adhibitus, beneficiis  
Augusti affectus fuerat. Ibi vero demum, qua erat a-  
nimi perspicacia, didicerat, quibus artibus Regnum  
paretur, quibus viribus conferuetur. Concepit itaque  
& sibi Regnum, vimque regiam, ad posteros mansuram.  
Domum reuersus, primum inter suos, ex voluntate pa-  
rentium, occupauit principatum. Mox finitimos omnes  
aut bello domuit, aut conditionibus iuris sui fecit (a).  
Ex his STRABO *Lutos* magnam gentem, *Zumos*, *Bu-*  
*tones*, *Mugilones*, *Sibinos* atque ex ipsis Sueuis ingen-

tem

(x) DIONYSII lib. LV.

(y) STRABO lib. VII.

(z) VELLEIVS lib. II. c. 108.

(a) VELLEIVS &amp; STRABO l. c.

tem *Semnonum* nationem nominat (b). *Luii* sine dubio sunt, qui caeteris *Lygii* dicuntur, quorumque situm supra exposuimus. *Butones* BVCHERIVS in *Gutones* mutat, Gothorum progenitores; & quadrat huc, quod TACITVS refert, *Catualdam Gotonem* Maroboduo rebellasse. *Semnones* inter Albim & Viadrum noti: reliquae vero gentes ignotiores sunt. In *Coldulorum* gente Sueuica, iam intra nemus Hercynium habitante, regiam suam tum constituit Maroboduus, eamque *Bo-uiasmum* STRABO vocat, addens Maroboduum eo, cum alios, tum Marcomannos gentiles suos transtulisse. *Bo-uiasmum* hoc plerique in *Boiohaemum* non recte mutant. *Boiohaemum* enim non regia, sed VELLEIO teste, ipsa regio & patria Boiorum fuit, quam demum, postquam per aliquot tempus in principio nemoris Hercynii apud Sueuos *Coldulos* resedissent, occupauit Maroboduus. Nec vero simile est, Sueuos in Hercynia, vt STRABO indicat, aduenas, meditullium regionis Boicae tenuisse. Ego itaque *Coldulos* sub montibus Hercyniis habitasse existimo, & *Coldulos* a Romanis pro *Woldulis* dictos, a veteri *Wold*, sylua, quod iam *Wald* enunciatur. Cum enim nostrum *W* non haberent, illius loco semper aut *G* aut *C* vsurparunt. *Colduli* ergo erunt nobis *Woldler*, *Waldler* siue  
syl-

(b) lib. vii.

*syluicolae*. Idem & Slaonica lingua *Lufatorum* nomen denotat, a Slav. *Log*, Dalm. *luugh*, Polon. *lias* Bohem. *les*, *sylua*, deriuatum. Hinc vero Colduli in Lufatorum regionem inter Albim & Spream orientem collocandi videntur. *Bouiasmum* hoc modo optime in *Budissinam* urbem congruit, & ipsum eius nomen ex illo *Bouiasmi* a Slauis, in eas terras postea irruentibus, corruptum esse potuit. Praeter autem populos a STRABONE recensitos, cis Albim Maroboduo adhuc paruerunt *Langobardi*, vt TACITVS indicauit (c). *Hermunduros* etiam si non omnes, eos tamen sub se habuit, qui Albi viciniore, vbi Sala illi miscetur, atque hos in Boiohaemum cum suis popularibus translocauit. Quo fit, vt TACITVS Albim in Hermunduris oriri affirmet (d). Imperio ita amplissimo instituto, firmamenta quoque addidit, corporis sui custodiam, & exercitum ad Romanae pene disciplinae formam redactum. Aduersus Romanos vero, VELLEIO teste, ita se gerebat, vt neque bello eos lacefferet; &, si lacefferetur, superesse sibi vim ac voluntatem resistendi declararet (e). Ne tamen inuasionibus eorum improuisis paterent sui, quas paulo ante experti

(c) *Annal. lib. II. c. 45.*

(d) *Germ. c. 41.*

(e) *VELLEI. l. 6.*

perti erant Germani inter Visurgim Albinque agentes, tutiore eos sede collocando siudicavit. Placuit Boiohaemi situs, quod montibus & sylvis incinctum, Septentrionem spectanti, Germaniam ad laeuam, Pannoniam ad dextram, a tergo vero Noricos habebat (f). Boii, Gallica gens, quorum non minima portio nuper in Pannonia a Dacis deuicta erat, veteres regionis incolae erant. Hos ex diuturna pace molliores, subito Maroboduus inuasit & auitis sedibus pepulit (g.) Suos vero Marcomannos, Sueuos, & Hermunduros eorum loco ibi reposuit. Mansit tamen huc vsque Boiohaemi nomen, significatque loci veterem memoriam, mutatis quamuis aliquoties cultoribus. Cum tamen antiquitus Boii Heluetiorum contermini circa Danubii ortum fuerint, qui tandem ab Hermunduris eo venientibus obscurati sunt; & aliquot post saecula ibi in vtraque Danubii ripa *Boioarii* inueniantur, quorum cum Boiis idem nomen est; suspicor, Boios ex montanis depulsos Hermunduris ibi primum, & reliquiis veterum Boiorum se miscuisse, ac tandem cum plurimi ex Hermunduris in Romanum solum concessissent, nomen ipsorum plane depressisse, Vindeliciae etiam parte maiore trans

H h 2

Danu-

(f) VELLEI. l.c.

(g) VELLEIVS, TACITVS de Germ. cap. 28.



Danubium vel bona Romanorum voluntate vel armis sibi vindicata. IORNANDES, qui paulo post Gothos a Iustiniano euersos scripsit, *Baiobaros* vocat, vbi: *Regio*, ait, *Suauorum ab Oriente Baiobaros habet, ab Occidente Francos, a meridie Burgundiones, a Septentrione Thuringos.* Ita in Boioariis in lucem reductum est diu oppressum Boiorum nomen; quemadmodum & Catti, qui sub Regibus Francis non audiebantur, veteres licet sedes obtinerent, post eos tamen iterum sub nomine *Hassorum* inclaruere. VELSERVS igitur errauit, vbi statuit, Boios a Marcomannis non pullos, sed saltem oppressos, aduentantibus demum Cechis, populis Slauonicis, Boiohemo excessisse, & primum in Nariscis, Palatinatu scilicet superiore ac vicinis locis, consedisse, ac tandem, Danubio traiecto, in Vindeliciam, id est, praesentes sedes migrasse. Slauis enim circa IORNANDIS demum tempora in Boiohemum irrupere, vt ipse indicat (*b*) his verbis: *Vinidi, Antes, Slauis, quamuis nunc ita facientibus peccatis nostris vbique desaeuiunt, tamen tunc omnes Hermanarici imperiis seruiere.* Boioarii autem diu ante iam in Vindelicia, vt vidimus, inuenti sunt. Recentiores quidam cum Theodone Duce illos aduenisse putant. Hunc, Theoderico Ostrogothorum Rege in Italia regnante, Boiis vel Boioariis praefuisse

ARN-

(*b*) cap. 27.



ARNPECKIVS, AVENTINVS, VELSERVS, BRVN-  
 NERVVS & ADLZREITERVS docent, domesticos, sed  
 valde recentes annales secuti. Ego vero cum Illustri LEIB-  
 NITIO (i) vereor, ne omnia, quae de antiquo illo Theo-  
 done Boioario dicuntur, in fabulis cubent, cum nullo ve-  
 terum testimonio iuventur. Ducatus Boioariae, qui olim  
 inclaruit, & Francorum tandem inuidiam, post  
 etiam oppressionem meruit, amplissimus fuit: A  
 fontibus enim Moeni (vbi circa Bambergam & Wurtz-  
 burgum veterum Bauariae siue Austriae Marchionum  
 sedes, & bona hereditaria erant) inter Sueuiam &  
 Boiohaemi montana, per omne Noricum, Vindeli-  
 ciam & Rhaetiae maiorem partem ad mare vsque  
 Adriaticum & Italiae fines explicatus olim fuit. Vn-  
 de vetus de Henrico Leone Boioariae & Saxoniae  
 Duce, Principum nostrorum Satore, dicitur, quod  
*a mari ad mare*, hoc est a Balthico ad Adriaticum,  
*regnauerit*, omnino verum fuisse deprehenditur. Mar-  
 chiae Austriae Cisdanubianae bonam deinde partem  
 Episcopatus Ratisbonensis, Wurtzbergenfis & Bam-  
 bergensis sensim absorpsere. Friderici primi Impe-  
 ratoris auctoritate integra Austria a Boioariae corpo-  
 re

Hh 3

re

(i) Vid. eius praefat. ad ADLZREITERI & BRUNNERI  
*Annalium Boic. editionem Lipsensem.*



re auulsa est. Postea etiam Stiria, Carinthia, Carniola & Meraniae vel Tirolis regio Austriacis ex Habsburgica domo Principibus accessit. Vnde cum in Circulos Germania sub Maximiliano primo diuideretur, Austriacus a Bauarico separatus, & Bauaricus multo arctior factus est vetere Boioariae Ducatu (k).

§. CXII.

Marobodui bellum cum Boiis Christo nascente feruit. Iani templum sub natiuitatem Christi non fuit clausum.

Marobodui vero hae aduersus Sueuos & Boios expeditiones & Boiohemi occupatio eo tempore contigisse videntur, quo Iesus Christus, generis humani Seruator, Betlehemi ex Maria Virgine nascebatur. Paulo enim post eam Augustus noui vicini potentiam reformidans, Tiberium, vt videbimus, aduersus eundem misit. Vix igitur constabit sibi inolita Patrum Ecclesiae quorundam, & ab Orosio ad nos propagata, sententia, Christum Iani templo Romae clauso, & pace per omnem terrarum orbem altissima natum esse. IOHANNES MASSONVS, vir eruditissimus, peculiarem librum ante aliquot annos edidit, quem *Iani templum Christo nascente reueratum* inscripsit. Hoc Augustum Iani templum, SVETONIO teste, ter, & primum quidem V. C. anno 725. secundo 730. & tertio 744. clausisse; idem vero eodem hoc anno vel cer-

te

(k) Vid. LEIBNITIVS l. c.

te fequenti reclusum fuiſſe, ſub Tiberii demum impe-  
 rio denuo obſerandum, ex auctoꝝ & monumen-  
 tis fide dignis demonſtrat. Siue itaque ſecundum  
 vulgarem Eccleſiae calculum, quem in computandis  
 annis in hoc opere nos ſecutos eſſe, hic profite-  
 mur, Chriſtus anno V. C. 753, ſiue, ſecundum IOHANNIS  
 KEPPLERI excellentis Mathematici noſtratis ſenten-  
 tiam anno V. C. 748. ſiue, ſecundum IOHAN-  
 NEM DECKERVM & DIONYSIVM PETAVIVM A.  
 V. C. 749. ſiue denique ſecundum SCALIGERVVM,  
 CALVIſIVM, BARONIVM, VOSSIVM, LANGIVM  
 & caeteros A. V. C. 731. in lucem editus ſit, templum  
 patuit & bella non vno in loco ſerbuerunt.



Conſpe-

## Conspectus Libri II,

quo historia & migrationes maiorum nostrorum  
a Christi natiuitate vsque ad finem saeculi secundi; &  
praecipue Saxonum origo, expeditiones in Septentrionem, &  
occupatio terrarum inter Albim & Visurgim exponuntur.

- |   |  |
|---|--|
| <p>§. 1. <i>Caii &amp; Lucii Caesarum obitus &amp; illius in Oriente gesta.</i></p> <p>§. 2. <i>Tiberii post reditum ex Rhodo expeditio in Germaniam.</i></p> <p>§. 3. <i>Alteram in Germaniam expeditio, qua vsque ad Albim peruentum.</i></p> <p>§. 4. <i>Expeditio in Maroboduum frustra suscepta.</i></p> <p>§. 5. <i>Pannonicum &amp; Dalmaticum bellum a Tiberio &amp; Germanico confectum. Gemma huc spectans exposita.</i></p> <p>§. 6. <i>Vari in Germania clades.</i></p> <p>§. 7. <i>Monumenta Varianae cladis.</i></p> <p>§. 8. <i>Quid Augustus accepto Varianae cladis nuntio egerit Romae?</i></p> <p>§. 9. <i>Tiberius in Germaniam it; Collega imperii.</i></p> <p>§. 10. <i>Alia Tiberii &amp; Germanici expeditio in Germanos. Natiuitas Caligulae. Triumphus Tiberii Pannonicus.</i></p> <p>§. 11. <i>Augusti mors: Germanici in Germania gesta: Tanfanae Dei suae Deae Germanorum significatio.</i></p> <p>§. 12. <i>Sueuorum migratio ad Rhenum in viciniam Alemannorum.</i></p> <p>§. 13. <i>Expeditio Germanici in Cattes, in Cheruscos &amp; eorum socios. De situ montis Tanni.</i></p> | <p>§. 14. <i>Germanici expeditio ultima in Germanos. Praelium eius cum Arminio cis Visurgim, &amp; victoria.</i></p> <p>§. 15. <i>Locus praelii sub monte Diestero.</i></p> <p>§. 16. <i>Reditus Germanici in hiberna &amp; honores ei decreti.</i></p> <p>§. 17. <i>Liuii &amp; Ouidii mors. Germanici triumphus.</i></p> <p>§. 18. <i>Expositio Achatis, in quo triumphus Germanici exsculptus est.</i></p> <p>§. 19. <i>Stemmata Principum Germanorum huius temporis.</i></p> <p>§. 20. <i>Arminii bellum aduersus Maroboduum: Semnones &amp; Langobardi a Maroboduo desciunt.</i></p> <p>§. 21. <i>Marobodui exilium, Arminii Ducis, Cheruscorum interitus.</i></p> <p>§. 22. <i>De Arminii castro &amp; statua.</i></p> <p>§. 23. <i>De initiis Regni Gothorum &amp; Genealogia Principum Amalorum.</i></p> <p>§. 24. <i>Germani quieti. De Strabone &amp; Velleio Paterculo.</i></p> <p>§. 25. <i>Frisii commoti in Romanos.</i></p> <p>§. 26. <i>Caligulae inimica in Germanos &amp; Britannos expeditio, Bononiensis Phari structura. Caligulae mors. Claudii successio.</i></p> |
|---|--|

§. 27.

- §. 27. Catti, Marfi & Cauca a Romanis repressi, Britanni a Claudio victi & triumphati.
- §. 28. De Cberuscorum Rege Italo.
- §. 29. Chauci & Frisii repressi: Claudius Rbenum imperii limitem constituit; Fossa Corbulonis.
- §. 30. Vrbs Colonia condita. Catti caesi.
- §. 31. Vannius ab Hermunduris, Lygiis & Gothis Regno eiectus. An Vangio, Vannii affinis, fuerit; Idem cum Augi Iornandis. Initia Gothicae potentiae. Druides extirpati in Gallia. Claudii Imp. mors.
- §. 32. De prima religionis Christianae per Apostolos propagatione. De Egisti & Mariani fabuloso Apostolatu apud Bardeuicenses.
- §. 33. Custodiam corporis Imperatorum Germani habuere.
- §. 34. Agger Drusi perfectus. Mosellae cum Arari coniunctio tentata.
- §. 35. Frisii & Amsuarii a Rheno remoti & puls. Cattorum & Hermundurorum bellum ob flumen Sale foecundum. Per id Sala Franconicus intelligitur. Salis consiendi vetus ratio. Vnde Pagus Grapsfeld dictus.
- §. 36. Iuhonum Colonia. Vbi sita fuerit.
- §. 37. Britannica.
- §. 38. Neronis extrema & interitus. Caesarum nomen non amplius familiae, sed dignitatis index.
- §. 39. Turbae in imperio sub Galba, Ottone, Vitellio, Vespasiano. Hierosolymae captae & dirutae.
- §. 40. Britannicus tumultus. Dacorum incurso in limitem Romanum. Bataurorum & Caninefatum bellum cum Romanis ductu Claudii ciuilib.
- §. 41. De Velleda vate Brueterorum.
- §. 42. Brueterorum excidium.
- §. 43. Reliqua Vespasiani & Titii Plinii maioris interitus & scripta.
- §. 44. Domitiani expeditio in Cattor. Cberuscorum clades a Cattis accepta. Dacorum irruptio. Domitiani triumphus de Germanis.
- §. 45. Domitiani aduersus Dacos gesta. L. Antonii rebellio in Germania extincta.
- §. 46. Marcomannis & Quadis Domitianus iratus. Ganna vater Marcomannica.
- §. 47. De Lygiis in Mysia. Misnenses non a Mysis, sed ab vrbe, vrbs ab anne nominata.
- §. 48. Alter Domitiani triumphus de Dacis & Germanis. Sarmatica illius laurea.
- §. 49. Reliqua Domitiani gesta & mors.
- §. 50. Neruae res gestae scriptorem non habuere. Nummus cum nomine Germanici.
- §. 51. Traianus a Nerua adoptatus & successor declaratus.
- §. 52. Traiani gesta in Germani. Francofurti ad Moenum origo. ia.
- §. 53. Bellum Traiani Dacicum. Dacia

- in prouinciam redacta & colonia Romana impleta. Walachorum origo. Pons Traiani in Danubio descriptus & circa eum Dio refutatus.
- §. 54. Columna Traiana. Expeditio Parthica. Rex Bosporanorum Sauromata. Mors Traiani.
- §. 55. Saxonum origo fabulosa & vera.
- §. 56. Saxonum Reges sicuti recensentur & reiciuntur.
- §. 57. Verae & genuinae Saxonum originis. Tres Wodani vel Odini. Vnus antiquissimus, alter saeculi post Christum natum secundi initio, tertius saeculo tertio vixit. Medius Wodanus As a patria ditlus. Vbi caesita.
- §. 58. Wodanus Vandalus, quo itinere in Septentrionem perrexerit. Iuthae unde ditli? Scandinauia unde? Est Chersonesus Cimbrica & finitimum litus nostrum, Cur Wodanus gigas frgatur. Cur Deus Mars etiam ditlus. Cur pro malo Deo habitus sit. Vnde nobis das wütende Herr, & quid rei sit?
- §. 59. Wodanus inuitatus in Septentrionem venit cumque Legibus, carminibus, scribendique arte tradita cultiorem fecit. Cur magus fuisse creditus sit. Cur Soli eius nomen datum. An Germanica Dei appellatio ab eo orta.
- §. 60. Frea forte Wodano antiquior, cum Friccone confusa. Dea pacis & amoris.
- §. 61. Ante Wodanum iam Germani in Septentrione dominati, Thor Wodano antiquior Pro Ioue cultus. Cur sub tauri figura effusus sit? Cimbri iam Thorum coluerunt.
- §. 62. Rueda Saxonum Dea, nunc Touringis Rofa.
- §. 63. Ordo genuinus Principum vel Ducum Saxoniorum.
- §. 64. Recensio Generalis Principum Saxoniorum.
- §. 65. Saxones ditli a breuibus gladiis. Hi ad imitationem Romanorum fabricati a Saxonibus in Septentrione Saeculo post Christum natum secundo.
- §. 66. Sub Hadriano Imperium imminutum; barbari largitionibus placati. Itinera Hadriani. Expeditio in Sarmatas & Roxolanos. Sorani Bataui laus. Iter in Germaniam & Britanniam. Limites muniti. Moles Hadriani Romae & caetera eius gesta.
- §. 67. Antonini Pii gesta. Britannicae turbae & res sub eo. Quid cum Quadis actum?
- §. 68. De Iustino Historico & Appiano Alexandrino, qui fines imperii sui temporis descripsit.
- §. 69. Ptolemaei Geographi aetas, Germaniae Septentrionalis ciuitates apud eum illustratae.
- §. 70. Marci Imp. bella, praecipue Caticum & Marcomanno-Quadicum.
- §. 71. Germani in Italiam irruunt. Marcomannici & Quadici belli initium. Populi hostibus Romanorum confederati.
- §. 72. Bellum Marcomanno-Quadicum. Quibus annis id gestum? Memoria eius in nummis. Pluuia prodigiosa.
- §. 73. Pacificatio cum Quadis, Marcomannis & Iazygibus.
- §. 74. Auidii Cassii rebellio. Iazyges & caeterae gentes placatae. Commodus sit Imperator. Triumphus Imperatorum de Sarmatis & Germanis. Iterati Quadorum motus. Eos componit Marcus & obit. Naxisci translati.
- §. 75. Commodi subita pacificatio cum Marcomannis: Commodi triumphus, & reliqua eius & sequentium in pp. acta. Seueri expeditio Britannica & mors.
- §. 76. Romani Imperii Infelicitas & ruina a saeculo tertio incipit. Irruptio Saxonum, Gothorum, Burgundionum, Vandalorum, Largarbarorum, Francorum &c. in Imperium.
- §. 77. Scriptores quidam recensiti. Lucianus, Pausanias, Athenaeus, Solinus.



§. I.


Armenii circa annum Christi Dionysianum primum defecerant ab imperio Romano a Parthis adiuti. Augustus propter senectutis incommoda ipsemet bellum gerere non poterat. Tiberius adhuc absens; Caius vero & Lucius iuvenes ac rerum imperiti erant. Necessitate tamen urgente, cum alium e potentioribus mittere non auderet, Caium delegit tunc Consulem potestate Proconsulari & vxore ei data Liuilla, Druso & Antonia minore genita, Germanici sorore (a). GELLIVS fragmentum Epistolae ab Augusto hoc anno ad Caium scriptae nobis conseruauit, tenerrimi affectus in illum plenae, qua nuntiat, se κλιμακτῆρα tertium & sexagesimum euasisse & quartum & sexagesimum natalem suum celebrasse (b). Moderatorem Caio Augustus adiunxerat M. Lollium (c) Legionum Rhenanarum in Germania Inferiore ante hac Praefectum. Ad commentanda ve-

Caii & Lucii  
Caesarum  
obitus, & il-  
lius in Ori-  
ente gesta.

(a) VELLEIVS l. 2.

(b) GELL. lib. XV. c. 7.

(c) VELLEIVS l. c.



ro omnia, in orientem praemiserat Dionysium Geographum (d). Caius in itinere Legiones, quae ad Istrum castra habebant, pacis more obiens, spectauit, ut principatus artibus se instrueret, non ut belli discrimina experiretur (e). VELLEIVS itineris Caii comes fuit, atque ex iis, quae narrat, coniecimus, Caesarem secundo Istro in Pontum delatum, eiusdem & Helleponti ac maris Aegaei litora ac insulas praecipuas visitasse. Cum in Chio insula (Samum hic nominat SVETONIVS) Caius hibernaret, Tiberius eius visendi gratia Rhodo traiecit, ubi licet non Caio tantum, sed & comitibus ipsius se humiliter submitteret, eum alieniorem sibi sensit, excriminationibus M. Lollii (f). VELLEIVS, ubi contrarium profert, adulatorie scribere videtur. In huius vero anni expeditione Caium res Arabicas composuisse PLINIUS indicat (g). Syriam quoque & Aegyptum ordinasse OROSIVS tradit (h). Quod Iudaeam praeteruehens apud Hierosolymam non supplicasset, Augustus collaudauit (i). Dum vero anno sequenti, post N. C. secundo,

(d) PLINIUS lib. VI. c. 27.

(e) VELLEIVS DIONIS, *Ecclogae Peirescianae*.

(f) DIO SVETON. *Tiber. cap. 12.*

(g) lib. VI. c. 27. & lib. II. c. 67.

(h) OROS. lib. VII. c. 3.

(i) SVETON. in *Augusto cap. 93.*



do, Caius in Parthos moueret, & frater Caii Lucius Caesar Hispanias peteret, Tiberius, permittente Caio, reuocatus est, ea tamen sub conditione, ne quam partem curamue reipublicae attingeret (k). Egregius simulandi artifex morem gessit mandato, & post reditum data virili toga filio Druso e Pompeii domo in Maecenatis hortos transmigravit, negotiorumque publicorum contemptum praeferebat, totum se ad quietem contulisse visus est (l). Breui tamen post Lucium Caesarem in itinere die XIX Septembris Massiliae decessisse nunciatum (m). Caius interea ad Euphratem processerat, & cum Partho conuenerat, ut Armeniam missam faceret. Armenios igitur, cum exercitu aggressus, rem omnem prospere gessisset, nisi in obsidione Artagerae urbis a praefecto per insidias vulneratus fuisset. Hoc enim ex vulnere in ipso versus Italiam reditu in Lycia mortuus est (n). Obitus dies 9. Kal. Martii in Cenotaphio Pisano annotatus est, cum eo anno Sex. Aelius Catus & C. Sentius Saturninus

li 3


ninus

(k) SVETON. *Tiber.* c. 13. VELLEIVS c. 103.

(l) SVETON. *Tib.* c. 15. TACITVS *lib. VI. in fine.*

(m) VELLEIVS *lib. II. c. 102. Cenotaphium Pisianum a NORISIO illustratum.*

(n) VELLEIVS *lib. II. c. 103. XIPHILINVS, STRABO, FLORVS lib. IV. c. ult. SEXTVS RVFVS in BreviAR. IORNANDES, ZONARAS.*



ninus Consules essent, quod annum Christi quartum indicat:

§. II.

Tiberii post  
reditum ex  
Rhodo ex-  
peditio in  
Germaniam.


Mascula prole carebat Augustus, vnde de subsidiis dominationis sollicitus, Tiberium, qui vnicus e priuignis supererat, inuitus quamuis, solenniter tamen, V. Kal. Iulias adoptauit, cum prius illum fratris sui filium Germanicum similiter adoptare coëgisset (o). Ita is, cui modo fortuna subduxerat spem magni nominis, subito Augusti filius, mox collega Imperii & consors Tribunitiae potestatis assumtus, omnesque perexercitus ostentatus est. Nec diu Tiberium in vrbe retinuit Augustus, sed protinus in Germaniam misit; vbi ante triennium sub M. Vinicio immensum exarserat bellum (p). Drusi mors & Tiberii discessus animos addiderant populis iugo Romano infuetis. Auaritia Praefectorum, exactiones immodicae, translatio tot popularium in Galliam, & castella ad Fleuum, Lupiam, Amasum atque Visurgim, quibus pristina eorum libertas coërcebatur, ipsis intolerabilia videbantur. Vnde ad rebellionem ventum, quam Vinicius pro viribus quidem cohibuit, extinguere tamen plane non potuit. Tiberius igitur aduersus eos

impe-

(o) SVETON. *August.* c. 65. *Tiber.* c. 15. *Caligula cap.* 4. DIO  
*lib.* LV.

(p) VELLEIVS *lib.* II. c. 104.

imperium exercitus suscepit. **MEDIOBARBUS** num-  
 mum aureum refert, hoc anno percusum, in quo  
**TI. CAESAR AVGVSTI. F. COS. II. TR. P. VI,**  
 & in postica. **AVGVR. PONT. IMP. III.** Antea e-  
 nim per annos quinque eandem Tribunitiam potesta-  
 tem gesserat & *Imperator iterum* vocatus fuerat, vt  
 Numismata euincunt. **VELLEIVS** in hac expeditio-  
 ne iterum comes & adiutor Tiberii, de ea haec scri-  
 bit: Intrata protinus Germania, subacti *Caninesates*,  
*Attuari*, *Brueteri*, receptae *Cheruscae* gentes, & amnis,  
 mox nostra clade nobilis, transitus *Visurgis*: penetrata  
 vltiora. Addit **VELLEIVS**: periculosissimi belli  
 partem Caesarem vindicasse, in iis, quae minoris  
 discriminis erant, Sentium Saturninum Legatum tum  
 patris in Germania praefecisse: anni eius aestiua vs-  
 que in mensem Decembrem perducta immanis emolu-  
 mentum victoriae fecisse: & hibernis ad caput Iuliae  
 fluminis (Lupiae legendum est, vbi nempe castellum  
 Alifonis erat) locatis Caesarem pietatem suam obstru-  
 ctis pene hyeme alpibus, in urbem traxisse. *Caninesates*  
 sub ostio Mosae fluminis, vbi nunc Haga Comitum &  
 Lugdunum est, litus maris occupabant, *Attuarii*, hic  
 apud **VELLEIVM** nominati, inter Isalam & Vectam a-  
 mnes coluisse videntur, post quos *Brueteri* fuerunt.  
*Cheruscorum* situs notus est. *Visurgim* ad Mundam  
 Tibe-



Tiberium transiisse puto. DIO enim annum hunc hoc loco *Erygrum* vocat, quod ad *Werrae* nomen Virgii ad Mundam proprium accedit. Brevis interim temporis intercapedo gloriose & fortiter gesta in hac expeditione vix admittit. Videntur Germani, aduentantibus Romanis, more suo, in sylvas se recepisse; Cherusci vero, longius a limite Romano remoti, amicitiam simulasse; vnde *recepti* dicuntur. Tiberius ipse, se nouies in Germania plus consilio, quam armis peregrasse, testatur. Interim Arminius, postea Cheruscorum Dux & victor Romanorum, vna cum fratre Flauio hoc tempore in Romana castra transiisse dici potest. VELLEIVS enim eum assiduum militiae suae prioris comitem vocat, & ciuitatis Romanae ius, equestremque gradum consecutum dicit. Iuuenis enim tunc erat Arminius, genere nobilis, manu fortis, sensu celer, & ultra barbarum promptus ingenio, Sigimeri, Principis gentis eius, filius, ardorem animi vultu oculisque praeferens, quae VELLEII sunt verba. TACITVS eundem Romanis in castris ductorem popularium meruisse & Latine sciuisse adiungit. Flauium insignem fide in Romanos laudat. Ambo iuuenes] erant vigesimum aetatis annum non multum supergressi. Inguiomerus Arminii patruus, Segestes item cum fratre Sigimero domi remanentes, ciuitate Romana eodem tempore donati, Segimundo denique ab ipso

Se-

Segeſte patre, ad aram Vbiorum Auguſti adhuc viui Sacerdote conſecrato.

§. III.

Sub initium veris anni a C. N. quinti Tiberius in Germaniam reuerſus eſt. Perluſtrata, inquit VELLEIVS, armis tota Germania eſt. Victae gentes paene nominibus incognitae: receptae Cauchorum nationes. Tranſito itaque Amiſio per Cauchos Romanorum amicos ad Viſurgim & inde ad Albim Tiberium perueniſſe exiſtimo, dum claffis a Germanico Oceano, quod etiam ſub Druſo, & deinde a Domitio Ahenobarbo praeflitum erat, flumine Albi ſubuehertur. Militiam terreſtrem & naualem in regione Langobardorum ſe coniunxiſſe inde concludo, quod VELLEIVS tradat, fractos tunc Langobardos, gentem etiam Germana feritate ferociorem. Albim deinde adſcendit, eouſque, vbi fluius hic Semnonum Hermundurorumque fines praeterfluit (g), atque ita ad fines Imperii Marcomannorum peruenit. VELLEIVS magnifice admodum hac de expeditione loquitur; ſed neque velitationum, neque belli cum hoſte geſti meminit. Amicum ergo Germanorum Tiberium ſe ſimulaſſe credas, non hoſtem, atque inde, quo vellet, ire potuiſſe per Germaniam pacatam. Ad hunc annum

Altera in Germaniam expeditio, qua ad Albim peruentum.

(g) VELLEIVS lib. II, c. 106.



num pertinet, quod DIO habet, Tiberium ad Albim  
 progressum, nihil tamen magnopere memorandum  
 actum esse; quanquam de Germanis Imperatoris nomen  
 non Augustus modo, sed Tiberius etiam, inuenerit, ho-  
 noresque triumphales C. Sentius Germaniae Praefectus,  
 quod horum metu bis Germani pacem accepissent. Le-  
 gionibus vero in hiberna reductis, Tiberius eadem,  
 qua priori anno, festinatione Urbem repetiit, vbi  
 anno sequenti, a C. N. sexto, vt Dio prodit, Impe-  
 rator quartum dictus est. **MEDIOBARBUS** in num-  
 mo legit: **TI. CAESAR AVGVSTI F. IMPERA-  
 TOR III. PONTIFEX. TRIBVNICIA. POTE-  
 STATE VIII. S. C.**

## §. IV.

Expedi-  
 tio in  
 Marobodu-  
 um frustra  
 suscepta.

Vnius Marobodui potentiam Tiberius ferre non  
 poterat. Habebat ille imperium optima disciplina  
 septum, & Italiam incrementi sui securam esse non  
 patiebatur. Metus eo maior ab eo erat, quod a sum-  
 mis Alpium Noricarum iugis, quae Italiam termi-  
 nant, initium eius finium haut multo plus ducentis  
 millibus passuum abesset (r). Tiberius in Senatu magni-  
 tudinem viri, violentiam subiectarum ei gentium &  
 quam propinquus Italiae hostis esset, exposuit; nec  
 Philippum Atheniensibus, nec Pyrrhum aut Antio-  
 chum populo Romano perinde metuendos fuisse osten-  
 dit

(r) **VELLERVS** lib. 11. cap. 109.

dit (s). Bellum itaque aduersus illum decretum, & incincti Hercyniae syluae campi diuersis e partibus exercitu petiti. Sentio Saturnino mandatum, vt per Catos, excisis continentibus Hercyniae syluis, Legiones Romanas & Rhenanas Boiohaemo admoueret. Tiberius Roma egressus a Carnunto (quod situm fuisse eo loco, vbi nunc vrbs & arx *Haynburg*, pagus Germano-Altenburgicus & vicus S. Petronellae iacent, LAMBECIUS (t) affirmat) alium exercitum ex Illyrico in Marcomannos ducere orsus est. Atque intra paucos dies vtriusque agminis copiae ad Danubium conuenissent, vbi Tiberius hiberna praeparauerat, nisi nuntiatum fuisset, Pannoniam & Dalmatiam, milite inde Romano abstracto, sibi omnibus tractus illius gentibus in societatem adductis, arma corripuisse aduersus Romanos. Necessaria tum gloriosis praeposita, & pax, vt potuit, aequis conditionibus cum Maroboduus pacta. Maroboduus hinc apud suos non immerito gloriatus est, se duodecim legionibus petitem, Duce Tiberio, illibatam Germanorum gloriam seruauisse (u).

Kk 2

§. V.

(s) TACITVS *Annal. lib. 11.*

(t) *Biblioth. Caesar. lib. 11. c. 9.*

(u) TACITVS *Annal. 11.*



## §. V.

Pannonicum  
& Dalmati-  
cum bellum  
a Tiberio &  
Germanico  
confectum.  
Gemma huc  
spectans ex-  
posita.

Pannoniorum Dalmatarumque copiae rebelles in tres partes diuisae erant, quarum vna Italiam petere decreuerat iunctam sibi Nauporti & tergestis confinio; altera, quae Dalmatis constabat, in Macedoniam eruperat, tertia suis sedibus praesidio remanserat. Prima duobus Batonibus, vni Dalmatae, alteri Pannonio, ac Pineti Ducibus auctoritas: Pannoniis vero, VELLEIO teste, & disciplinae & linguae Romanae notitia, plerisque etiam literarum vsus ac familiaris animorum erat exercitatio. Batonis Dalmatae confessione, vnica causa ipsos ad bellum incitabat, quod Romani ad greges suos custodiendos non canes pastoresque, sed lupos mitterent. Eadem Praefectorum auaritia & Germanos non vna vice aduersus Romanos concitauit. Tres fere annos durarunt Pannonici & Dalmatici hi motus, & ne Tiberius eorum compositionem consulto in longum traheret, Germanicus ab Augusto anno Christi septimo commissus est, qui Dalmatas aliquot damnis affecit & sequenti tandem anno partim bello, partim pacificatione Romanis subiectos reddidit. Pannonii etiam ad deditionem venere (\*). Victoriae nuncium anno Christi nono attulit Germanicus, eiusque causa Augusto & Tiberio nomen Imperatorum

(\* ) DIO lib. LV. VELLEIVS l. c.



rium auctum ac Triumphus decretus, atque inter alios honores arcus duo Triumphales in Pannonia concessi sunt (y). Qui Carnunti in hibernis Pannonicis extractus fuit arcus triumphalis, adhuc restat, & a LAZIO falso pro porta vrbis Carnuntinae habitus est. LAMBECIVS exactam eius delineationem nobis dedit (z). Triumphus ipsius solennia inhibuit tristis e Germania nuncius.

§. VI.

In Germania inter haec Sentio Saturnino successerat Quintilius Varus, Syria administrata iam illustris, quam pauper diuitem ingressus, diues pauperem reliquerat, vt pecuniae avidum fuisse facile intelligas. Germani nihil praeter vocem membraque hominum habere ipsi videbantur, quique gladiis domari non poterant, eos iure mulceri violentiamque barbarorum littoris virgis & praeconis voce inhiberi posse credebat vir otio magis castrorum, quam bellicae militiae adfuetus. Haec VELLEIVS indicat, qui addit, fuisse praeterea ingenio mitem, moribus quietum, vt corpore & animo immobiliorem. Ante eius aduentum Romani loca quaedam Germaniae tenebant, non simul, sed hinc & inde, vt forte subacta fuerant. In his milites Romani hiberna habebant vrbesque condebant.

Vari in Germania clades.

Kk 3

(y) DIO lib. LVI.

(z) Bibl. Caesar. lib. II. c. 2.

debant. Germani, etiam non opinantes, moribus ipsorum sensim imbuebantur. In forum cum iis conueniebant, pacateque congregiebantur. Et licet patriarum consuetudinum, morum innatorum, libertatis armorumque potentiae non obliuiscerentur, paulisper tamen, etiam inscii ipsi, in Romanorum mores se formabant. Varus autem, ubi regimini Germanorum praefectus esset, omnia subito mutare, iure agere, tanquam seruis imperare, & pecunias pro lubitu exigere constituit (a). Hoc proposito terras nostras ingressus, ut VELLEII verbis utar, velut inter viros pacis gaudentes dulcedine, iurisdictionibus, agendoque pro tribunali ordine, trahebat aestiua. At illi, quod nisi expertus vix credebat, in summa feritate versutissimi, simulantes fictas litium series & nunc prouocantes alter alterum iniuria, nunc agentes gratias, quod eas iustitia Romana finiret, feritasque sua nouitate incognitae disciplinae mitesceret, & solita armis discerni iure terminarentur; in summam socordiam perduxere Praefectum, usque eo, ut se Praetorem urbanum in Foro ius dicere, non in mediis Germaniae finibus exercitui praeesse crederet. Germanos iniurias a Varo illatas dissimulantes VELLEIVS natum mendacio genus vocat. Sed quis in hoste requirat, dolo an virtute agat? Arminius, Cheruscorum Princeps,

(a) DIO lib. LVI.

ceps, ex securitate segnitiaeque Praefecti Romani faustum accipiens omen, iugum, quod intendebatur, excutere strenue cogitabat. Hinc primo paucos, mox plures in societatem consilii recipere, opprimi Romanos posse & dicere & persuadere, decretis facta iungere & tandem tempus insidiarum constituere (b). Quo facilius vinceretur Varus, callide eum a Rheno in Cheruscorum fines atque ad Visurgim abduxerant Arminii amici (c). Eorum interim consilia iam effluxerant ad Segestem, cuius filiam Tusneldam, ipso inuito, Arminius duxerat. Hic fidus Romanis, omnia Varo aperire, Arminium deferre, & suadere, ut eum & conscios vinceret. Praeualebant tamen fata consiliis. Varus se haec credere negat, nihilque mali expectat, dum repente primi quidam, ex longius ab eo remotis Germanis, insurgunt. Qui ei aderant, exercitum abducenti subsidia spondent. Mox acceptis, quas conuocauerant, copiis, Romanos apud se residuos trucidant. Tum Varo in syluis iam inuisis deprehenso passim insultant. Vbi vero in montes ventum esset, conuallibus crebris interceptos ac inaequales, arboribusque densis & immodicae proceritatis confitos, quibus caedendis & in viam parandam accommodandis Romani nihil magnopere alias metuentes, defatigati fue-

(b) VELLEIUS lib. II. c. 48.

(c) DIO l. c.

fuerant, pluuia cum magno vento superuenit & grauis armaturae militibus iter per contractas disperfasque arbores difficillimum reddidit. His difficultatibus Romani cum conflictarentur, apparuere vndique Germani callium periti, eminusque primum infectati eos circumuenere, mox, cum nemo se defenderet, multi vulnerarentur, cominus congressi sunt. Loci difficultas, vt in ordinem coirent & hosti resisterent, non patiebatur, vnde impune fere inter impedimenta currusque & inermes interficiebantur. Tandem, locum vtcunque opportunum in monte syluis obfiteo nacti, castra fecerunt, & combustis ibi impedimentis, quibus carere poterant, aut relictis ordinato magis itinere postridie progressi sunt in locum nemore vacuum, nec hoc sine magna suorum caede. Hinc iterum in syluas inciderunt, vbi denuo hostes circumfusi ipsis imminuerunt. Romani angusto spatio circumclusi orbem voluentes, vt confertim equites peditesque in hostem ineurrerent, sibi inuicem ipsi damna intulere, aut ab arboribus aduersis ceperunt. Sequens dies effuso imbri & vento vehementi importunus erat. Romani neque progredi neque firmiter consistere, neque armis madentibus vti poterant. Germani vero leuis armaturae plerique, numero etiam aucti, facile tunc exercitum inclusum syluis, paludibus & insidiis circumuenerunt atque ad interuentionem  
pe-

pene trucidarunt. Varus aliique primores, cum iam vulnerati essent, se ipsos transfixerunt, plus ad moriendum quam ad pugnandum animi ostendentes. Haec pleraque ex DIONE protulimus, qui omnium maxime distincte Varianam Cladem enarrat. FLO-  
RVS (d) addit, nihil illa caede per paludes, per syl-  
vas cruentius, nihil insultatione nostrorum intolerabi-  
lius fuisse, praecipue in causarum patronos:  
aliis oculos, aliis manus amputasse; vnus os futum,  
recisa prius Lingua: quam in manu tenens barbarus,  
*tandem dixerit, vipera sibilare desiste.* SENECA re-  
fert (e), Variana clade plurimos splendidissi-  
me natos, senatorium per militiam auspicantes gra-  
dum fortunam depressisse: alium ex illis pastorem, a-  
lium custodem casulae fecisse. Nonnulli tamen ca-  
ptorum postea redempti sunt, ea conditione, vt extra  
Italiam manerent (f). Vnus e Praefectis castrorum  
Ceionius turpiter cum superstitibus quibusdam se de-  
didit, supplicio quam praelio mori malens. Vala  
Numonius alio flagitio spoliatum equite peditem reli-  
quit, ast fuga Rhenum petere aggressus desertis non  
superfuit, sed desertor occidit (g). Vari corpus fe-  
miustum

(d) lib. IV. c. 12.

(e) Epist. 47.

(f) DIO l. c.

(g) VELLEIUS l. c.



miustum hostes lacerarunt (b). Idem Sefithacus Segimeri filius illuisse apud TACITVM (i) dicitur. Tres legiones & auxilia omnia caesa SVETONIUS confitetur (k). Idem & STRABO habet (l). VELLEIVS distinctius tres ibi Legiones, totidem alas & sex cohortes periisse prodit (m). Diem cladis reticent scriptores Romani; in autumnum eum referendum, ordo rerum gestarum ostendit. Signa & aquilae duae in nostrorum potestatem peruenere, tertiam signifer, antequam caperetur, euulsit, mersamque intra balthei sui latebras gerens in cruenta palude sic latuit (n). A duabus his aquilis captis geminas aues, quae postea sculptorum inscitia in vnam bicipitem coaluerunt, in Romano-Germanici Imperii insignia venisse CVSPINIANS & HVTTENSVS senserunt & scripserunt. Nec alienus ab hac opinione fuit Episcopus & Princeps FURSTENBERGIUS, vbi de clade Variana cecinit:

*En vbi Romanae cladis Monumenta supersunt  
Varus, & Arminio stratus ab hoste iacet.  
Et campo in medio notum Victoria nomen  
Seruat, adhuc nostris inclyta temporibus.*

*Auspi-*

(b) VELLEIVS l. c. (i) Annal. lib. 3.

(k) Aug. c. 23. Tiber. c. 17. (l) lib. VII.

(m) Lib. II, cap. 117. (n) FLORVS l. IV. c. 12.

*Auspiciis rapuit pubes Germana secundis  
Imperii geminas nobile pignus aues.*

*Desinat Euphrates Parthos memorare triumphos,  
Clarior est caeso Luppia Quintilio.*

*Rapta Ioui Latio Crassi spolia ille peremti  
Reddidit, hic Aquilas obtinet usque suas.*

Sed bicipitem ex duabus aquilis telamonum vice fungentibus seculo demum decimo quarto prodiisse, doctis fere omnibus constat. Cheruscus horumque subditos & clientes cladem hanc Romanis intulisse, STRABO distincte refert. Vnde concludas, Cheruscorum potentiam tunc ad Amisum & Bructeros usque protensam fuisse. Arminius, Dux eorum, exinde liberator patriae dici meruit. Ut primum victoriam adepti sunt nostri, aquilis signisque captis illudere, captiuos patibulis suspendere, scrobibus defodere, Tribunos ac primorum ordinum Centuriones mactare & ora simul caesorum truncis arborum antefigere, signa Romana in lucis reponere Deorum suorum in honorem & rei tam praeclare gestae memoriam (o). Locum cladis in Teutoburgiensi saltu fuisse TACITVS indicat. Hunc vero prope Detmoldiam esse, Illustrissimus Princeps FURSTENBERGIUS in monumentis suis (p) & SCHATENIUS in Westphaliae Historia demon-

Ll 2

(o) TACITVS *Annal. lib. 1. c. 63.* (p) pag. 22.



demonstrarunt. Et eodem prope loco Carolus Magnus postea Witechindum Saxonum Ducem ingenti praelio vicit. Est ibi non procul ab Amisii & Lupiae fontibus *Teuteberg* mons, & campus *Wintfeld* a victoria nostrorum dictus. VELLEIVS promisit, se ordinem atrocissimae calamitatis, qua nulla post Crassi in Parthis damnum, in externis gentibus grauior Romanis fuerit, iustis voluminibus expositurum. Quod si praestitisset, plura ex eo, haecenus nobis obscura, discere potuissemus. Institere Germani partae semel insigni victoriae, & Alifonem castrum quoque circumdederunt. Sed loca munita aggrediendi imperitia, & sagittariorum, quibus Romani propius accedentes impetebant, multitudine obsidio in longum tracta. Tandem Caeditius fame loco excedere coactus, ferro sibi ad suos reditum peperit. Et commode Lucius Asprenas occurrens, cum duabus Legionibus, ad Rhenum Vari Legatus relictus, copias has seruauit & mature ad inferiora hiberna, vetera nempe, descendendo, vacillantium etiam in ripa Rheni Gallica sitarum gentium animos confirmauit. Audita enim hac clade, gentes etiam trans-Rhenanas de iugo Romanorum excutiendo cogitasse certum est. Et Segimundus Segestis filius, sacerdos iam ante apud Aram Vbiorum creatus, tunc vittas rupit, profugus ad suos (q).

§. VII.



§. VII.

Cenotaphium militis in clade enarrata occisi in Vitario Cliuiensi Colonia Traiana illuc traductum vidit WASSERBACHIVS atque ita legit:

Monumenta  
Varianae cladis.

M. COELIO T. F. LEM. BONO. O. LEG. XIII. AN. LIII.

\*\* CIDIT BELLO VARIANO OSSA INFERRE.

LICEBIT. P. COELIVS T. F. LEM. FRATER. FECIT.

M. COELIVS

M. COELIVS

M. L.

M. L.

PRIVATVS.

THIAMINVS.

Alia monumenta, nummos Iulii Caesaris & Augusti aliorumque, gemmas, fragmina telorum, exesa rubigine pila diuersique generis arma in campo Wintfeld effodi idem WASSERBACHIVS, & ante eum Illustrissimus Princeps FURSTENBERGIVS testantur. WASSERBACHIVS in Dissertatione *de Statua Arminii* quatuor nummos exhibet (r) aeuo vitiatos. Tres, ait, in Campo Winfeld olim effossos fuisse. In vno nudum caput cum inscriptione: P. QVINCTIL. VAR. II. VIR. In altero tria capita, quorum superius Augusti, & subiecta Caii & Lucii Caesarum esse putat, verba circum habent: MAX. PONT. AVG. In tertio est Augusti caput nudum cum inscriptione: AVGVSTVS BVTHR. Similem Coloniae Buthroti in Epiro nummum citat HARDVINVS in nummis Colo-

LI 3

niarum

(r) pag. 93. 94.



niarum antiquis (s). IDEM (t) alius nummi Augusti ex Cimelio Regis Franciae meminit, in quo aquila Legionaria inter militaria signa duo & inscriptio: COL. GEM. ACCI. L. VI. hoc est: *Colonia Gemella Accitana Legionis sextae*. Hic vero idem est omnino cum illo numo, quem quarto loco WASSERBACHIVS exhibuit, atque in campis ad Lupiam reperi- tum dixit. Quem vero nummum in pede montis Harminii non procul ab Acidulis Pyrmontanis effosum & Principi Waldeccensi oblatum refert, cum Arminii imagine & verbis: ARMINIVS CHERVSCORVM DVX: is sine omni dubio fictitius, & ab homine doloso fabricatus est.

#### §. VIII.

Quid Augustus accepto Varianae cladis nuntio egerit Romae.

Augusti ingens ex accepto cladis nuntio luctus erat. Adeo certe eo consternatus est, ut per continuos menses barba capilloque submisso caput interdum foribus illideret, vociferans: *Quintili Vare, Legiones redde*. Vestem lacerasse DIO author est. Vouit & magnos ludos Ioui Opt. Max. si rempublicam in meliorem statum vertisset, quod factum Cimbrico, Marficoque bello erat. Diem vero cladis pene exitiabilis quotannis moestum habuit ac lugubrem. Videbatur ei tantum hoc, ac tam subitum malum non sine Deorum


(s) Operum Harduini pag. 26.

(t) Ibidem pag. 5.

rum ira accidisse (v). Vnde & patefactis hoc tempore Iuliae neptis adulteriis & Ouidii Poëtae horum sufflatoris & conscii criminibus, earigide puniuit, Iulia in Trimerum Appuli maris Insulam, & Ouidio Tomos in Scythiam relegatis. Miserant Cherusci Vari caput ad Maroboduum, vt & hunc in Romanos concitarent. Sed, sopitis modo a Tiberio Pannonicis & Dalmaticis motibus, ille pacem Augusto seruauit, paxque semel inita tutior ei visa. Caput itaque Praefecti ab eo missum ad Tiberium Caesarem, gentilitii tandem tumuli sepultura honoratum est (u). Marobodui moderatio tunc multum profuit Romanis. Alias facile Germani Gallique, iugo excusso, Italiam Romanamque petere denuo potuissent. Neque enim tunc ciuium Romanorum iuuentus magni momenti supererat, & sociae Legiones admodum erant afflictæ. Hoc tandem Augusto aliquo solatio fuit, quod audiret, nonnullos milites caedi superfuisse, contineri praesidio Germanias, hostemque ad Rhenum non accessisse (x). Quod igitur necessarium erat, omnem curam operamque impendit, vt exercitus etiam ex emeritis & libertinis augetur, & omnia ad proximam aduersus Germanos expeditionem

(v) DIO *lib. lvi.* (u) VELLEIVS *l. c.*

(x) DIO. VELLEIVS *ll. cc.*



nem prompta parataque essent (y). Ne autem in ipsa vrbe tumultus orirentur, complures Gallos Germanosque, Romae obuersantes, partim peregrinantes, partim inter Praetorianos militantes amouit, & hos quidem in insulas quasdam misit, illos vero inermes vrbe exire iussit (z). Haec vsque ad finem anni a N. C. noni sunt acta.

§. IX.

Tiberius in  
Germaniam  
it. Collega  
Imperii.

Sequenti anno, Tiberius Germaniam repetiit, vt obicem poneret fiduciae hostium, qui Cimbricam Teutonicamque militiam Italiae minabantur. DIO hanc expeditionem plane omisit. Nec eius abbreviatores & exscriptores illius meminere. VELLEIUS more solito omnia in maius extollit. Et arma, inquit, infert, quae arcuissè pater & patria contenti erant: penetrat interius, aperit limites, vastat agros, vrit domos, fundit obuios, maximaque cum gloria, incolumi omnium, quos transmiserat, numero, in hiberna reuertitur. Sed vix credo procul a Rheni ripa digressum Tiberium, cum & anno sequenti nondum longius ab hoc fluuio cum exercitu progredi auderet. Solicite admodum res omnes gefsisse cunctaque metuisse, SVETONIVS testatur (a). Vt adeo TACITO facile creda-

(y) DIO, l. c. (z) DIO l. c.

(a) Tib. c. 17. sq.

credamus, vbi dicit (b), bellum aduersus Germanos abolendae magis infamiae ob amissum cum Quinctilio Varo exercitum, quam cupidine proferendi imperii gestum fuisse. Tiberium absentem hoc ipso anno & quidem V. Kal. Septembris Romae *Collegam Imperii* renunciatum, PAGIVS pluribus euicit, qui simul commemorat, Dionysium post haec sub Augusto Descriptionem Orbis edidisse atque per *Ausonios strenue dominantes* Augustum & Tiberium Imperatores collegas intelligere.

§. X.

An Germanicus expeditioni enarratae interfuerit, nemo prodit. Insequenti vero anno M. Aemilio Lepido & Statilio Tauro Consulibus, hoc est, a C. N. vndecimo, is Tiberio adfuit. Neque tamen & eo tempore praecleari quid gestum. Rhenus quidem transmissus, nec tamen magno admodum interuallo ab eo progressum, nec praelium initum metu iteratae cladis. Quaedam solum partes vastatae & de caetero ripa Rhenana in tuto collocata. Ludis deinde 23. Septembris die, in honorem natalium Augusti celebratis (c), & omnibus rite ordinatis sub anni a C. N. duodecimi initium in Italiam, PAGIO hoc solide demonstrante (d), reuerfi sunt. Hoc eodem anno pridie

Alia Tiberii & Germanici Expeditio in Germanos. Natiuitas Ca. ligulae. Triumphus Tiberii Pannonicus.

(b) *Annal. lib. 1. c. 3.* (c) *DIO. l. c.*

(d) *In Critica Annal. Baron. ad b. a.*



die Kalendas Septembris Caius Caesar, vulgo Caligula dictus, natus est Antii, cum in Treuiris vico Ambiatino supra Confluentes superiori anno genitus fuisset. Ita PLINII verba exponit PAGIUS & rationibus firmat. Germanicus redux Consulatum adeptus erat, & cum Tiberio ob res in Pannonia & Dalmatia praeclare gestas triumpho interfuit. OVIDIUS hoc indicat, & concludas etiam ex eo, veris tempore celebratum fuisse, dum canit


*Silices platearum*

*Saxaque roratis erubuisse rosis.*

DIONE hic manco, SVETONIVS omnia ordine enarravit; Tiberium e Germania post biennium regressum, triumphum, quem distulerat ob Varianam cladem, egisse, prosequentibus etiam Legatis, quibus triumphalia ornamenta impetrarat: ac priusquam in Capitolium flecteret, descendisse e curru seque praesidenti patri ad genua submisisse: Batonem Pannonicum Ducem, ingentibus donatum praemiis, Rauennam transtulisse, gratiamque retulisse, quod se quondam cum exercitu iniquitate loci circumclusum, passus esset euadere: prandium dein populo mille mensis & congiarium trecentos nummos viritim dedisse. Memoria hominum dignus triumphus eodem tempore & gemmae ahati artificiosissime incisus est, quae in Cimeliario Caesareo

Vien-

Viennae adhuc aſſeruat. Delineationem illius addere placet, vt Auguſti Tiberiique & Germanici vultus Tab. XVII. intueri liceat, quos maiores noſtri hiſce in terris coram aut viderunt aut coluerunt. Praecipuo in gemma loco ſedet Auguſtus in diuinitatis indicem ſuperiore corporis parte nudus, dextra baculum imperatorium, ſiniſtra lituum tenens Pontificatus maximi indicem. A tergo Cybele capiti eius lauream imponit, Neptuno adſidente & reſpiciente. Liuia vxor galea, clypeo, haſta & parazonio ornata, Palladis aut Romae vrbs inſtar, Auguſto ad latus ſedet. Vtrorumque pedibus arma ſubieſta cernuntur. In ſuperiore parte inter vtriuſque caput ſignum Auguſti, capricornus, extat. In altero latere, humiliori ſubſellio, ſedet Agrippina, Imp. Auguſti ex filia Iulia eiusque marito M. Vlpiano Agrippa neptis & Caefaris Germanici vxor, folio Auguſtaeo ita innixa, vt manum dextram mento ſuo ſuffulciat. Caput eius hederacea corona cinctum eſt, & manu cornu copiae tenet, puerulis duobus nudis adſtantibus. Quibus ſecuritas populi Romani, Abundantia & Hilaritas publica ſimul indicantur. Et forte tunc iam Agrippina Germanico geminam prolem pepererat. Coram Liuia, Auguſtum adſpiciens ipſe ſtat Germanicus Agrippinae maritus, cum paludamento & ornamentis triumphalibus. E regione Auguſti viſitur Tiberius



rius laureatus, tanquam victor in hoc bello, cum baculo Imperatorio in dextra, & e curru triumphali, cuius habenas victoria alata moderatur, descendens, quod SVETONIVS ita actum esse annotavit. In inferiori gemmae parte videas milites Romanos trophaeum erigentes, sub quo Pines Dux, Batonis Breuci (paulo post ab altero Batone interfecti) prodicione a Romanis captus, sedet vincitis post tergum manibus, & toruo vultu respiciens. Vxorem is prope se habet, caput vtraque manu sustentantem. Retro Bato Dalmata Dux, cum vxore, supplicis instar se inclinans, pacem a milite Romano, quem Lepidum interpretor a VELLEIO laudatum, petit. Vxori caput inclinat libertus; & notabile est, DIONEM prodere, Augustum cum Germanico etiam libertos in Pannoniam militatum misisse. Idem Dio refert, enituisse in hoc bello Pulionis equitis, natione Germani, virtutem, qui Germanico urbem validam obsidente, neque expugnare eam valente, saxo in murum coniecto ita propugnaculum concusserit, ut statim id cum viro, ei incumbente, corruerit, & causam occupatae urbis dederit (e). Sed fama forte virtutem viri, ut solet, paulisper in maius auxit.

## §. XI.

Augusti  
mors Germanici in  
Germania

Post triumphum Illyricum Augustus Tiberium & hoc & sequenti anno apud se retinuit, Germanico,


(e) DIO Lib. LV.



Tab. XVII. no. 2. et 3. II.







co  
qu  
V  
lo  
fu  
lyr  
pro  
bris  
obit  
nati  
tem  
ma  
cup  
reb  
do,  
ca  
hit  
est  
fr  
de  
m  
X

co, finito Consulatu, in Germaniam misso, vt reli-  
 quum belli componeret, & censum in Gallia ageret.  
 Vxorem Agrippinam ei anno proxime secuto, & pau-  
 lo post Caium puerum bimulum remisit idem Augu-  
 stus; qui deinde senio grauis, cum Tiberium in Il-  
 lyricum euntem in Campaniam Beneuentum vsque  
 profecutus esset, Nolam digressus XIV. Kal. Septem-  
 bris in cubiculo eodem, quo prius pater Octavius,  
 obiit. Tiberius ilico reuersus & Liuiæ matris machi-  
 natione rerum summam adeptus est. Vt vero mor-  
 tem Principis audiueret legiones in Pannonia & Ger-  
 mania, vbique rabie quadam & confundendi omnia  
 cupiditate nouum statum, nouam rempublicam quæ-  
 rebant, atque vbique rebellabant. Deerat solummo-  
 do, qui duceret, non qui sequerentur. Sed Pannoni-  
 ca seditio deliquio Lunæ, cum maxime ferueret, in-  
 hibita & deinde Drusi Tiberio nati feueritate extincta  
 est. In Rheni ripa octo Legiones Germanici indu-  
 stria, & egregia in Tiberium fides ad obedientiam re-  
 degit (f). Ne ardor militum languesceret, in Ger-  
 manos itur & duodecim millia e Legionibus sex &  
 XX sociæ cohortes, octoque equitum alæ non pro-

gesta. Tan-  
 finæ Dei siue  
 Deæ Germa-  
 norum signi-  
 ficatio.

Mm 3

(f) DIO lib. LVII. TACITVS'S *Annal. lib. 1.* SVETON. *Calig.*

c. 9. VELLEIVS lib. II. cap. 125.

cul a Veteribus transmittuntur. Germani iustitio ob  
 amissum Augustum & discordiis Romanos attineri pu-  
 tantes, securi agebant. Tiberius ergo agmine proprio *syl-*  
*uam Caesam*, a Coesfeldia ad Rhenum fere supra Lu-  
 piam extensam intrat, limitemque seu aggerem vel  
 tramitem a Tiberio coeptum scandit, castra in ipso  
 limite locat, in frontem tergumque vallo, latera con-  
 caedibus munit. Inde obscuros saltus permeat, con-  
 sultoque ex duobus itineribus, an breue & solitum, se-  
 cus Lupiam ad Alisonem, sequatur, an impeditius &  
 intentatum ad sinistram magis & Aquilonem versus;  
 longiorem viam deligit. Exploratores attulerant,  
 festam Germanis noctem instare, ac solennibus epulis  
 ludicram; haec commoda visa inuasioni improuisae.  
 Obstantibus sylvarum a Caecinna remotis Legiones  
 sequuntur. Ventum ad vicos Marforum, in interi-  
 oribus ditionis Monasteriensis locis olim sitos, & cir-  
 cumdatae stationes. Tum Legiones in quatuor cu-  
 neos dispertitae latam in temulentos, semisomnes &  
 nihil mali suspicantes stragem per quinquaginta millia  
 passuum dedere. Omnia ferro flammisque peruastata,  
 & celeberrimum illis gentibus templum, quod *Tan-*  
*fanae* vocabant, solo aequatum. CLVVERIVS &  
 nonnulli iam ante eum Tanfanae nomen quasi *Th'an-*  
*fang*

*fang* siue *Principium* exposuerunt. Sed coacta est haec originatio. Nobis notum est, *fane* veteribus *dominum* designasse. Et hoc sensu aliquoties in Euangelis Gothicis adhibetur (g). Diis gentilibus idem nomen attributum fuisse vel inde conicias, quod Dani & Sueci, Christi doctrinam amplexi, nomen hoc in abominationem verterint, & inde diabolus adhuc hodie *fane* vocent. *Tan* & Anglo-Saxonice *dene* olim nobis *lustrum*, *vallem arboribus inuiam*, *syluamque densam* denotauit, & hoc modo vel centies in antiquis linguae nostrae monumentis adhibitum occurrit. *Tanfana* itaque proprie & vi originis significat deum syluae, nempe Caesiae, & templum eius non adeo procul a Coesfeldia remotum fuisse debuit. Exciuit vero inopinata caedes, popularibus a Romanis illata, Bructeros, Tubantes, Vsiptes. Nec sine summa difficultate & damno etiam insigni ab insequentibus Germanis, ex syluis & inuia regione emerfas in hiberna Germanicus Legiones reduxit (h).

§. XII.

Hoc tempore etiam Sueuorum Semnonum Sueuorum migratio ad Rhenum in viciniam Alemannorum. magnum agmen, transito albi inter Salam & Hercynios montes,

(g) Vid. IVNII & STIERNHIELMII *Glossaria Gothica.*

(h) TACITVS *Annal. lib. I.*

montes, & sub reliquiis Boiorum in partem Germaniae Moeno Rhenoque vicinam migrasse, ibique stabiles fedes sibi collocasse ex TACITO coniiicio. Is enim vbi rebellionem Legionum in Germania superiore enarrat, inter caetera scribit: *Caesar etiam milites artificio disiungit. Veteranos in Rhaetiam mittit, specie defendendae prouinciae obiminentes Sueuos.* Sueui autem cum antea prope Rhaetias nulli vnquam fuerint, & ii, qui sub Moeno ad Rhenum Iulii Caesaris tempore fuisse memorantur, iam dudum in alteram ripam translati Cattos successores habuerint, in posterum vero supra Moenum & altius inde vsque ad Rhaetias Sueui inueniantur; exinde sequitur, debuisse eos hoc ipso temporis tractu, sub extrema Augusti, hisce locis, a Moeno vsque ad Danubium & in Rheni ascensu Argentoratum vsque sitis, sese infudisse. Tabula Peutigeriana adhuc Sueuos ita ab Alamannis distinguit, & Sueuiam in Rheni latere nostro a Moeni confluenta ad Argentoratum vsque extendit: inde Alamannos vsque ad fontes eiusdem fluuii collocat. Postea tamen & Sueui & Alamanni commixti vnum populum constituerunt, vt suis locis explicabimus. Sueuos ante haec, quae iam enarramus, tempora in ea regione, quae nunc Thuringia audit, habitasse, ex STRABONE quoque apparet, qui (i) primo Gabretam sylvam, quae

(i) Lib. VII.

quae eadem hic est ac Hartica nostra, deinde Sueuorum sedes & inde Hercynium, siue Bohemicum saltum locat, a Septentrione ad meridiem progrediens. Hinc vero facilis & non impeditus iis ad Rhenum transitus erat. Si posteriores hic Hermunduros adhuc agnoscunt in Bohemiam iam cum Maroboduo partim transgressos, anteriora subsequenter confuderunt, facili errore; quia & Hermunduri Sueui erant. Moenum eos ad Suinfurtum transisse putes. Nomen enim huius loci *Sueuorum traiectum* vel *transitum* significat. In vacuas pene Sueuorum ab Albi vsque ad Moenum sedes deinde Franci & Thuringi transferunt, vt suo tempore videbimus.

§. XIII.

Tiberius in desidiam pronus, & tamen, ne militum animi a Germanico missione & pecunia conciliati, alio se conuerterent, sollicitus, ad nuntium prospere in Germania gestorum vultu quidem laetitiam simulauit, animo vero angorem non paruum preffit. Eo anno vxor ipsius Iulia Pandateria insula, mox oppido Rheginorum ob impudicitiam a patre Augusto clausa, vltimum diem obiit, mariti iussu inopia & ta-  
be longa peremta. Sub initium anni a C. N. XV. Druso Caesare & C. Norbano Coss. Germanico triumphus decretus est, manente bello. Magna tunc Ar-

Expeditio Germanici in Catos, in Cheruseos & horum socios. De situ montis Tau-  
ni.






minium inter & Segestem discordia. Hic pacem ma-  
 lebat, ille bellum. Aucta priuatim odia, quod Ar-  
 minius filiam Segestis Thusneldam rapuerat alii pa-  
 ctam. Catti non obscure tunc Cheruscis fauebant.  
 Hos repentino incurſu Caesar frangere conſtituit.  
 Caccinnae igitur quatuor legiones, quinque auxilia-  
 rium millia & tumultuariae cateruae Germanorum  
 cis Rhenum colentium traditae: Caesar ipſe totidem  
 legiones & duplicem ſociorum numerum ducit, poſi-  
 toque *Caſtello* ſuper veſtigia paterni praefidii *in monte*  
*Tauno*, expeditum exercitum in Cattos rapit. Haec  
 TACITI fere verbis, quae poſt haec ſtudioſius affe-  
 remus, quoniam vnicus hic iam autor eſt, qui Ger-  
 manicas res nobis pandit. CLÛVERIVS, eumque  
 ſecutus CELLARIVS, Taunum montem ex aduerſo  
 Moguntiae locant, vbi mons *Heyrich* ſiue *die Hoebe*  
 dictus. Ita ad Moguntiam Rhenum tranſiſſet Cae-  
 ſar. L. Apronius admuntiones viarum & fluminum  
 relictus eſt. Viarum harum aggeribus tabulisque &  
 trabibus munitarum veſtigia paſſim in Haſſia & Weſt-  
 phalia extant. WINCKELMANNVS reliquias earum,  
*Poblgrauen* dictas, inuenit & deſcripſit *in Historia Haſ-  
 ſica* (k). Aliam huiusmodi viam etiam ad Viſurgim  
 vsque proceſſiſſe, ex Schedis Gamanſianis didici. Cat-  
 tis adeo improuiſus aduenit Germanicus, vt imbecil-  
 liores

(k) Part. II. cap. 4. p. 129. ſq.

liores statim caperet aut trucidaret. Fortiores & iuvenes, Adrana flumine nando transmissio, Romanos pontem coeptantes arcebant. Sed tormentis sagittisque pulsi quidam ad Caesarem perfugerunt, reliqui, omissis pagis vicisque, in sylvas dispersi sunt. Caesar incenso *Mattio*, id genti caput, aperta populatus ad Rhenum vertit, nemine ex Cattis impediante. Cheruscis animus fuerat adesse Cattis, sed exterruit Caecinna huc illuc arma ferens, qui & Marfos congregatos praelio cohibuerat. Videtur ergo Caecinna Lupiam secutus ad Alifonem castrum tunc iam restitutum tetendisse. Neque multo post Legati a Segeste, Arminii socero & Romanis fido, venerunt, auxilium orantes aduersus vim popularium. Legationem comitabatur, inuitior quamuis, Segimundus Segestis filius, qui Sacerdos post Varianam cladem ab Ara Vbiorum, vittis ruptis, ad suos profugerat. Benigne is exceptus & cum praesidio in Gallicam ripam missus. Nuntio hoc accepto Germanicus statim agmen conuertit, in obsidentes pugnavit & Segestem eripuit magna cum propinquorum & clientum manu. Inerant, inquit TACITVS, foeminae nobiles, inter quas vxor Arminii, eademque filia Segestis, mariti magis quam parentis animo, neque victa in lacrymas, neque voce supplex, compressis intra sinum manibus, grauidum vterum intuens.



intuens. Segestes ipse ingens visu & memoria bonae societatis impavidus tunc quoque se dedit, vt genti Germanorum idoneus conciliator apud Romanos existeret. Arminii vxor paulo post virilis sexus stirpem edidit: & puer Rauennae deinde educatus est. Thumelici nomen fuit. Germanicus post haec exercitum reduxit, & Imperatoris nomen a Tiberio accepit. Arminium rapta vxor, subiectus seruitio vxoris veterus, atque imminens genti seruitus angebat. Volitans itaque per Cheruscas, non hos solum, sed & conterminos populos in Segestem & Caesarem concitauit. Ipse Inguiomerus Arminii patruus, veteri apud Romanos auctoritate, in partes tractus est. Caesar Caecinam cum quadraginta cohortibus Romanis distrahendo hosti per Bructeros ad flumen Amisiam mittit, equitem Peditum finibus Frisiorum ducit. Bructeros sua vrentes expedita manu L. Stertinius missu Germanici fudit. Inter praedam reperta est vndevicesimae Legionis Aquila cum Varo amissa. Ductum inde mari agmen in vltimos Bructerorum, omniaque inter Amisiam & Lupiam amnes vastata. Vnde situs Bructerorum apparet. Caesar, cum non procul Teutoburgensi saltu esset, eo tetendit, & non sine dolore vidit cladis Varianae locum. Insepulta tunc Romanorum ossa condi iussit, & primum tumulo iis extruendo

cespi-

cespitem posuit. Pietatis munis perfunctus in auia Arminium secutus est. Sed parum actum aduersus hostem locorum gnari, & satis fuit, reducto ad Amisiam exercitu, legiones classe reportasse. Pars equitum litore Oceani Rhenum petere iussa. Caecinam per pontes longos, angustum nempe tramitem vastas inter paludes & quondam a L. Domitio aggeratum, reuertentem, Arminius ex circumfritis syluis cum Inguiomero continuo preffit. Tandem praelio congressus, graviter afflictus, fauciatum tamen Inguiomero, cum reliquis copiis aegre periculum evasit. Circumventus iam exercitus & Germanos infesto agmine Gallias petere credebantur. Vna Germanici uxor Agrippina, magni animi ostentatione, impositum Rheno pontem solui prohibuit, & praeter vulgi spem redeuntes Legiones stans apud ipsum pontis principium gratulabunda excepit. Germanicus interim duas Legiones, ex iis, quas nauibus vexerat, P. Vitellio ducendas tradit, ut leuior esset classis in vadoso mari. Sed & terra & mari agmen multa perpeffum est ab irruente Oceano, impulsu Aquilonis & fudere aequinoctiali tumido. Caesar, reddito sereno, tandem ad amnem Visurgim penetrauit, quo & Vitellius peruenit, impositae deinde Legiones, quas non ante saluas esse creditum est, quam ubi vna cum Duce rediissent. Iam Stertinius ad accipiendum in de-



ditionem Segimerum fratrem Segeftis praemiffus, ipfum & filium eius Sefithacum in ciuitatem Vbiorum perduxerat. Vtrisque venia data, fed cunctantius Sefithaco, quia Vari corpus illufiffe dicebatur. Magna exercitum Romanum damna pertuliffe vel ex eo concludas, quod, TACITO confitente, ad eadem fupplenda, Galliae, Hispaniae & Italia certauerint. Triumphalia infignia A. Caecinae, L. Apronio & C. Silio ob res cum Germanico gefas decreta funt.

#### §. XIV.

Germanici  
expeditio  
ultima in  
Germanos.  
Praelium e-  
ius cum Ar-  
minio eius Vi-  
furgim, &  
victoria.

Tentauerat haftenus folummodo Cherufcos Germanicus. Sifenna Statilio Tauro & L. Libone Coff. acrius eos incefere ftatutum erat. Optime nouerat, auerfam in fe & vxorem patruī Tiberii voluntatem, qui non ingratum penitus hoc tempore nuntium accepit, res Orientis Romanas a Parthis turbari. Ea enim specie Germanicus Legionibus confuetis abftrahi nouisque prouinciis impositus dolo fimul & cafibus obiici poterat. Non latuit hoc Germanicum, qui ex eo celerandae victoriae intentior, commodiorem mariyam in Cherufcos elegit. Dum ad infulam Batauorum adiguntur naues & commeatus, Silium legatum in Cattos irrumpere iubet, ipfe caftellum Luppiae flumini appofitum fex Legionibus eo ductis ab obfidiōe liberat, obfefforibus ad famam aduentus eius

eius dilapsis. Silio ob pluuiam tempestatem non nisi modica praeda obtigit, interque eam Arpi Principis Cattorum coniux & filia. Cuncta vero tunc inter castellum Alifonem & Rhenum nouis limitibus aggeribusque permunita. Interim aduenerat classis, & nauibus inter exercitum diuisis, Caesar per fossam Drusianam, Fleuonem lacum & Oceanum vsque ad Amisiam flumen secunda nauigatione processit. Classis ibi relicta. Exercitus ad Visurgim perrexit, in cuius ripa Arminius cum caeteris primoribus Caesaris aduentum praestolabatur. Vbi is nunciatus, ut liceret cum fratre colloqui orauit. Is Flavius insignis in Romanos fide, & amisso per vulnus oculo paucos ante annos. Ut permissum est, progressus salutatur ab Arminio & interrogatur, unde ea deformitas oris. Illo locum & praelium referente, quodnam praemium recepisset, exquirat. Flavius aucta stipendia, torquem & coronam aliaque militaria dona memorat, iridente Arminio vilia seruitii pretia. Exin diuersa ordiuntur. Hic magnitudinem Romanam, opes Caesaris, & victis graues poenas, in deditionem venienti paratam clementiam, neque coniugem aut filium eius hostiliter haberi. Ille fas patriae, libertatem auitam, penetrales Germaniae Deos, matrem precum sociam, ne propinquorum & affinium, denique gentis suae desertor & proditor, quam Imperator esse mallet.

mallet. Paulatim ad iurgia prolapsi, quominus pugnam conferent, solo flumine interiecto cohibebantur. Stertinus accurrens plenum irae armaeque & equum poscentem Flauium attinuit. Arminius contra minitabundus praeliumque denuntians cernebatur. Nam pleraque latino sermone interiaciebat, ut qui in castris Romanis ductor popularium meruisset. Postero die Germanorum acies trans Visurgim stetit. Caesar pontibus stratis, equitem sub Stertinio & e numero primipilariū Aemilio vado transmittit, distantibus locis, ut hostem diducerent. Qua celerrimus amnis Carioualda Dux Batavorum erupit. Eum Cherusci fugam simulantes in planitiem saltibus circumiectam traxere: deinde coorti & vndique effusi irruunt. Acriter pugnatum: & Carioualda fortiter agens, congestis telis & suffosso equo, lapsus periisset, nisi vis sua aut equites cum Stertinio & Aemilio subuenientes eum periculo exemissent. Caesar transgressus Visurgim, indicio perfugae cognoscit, delectum ab Arminio pugnae locum, conuenisse & alias nationes in syluam *Herculi sacram* ausurosque nocturnam castrorum oppugnationem. Hostem in propinquo esse & speculatores nunciant. Caesar ipse ferina pelle contactus, vno comite, castra hostilia adit, & quid moliantur, exquirat. Nox vtrunque apparatu ad venientis diei certamen consumpta.

sumta. Mane facto Arminius & ceteri Germanorum proceres suos in campum, cui *Idistauisone* nomen, deducunt. Is medius inter Visurgim & colles, ut ripae fluminis cedunt, aut prominentia montium resistunt, inaequaliter sinuatur. Pone tergum insurgebat sylua editis in altum ramis et pura humo inter arborum truncos. Campum & prima sylvarum acies nostrorum tenuit, soli Cherusci iuga insedere, ut praeliantibus Romanis desuper incurrerent. Exercitus Romanus acie ordinata aggressus est nostros. Arminius manu, voce, vulnere sustentabat pugnam. Incubueratque sagittariis, illa rupturus, ni Rhaetorum Vindelicorumque & Gallicae cohortes signa obiecissent. Nisi tamen corporis & impetu equi peruasit, oblitus faciem suo cruore, ne nosceretur. Quidam agnitum a Chaucis inter auxilia Romana agentibus, emissumque tradiderunt. Inguiomerus quoque fuga sibi consulere coactus est. Caeteri passim trucidati. Magna ea victoria, neque cruenta Romanis fuit. Quinta ab hora diei ad noctem caesi hostes, decem millia passuum cadaveribus atque armis oppleuere. Miles Romanus in loco praelii Tiberium Imperatorem salutauit, struxitque aggerem & in modum trophaeorum arma, subscriptis victarum gentium nominibus, imposuit. Haec adeo male habuere nostros, ut, iam abire sedibus & trans Albim concedere parantes, pugnam vellent,





arma arriperent, vno agmine Romanos incurfarent. Postremo delectus locus flumine & fyluis claufus, arta intus planitie & humida: fyluas quoque profunda palus ambibat, nifi quod latus vnum Angriuarii lato aggere extulerant, quo a Cherufcis dirimerentur. Hic pedes adstitit, equitem propinquis lucis texere, vt ingreffis fyluam Legionibus a tergo foret. Sed cum omnia Caefari cognita effent, actus noftrorum in perniciem ipforum vertit. Primus ipfe capto vallo, dedit impetum in fyluas. Nec minor Germanis animus, fed genere pugnae & armorum defituebantur. Multitudo ingens, artis locis ad ftabile praelium coacta, quo praelongae haftae nulli effe vfui poffent: contra miles Romanus, cui fcutum pectori appreffum & infidens capulo manus, expeditior ad aggrediendum, viam ftrage aperiret. Impromptus Arminius, ob recens acceptum vulnus, & Inguiomerum tota acie volitantem fortuna magis, quam virtus, deferebat. Ita victoria apud Romanos ftetit, & noftri paffim profrati. Caefar altero die laudatis pro concione victoribus congeriem armorum ftruxit, fuperbo cum titulo: **DEBELLATIS INTER RHENVM ALBIM-  
QVE NATIONIBVS EXERCITVM TIBERII CAE-  
SARIS EA MONIMENTA MARTI ET IOVI ET AV-  
GVSTO SACRAVIFSE.** Quae arrogantius omnino, quam verius dicta certum eft.

## §. XV.

LIPSIVS locum praelii infra Bremam ex ad-  
 uerso Vegefaci fuisse putat. Sed ibi nulli montes. Nec  
 si Visurgim adscendas, in dextra eius ripa montes, ni-  
 si a Minda. CLVVERIO itaque, SCHATENI oque lu-  
 bens assentior, Caesarem Visurgim transiisse inter Ha-  
 melam & Oldendorpium, in quam regionem omnia  
 exacte congruunt, quae TACITVS affert. Fatalis  
 hic est magnarum cladum locus, vbi Caroli M. Le-  
 giones anno Christi DCCLXXXII. temere congres-  
 sae, caesae sunt a Witekindo Saxonum Duce. Et su-  
 perioris saeculi anno trigesimo tertio Augustissimi Re-  
 gis & Domini nostri auus Georgius, Dux Brunsvicen-  
 sium & Luneburgensium, ibidem prostratis & deu-  
 ctis copiis Caesareis gloriose triumphauit. Campus  
 ibi, a TACITO *Idistauiso* dictus, nomen a Distero  
 monte proximo, *die Disterwise* habere potuit, quod  
 Romani in *Idistauiso* corrupere. Ipse mons *Disterus*  
 est sylua illa Marti sacra. *Ditem* enim vel *Tuisconem*  
 belli praesidem apud Germanos fuisse supra demon-  
 strauimus. Vnde ab eo dies Martis *Distag* vel *Dinstag*  
 adhuc dicitur. Et veteribus *dero*, *treeo*, Anglis adhuc  
*tree*, & Danis *trae*, est lignum & sylua. Hinc *Dits de-*  
*ro*, & contracte *Disterus*, ipso suo nomine *Herculis*  
*Germanici* siue *Ditis syluam* nobis reddit. Per decem  
 millia passuum nostros in priori sub Distero praelio  
 caesos

Locus prae-  
 lii sub monte  
 Distero.



caesos esse TACITVS dicit. Ex quo concludo, factum hoc esse illo spatio, quod est Visurgim inter & Linam, praelio ipso non procul a Mundera commisso. Altera cum nostris congressio, si quid video, facta est non procul ab Hallerburgo. Ibi enim vallis angusta montibus & syluis ab vno, paludosa terra ab altero latere circumcineta. Sed ita Germanicus arrogantius, quam verius gentes inter Rhenum & Albim deuictas gloriatus est. Neque enim Linam transiit, post quem adhuc Fosi, Langobardi & infra eos Reudingi, Auiones, Chaucique maiores, a Romanis haecenus inuicti debebant.

#### §. XVI.

Reditus Germanici in hiberna & honores ei decreti.

Post victoriam Caesaris Angriuarii bellum in ipsos decretum deditioe praeuerterunt. Hinc aestate iam adulta Legionum aliae itinere terrestri in hibernacula remissae, plures Caesar nauibus impositas per flumen Amisiam Oceano inuexit. Primo placidum aequor mille nauibus strepuit aut velis impulsus est. Mox horrenda tempestate classis disiecta. plurimae naues periire, aliquae in dislita procul loca detrusae. Germanici triremis sola Chaucorum terram appulit, aliae alibi; quas cito resectas misit, vt scrutarentur insulas, & disturbatos milites colligerent. Quidam in Britanniam rapti & remissi a regulis. Multos Angriuarii in fidem modo accepti redemptos ab interioribus reddidere.

re. Fama amissae classis Germanos ad spem belli, Caesarem ad coërcendum erexit. Silius cum copiis in Cattos missus. Ipse in *Marsos* irrumpit, quorum *Dux Malouendus* nuper in deditiōnem acceptus, propinquo loco defossam Varianae Legionis aquilam modico praesidio seruari prodit. Hanc Caesarem recuperasse TACITVS non indicat; & infra ex DIONE ostendimus, Claudio demum imperante, a Marsis eam receptam. Nunc populatis aut excisis obuiis quibuscunque in hiberna reductus est miles. Caesari certum erat, labare nostros, petendaeque pacis consilia fumere, & si proxima aestas adiiceretur, posse bellum patriari. Sed Tiberius alienae gloriae inuidus, & Germanici progressus sibi fatales metuens, monebat, rediret ad decretum triumphum: satis iam euentuum & casuum: prospera illi & magna praelia: eorum quoque meminisset, quae venti & fluctus, nulla Ducis culpa, grauiam tamen & saeuam damna intulissent: se nouies a Diuo Augusto in Germaniam missum, plura consilio quam vi perfecisse: sic Sigambros in deditiōnem acceptos, sic Suetos, regemque Maroboduum pace obstrictum; posse & Cheruscōs, caeterasque rebellium gentes, quando Romanae vltioni consultum esset, internis discordiis relinqui. Precante Germanico annum efficiendis coeptis, alterum Consulatum obtulit, cuius munia praefens obiret, simul adnectens, si foret



adhuc bellandum, relinqueret materiem Drusi fratris gloriae, qui nullo tum alio hoste, non nisi apud Germanias adsequi nomen Imperatorium & deportare Lauream posset. Per invidiam se parto iam decori abstrahi quanquam non obscure intelligeret Germanicus, non tamen ultra cunctatus in Italiam rediit, nullo victoriae fructu. Fine anni Romae arcus propter aedem Saturni ob recepta signa cum Varo amissa, ductu Germanici, auspiciis Tiberii, & alia publica monumenta, quorum TACITVS meminit (l) extructa sunt. Est apud TRISTANVM (m) nummus hoc etiam tempore cusus, cuius antica ostendit Caput Caesaris cum inscriptione: GERMANICVS CAES. TI. AVGVST. F. DIVI AVG. N. In postica idem humi stat tenens sceptrum eburneum: SIGNIS RECEPT. DEVICTIS GERM. S. C.

### §. XVII.

Liuii & Ouidii mors.  
Germanici triumphus de Germanis, & Principes in eo ducti.

Annus Christi XVII. *Tito Liuiio* Romanae historiae conditori, & *Ouidio Nasoni* Poëtae, Tomis exulanti, vitae vltimus fuit (n). Eodem anno Germanicus ad laboris sui praemium Romam venit cum uxore Agrippina tribusque prolibus. Nam aliae duae proles, Nero & Drusus, sub Cari cuiusdam disciplina in vrbe

(l) *Annal. lib. II.*

(m) *Tom. I. fol. 153.*

(n) EVSEB. & HIERON. *in Chronico.*

vrbe alebantur (o). Reuertenti cohortes Praetorianae vniuersae occurrere; populus vero Romanus ad vicefimum vsque lapidem sese effudit (p). Triumphus ipse ad septimum Kalendas Iunias *de Cheruscis, Chattis & Angriuariis*, habitus est, testibus Fastis Triumphalibus. Vecta spolia, captiui, simulacra montium fluminumque (inter quos Disterus noster & Visurgis principe loco fuisse debuerunt) & praeliorum. Bellum, quod conficere prohibitus erat, pro confecto accipiebatur. Eximia in eo Germanici species & currus quinque liberis onustus (q). Captiui praecipui ducebantur Segimundus Segestis filius Dux Cheruscorum, sororque eius & vxor Arminii nomine Thusnelda ac filius tres annos natus Thumelicus; Sesthacus Segimeri Cheruscorum Ducis filius, eiusque vxor Rhamis, Acrumeri Chattorum Ducis filia, & Theodorix Baithoriti (qui Melonis frater fuit) filius, Sicanber. Segestes autem Arminii focer, ipse in honore habitus ob fidem praestitam, triumphum, in quo illi charissima ducerentur, spectauit. In pompa ductus est quoque Libys Chattorum sacerdos, aliique multi ex populis deuastatis, Chaucis, Amsuariis, Bructeris, Vsiptiis, Cheruscis, Chattis, Chattuariis, hoc est, Hasuariis seu accolis Hasae fluii, Marfis & Tubantis.

(o) OVID. *lib. IV. de Ponto Eleg. 13.*

(p) SVETON. *Caligula cap. 4.*

(q) TACIT. *l. c.*



bantis. Quarum rerum memoriam STRABO (r) nobis conseruauit. TRISTANVS (s) nummum exhibet, in cuius antica: GERMANICVS CAES. TI. AVGVST. F. DIVI. AVG. N. in postica vero Germanicus quadrigae triumphali insisit addita inscriptione: GERMANICVS CAESAR.


§. XVIII.

Expositio  
Achatis, in  
quo triumphus  
Germanici excul-  
ptus est.


Asseruatur in Gazophylacio sacrae Capellae in Parisina ciuitate Achates, in quo Triumphus hic Germanici Caesaris elegantissime exculptus est. Delineationem illius PAVLVVS RVBENIVS pictor celebratissimus dedit; expositionem vero IOHANNES TRISTANVS, NICOLAVS PEIRESKIVS, ALBERTVS RVBENIVS, D. LE ROY, tandemque IOHANNES HARDVINVS, & hic quidem, me iudice, omnium exactissime. In tria veluti segmenta diuisus est iste Achates, vt patet ex subiecta tabula. Primo in eo occurrit (1) Tiberius Nero pater Drusi & Tiberii Augusti, auus Germanici, in altum delatus Pegaso siue fato diuino, vnde & genius ductor praeuolat. Medio sedet (2) Diuus Augustus, radiato & velato capite cum baculo Imperatorio. Sub eo (3) habitu Urbis Romae Liuiam Tiberio Neroni orbem terrarum ostendere Harduinus putat, sed ego hic ipsam Romam exhiberi existimo,


(r) lib. VII.

(s) T. I. p. 153.









n  
T  
e  
i  
c  
a  
fi  
fo  
in  
na  
ro  
f  
c  
q  
c  
4  
n  
t

mo, Orbis globum tenentem. Prope Augustum, patrem Tiberium respicit (4) Drusus habitu triumphali, ob victorias Germanicas. In medio segmento throno imperiali insidet (5) Tiberius Augustus diuinitatis ergo pene nudus, laureato capite, cum bacillo Imperatorio & lituo augurali, quo habitu & antea Augustum in gemma figuratum vidimus. Adsidet in eodem throno (6) foemina laureato itidem capite, vt *Augustam* exhiberi intelligas, & manu papauera tenens, quod eam *annona curam habuisse* indicio est. Sub triumpho vero Germanici tempus Iulia Tiberii Augusti vxor iam facta functa erat in exilio suo, vt adeo Tiberio iungi hic non potuerit. Liuia autem Tiberii mater & auia Germanici in viuis erat, & tunc adhuc partes sibi aequas potentiae vindicabat, vt SVETONIVS (t) indicat. Hanc ergo hic fisci verosimile est, & erat illa *Augusta*, & sine dubio nepotis copiis annonam procurauit. Ex aduerso Tiberii Augusti & infra Drusum patrem stat (7) Germanicus Caesar habitu Imperatorio & militari. Adstat eidem (8) vxor Agrippina, capite laureato, virilis animi foemina & quae plurimum iuuerat maritum in expeditione Germanica. Erat illa Tiberii Augusti priuigna, filia Agrippae & Iuliae Augusto natae. Post Germanicum sunt duo eius liberi

natu

(t) SVETON. Tiber. c. 50.



natu maiores Agrippina iunior (9) & Caius (10) tunc  
 fere sexennis, qui in castris educatus, a caligis mi-  
 litaribus, quibus & hic indutus cernitur, *Caligulae* no-  
 men tulit. Super arma ingreditur in militaris animi  
 testimonium. Post Tiberium Augustum stat Drusus  
 (11) eius filius & manu veluti appetit Orbem terrarum,  
 quem Roma in superiore loco praefert, indicans sibi  
 spem proximam esse Imperii in Orbem Romanum.  
 Sedet ad latus ipsius (12) coniux Liuia, soror Germa-  
 nici Caesaris (v); humiliore tamen subsellio quam  
 Liuia Augusta. Prope thronum Imperialem (13) ha-  
 bitu piscatorio, iuxta nauigii proram, & supplicis in-  
 star, sedet Asia minor, tabellas manu tenens, quibus  
 auxilium exoptulat. Vnde patet, legationem inde Ro-  
 mam missam, vt opem ferret afflictæ ab incurfioni-  
 bus Parthorum Prouinciae. Ex throno imperiali pro-  
 repunt (14) Germanicum versus angues, Asiae iti-  
 dem symbolum, quo indicatur, Asiae administrandæ  
 curam a Tiberio Augusto & Liuia matre destinari iam  
 Germanico. In infimo segmento sedent captiui longo  
 ordine ex Germania. Medium locum occupat (15)  
 Thusnelda Arminii vxor filium Thumelicum fere tri-  
 ennem complexa. Assidet (16) frater Segimundus,  
 magni animi iuuenis. Ante eos sedent (17) Sefitha-  
 cus & (18) vxor eius Rhamis. Inter Rhamim &  
 Segi-

(v) PLINIUS lib. XXIX, c. 8.

Segimundum nudus fere & tergo obuerso procumbit (19) Theudorix Sicamber. Post Thusneldam sedent tres foeminae illustres (20. 21. 22.) bello captae, inter quas dubio procul eminent Arpi Cattorum Principis coniux & filia, & interius quidam capite velato manu arcum vel lituum tenens, quem Cattorum sacerdotem Libyn esse interpretor. Scutorum quoque Germanicorum forma notari meretur. Prope Sefithacum iacet thorax, quali Romani milites induebantur, vnde conicias, eum antea etiam Romanis militasse. Haec vero omnia ita in gemma indicari, vt nos exposuimus, dubitari nos non sinunt STRABO TACITVSQUE, exacti huius triumphii descriptores, quos solícite secuti sumus.

§. XIX.

Quoniam autem aliquorum Principum nostrorum mentionem fecimus, lubet eorum Stemmata in Tabula exhibere, vt vno conspectu in oculos incurrant.

Stemmata  
Principum  
Germano-  
rum huius  
temporis.

I.

N. Princeps Cheruscus, hodie Brunsvicensis.	INGVIOMERVS Princeps. TAC. <i>Annal. I.</i>	FLAVIVS inter Romanos militans. Vx. N. Catumeri Princ. Cattor. filia. TAC. <i>Ann. II.</i>	ITALVS Cheruscorum Rex. TAC. <i>Ann. II.</i>
		STRABO.	II.



## II.

N. Princeps { SEGESTES

Cherufcus. { Romanorum ami-  
cus. Tac. Ann. I.  
STRABO lib. VII.

{ THVSNELDA

{ Ariniii vxor.  
{ STRABO. TACIT.SEGIMERVS,  
qui se Romanis  
dedit. STRABO.  
DIO lib. LVI.

{ SESITHACVS

{ Ramis Catta ma-  
ritus. STRABO, TACIT.

## III.

N. Princeps { ACRVMERVS  
Cattorum. { vel CATVMERVS  
TACIT. Ann. II.

{ RAMIS

{ Vxor Sefithaci.

{ STRABO.

{ N. Catta, vxor

{ Flauii. TACIT. Ann. I.

ARPVS Cattorum  
Princeps. TAC.{ N. Filia cum matre  
capta. TACIT. Ann. II.LIBYS Cattorum  
Sacerdos. STRABO.

## IV.

N. Princeps { MELO Dux Sicambr.  
Sicamber. { STRABO lib. VII.{ Baitoritus, frater  
{ Melonis. STRABO.

{ THEVDORIX

{ Sicamber,  
{ triumphatus. STRABO.

## V.

MALOVENDVS Dux Marforum. TAC. Ann. II.

§. XX.

Germanicus Caesar peracto triumpho inde machinatione Tiberii Augusti in Asiam missus est, & non diu post haec periit. Germania vero ex hoc tempore, sibi fere relicta, Praefectorum Romanorum arma nequaquam metuit. Sed, Arminio aliisque Ducibus, vices saepius retulit, seque ipsam in pristinam libertatem fortiter adseruit. Et cum Tiberius Romae pessime ageret, ac tandem omni Reipublicae cura abiecta, Capreis reconditus, mollitiae deliciisque diffuere, Gallias interim a Germanis, Moesiam a Dacis & Sarmatis, qui Scytharum imperium in se transtulerant, atque Armeniam a Parthis occupari neglexit. Nec erat, quod a Romanis ulterius metuerent nostri. Vnde & Arminius cum sociis statim atque Germanicus Caesar abscesserat, arma alio atque in Maroboduum Sueuorum dominatorem vertit: quia is Germanos in bello aduersus Romanos non iuuisset, sed potius patriae proditor foedus hostium per dona & Legationes petiisset. Erat praeterea Marobodui Regis nomen inuisum apud populares, qui Arminio pro libertate bellanti fauebant. Vnde & e regno Marobodui Sueuae gentes, Semnones & Langobardi ad Arminium defecerunt. Vnus Inguiomerus cum manu clientum ad Maroboduum perfugit, non aliam ob causam, quam quia

Arminii bellum aduersus Maroboduum. Semnones & Langobardi a Maroboduo deficiunt.



fratris filio iuueni patruus senex parere dedignaretur. Insueuerant iam Germani, longa aduersus Romanos militia, sequi signa, subsidiis firmari, dicta imperatorum accipere. Sed Arminii miles, vt numero maior, ita recuperata libertate & trucidatis legionibus confidentior, spolia adhuc & tela Romanis direpta ostentabat. Ex quo caedem a Germanico iis illatam a scriptoribus Romanis maiorem, quam fuerit, factam opineris. Concursum tandem est maxima mole, sed ambiguo euentu, fufis vtrunque dextris cornibus. Perculsum tamen fuisse Maroboduum patuit, quod castra in colles subduxisset. Transfugis etiam paulatim nudatus, in Marcomannos concessit, misitque ad Tiberium auxilia oraturos. Responsum est, non iure eum aduersus Cheruscos arma Romana inuocare, qui pugnantem in eundem hostem Romanos nulla ope iuuisset. Missus tamen est in Illyricum Drusus pacis firmator (u) in speciem, qui tamen reuera Germanos ad discordias illiciebat, vtque fracto iam Maroboduo vsque in exilium insisteretur (x).

## §. XXI.

Marobodui  
exilium. Ar-  
minii Ducis  
Cherusco-  
rum interi-  
tus.

Vidimus supra Maroboduum *Guttones* siue *Gothonos*, Vistulae accolae, sub potestatem suam rede-  
gisse.

(u) TACIT. *Annal.* II. 44. *sqq.*

(x) *ibid.* c. 62. *sq.*



se. Erat inter illos nobilis iuuenis nomine *Catualda*, quod idem est ac nostrum *Gotwald*. Hic profugus olim vi Marobodui, & dubiis tunc rebus eius, ultionem ausus est. Valida ergo manu fines Marcomannorum anno Christi XIX. ingreditur, corruptisque primoribus ad societatem, irrumpit regiam, castellumque iuxta situm. Diues ibi praeda & Romanis e prouinciis lixae ac negotiatores reperti. Maroboduo vndique deserto, misericordia Caesaris vnicum refugium fuit. Transgressus Danubium, qua Noricam prouinciam praefluit, circa Viennam nempe Austriae, scripsit Tiberio, multis nationibus clarissimum quondam Regem ad se vocantibus, Romanam amicitiam se praetulisse. Responsum a Tiberio, tutam ei honoratamque sedem in Italia fore, si maneret, sin rebus eius aliter conduceret, abiturum, qua venisset. Qui tamen in Regem suum animus Tiberii fuerit, **VELLEIVS** (y) patefacit, vbi dicit, Caesarem Maroboduum occupati regni finibus inhaerentem, adiutore Druso, filio suo, velut serpentem abstrusam terrae, salubribus consiliorum suorum medicamentis egredi coegisse; eundemque & honorate & secure continere. Rauennam enim deductum ostentabat, quasi rediturum in

re-

(y) *Lib. II. c. 129. Adde SVETON. Tib. c. 37.*



regnum, si quando insolescerent Sueui. Sed non excessit Italia per duodeviginti annos, consenuitque, multum imminuta claritate ob nimiam viuendi cupidinem. Idem Catualdae casus, neque aliud perfugium fuit. Haud multo post & hic opibus Hermundurorum & Vibilio duce pulsus & receptus, Forum Iulium Narbonensis Galliae coloniam mittitur. Germani vtrumque comitati, ne quietas prouincias turbarent, vltra Danubium inter flumina Marum & Cusum, atque ita ex aduerso Carnunti, vbi Romanorum hiberna erant, Rege Vannio gentis Quadorum dato, collocantur. Sub haec Germanicus in Oriente fraude Pisonis, & veneno dato, decessit. Eodem fere tempore, eodem certe anno cecidit & Arminius fortissimus suorum aduersus Romanos Dux, Marobodui ante biennium victor. Romanis ille abscedentibus & pulso Rege Marcomanno elatior regnumque affectans, libertatem popularium aduersam habuit: petitusque armis, cum varia fortuna certaret, dolo propinquorum cecidit, liberator, inquit TACITVS, haud dubie Germaniae & qui non primordia populi Romani, sicut alii Reges Ducesque, sed florentissimum imperium lacefferit: praeliis ambiguis, bello non victus, septem & triginta annos vitae, duodecim potentiae expleuit, caniturque adhuc barbaras apud gentes, Graecorum annalibus ignotus, qui sua tantum mirantur: Romanis

manis haud perinde celebris, dum vetera extollimus, recentium incuriosi. Haec TACITVS. Hoc in Tiberio laudandum, quod *Adgandestrio*, Principi Cattorum, venenum ad interficiendum Arminium, paulo ante caedem eius, postulanti responderit, non fraude, neque occultis, sed palam armatum populum Romanum hostes suos vlcisci.

§. XXII.

Monstratur adhuc in Comitatu Pymontano in edito abruptoque monte, haud procul Ludae oppido vetus Arminii sedes *Harmesburgum*, vnde vulgus *Herlingsburg* fecit. Nec improbabile, ibi Arminium degisse, & Varum in insidias primum illexisse, in Teutoburgiensi mox saltu caedendum. In vtroque certe litore Visurgis Cherusci degerunt, & Segestem quoque in Westphalica Visurgis ripa habitasse ex TACITO euidens est. A grata posteritate cum veteri gentis Deo Irmino confusum, & pro Deo cultum, non negauerim. Sic & Odinus vel Wodanus & Thor, recentiores, cum vetustioribus commixti & culti sunt a nostris. Hinc *Irmensulam* siue statuam Irmini vel Arminii a Carolo M. destructam, Arminio Cherusco positam fuisse omnes fere consentiunt, & ex recentioribus affirmant CLVVERIVS, MEIBOMIVS, SCHE-

De Arminii  
castro & statu-  
tia.

Qq

DISV,



DIVS, Reuerendissimus Princeps & Episcopus FVRSTENBERGIUS, SCHATENIUS & WASSERBACHIVS. De loco, vbi a Carolo M. inuenta sit, controuerfiam mouit WASSERBACHIVS. Reliqui enim omnes Eresburgi eam ad Dimolam, vbi nunc Stadberga est, stetisse & cultam fuisse affirmant; ille vero solus Eresburgum illud Herlingsburgo commutat, statuanque Irmini in monte Arminii a Carolo repertam & deuaftatam fuisse statuit. Argumenta eius alibi expendemus.

§. XXIII.

De initiis regni Gothorum & Genealogiae Principum Amalorum.

Hoc etiam loco praeterire nefas est, post Maroboduui casum populos ei subditos pristinam libertatem adeptos. Eminuere inter eos *Gothi* vel *Gothones*, mox in historia clarissimum nomen habituri. Res eorum ex ABLAVIO veterumque monumentis aliis & traditionibus sub tempora Iustini Imp. IORNANDES Episcopus descripsit. Monuimus iam ab initio, eum Gothos confundere cum Getis. Lapsus etiam est aliis in locis. Interim tamen asseruauit nobis plurima auro contra cariora habenda. Ex iis est Genealogia Principum Amalorum, quam profert, & nos ex SCRIVERII MSto restitutam alicubi hic addimus:

Gapt.  
 { Halmal.  
 { Augis.  
 { Amala  
 { Harna  
 { Ostrogotha  
 { Vnilt  
 { Athal  
 -----  
 Achulf. Oduulf.  
 -----  
 Anfila. Ediulf. Vuldulf. Hermenrich.  
 -----  
 { Valeravans  
 { Winitharius  
 { Vandalarius  
 -----  
 Theodemir. Walemir. Widemir.  
 -----  
 { Theodericus.  
 { Amalafuenta,  
 quae ann. Christi 534  
 occisa est.

Quoniam vero stirps omnis ab *Amala* nomen accepit, inde concludo, illos, qui supra eum exhibentur, principes quidem Gothorum celebres fuisse, ipsum tamen ab illis non descendisse. Familiae enim a primis, qui noscuntur, conditoribus nominantur. Si a morte Amalafuenthae annos ad calculos revoces & cuique ex eius progenitoribus tribuas triginta, *Gapti*, qui primo loco nominantur, aetas incidet in tempora,

Qq 2 quae



quae iam exponimus, & Christo in vita versanti ille  
 aequalis fere erit. Statui non immerito posset, eundem  
 illum cum *Catualda*, Marobodui aduersario, fuisse &  
*Gapti* nomen ex illo *Catualdae* contractum & simul  
 paulisper in ore ferae posteritatis corruptum fuisse.  
 Vti enim ex Adalbertus *Ato*, ex Conradus *Cuno*, ex  
 Hermannus *Harm*, ex Henricus *Hintz* factum vide-  
 mus, ita quoque ex *Catualda* vel *Gatualda*, sive *Got-  
 wald*, fieri potuit *Gat* vel corruptius *Gapt*. Nomen  
 certe eius, qui regium iugum a gente sua ademit,  
 apud suos decantatum mansisse aequum est. Germani,  
 apud quos summus nobilitati honos erat, solcite ma-  
 iorum suorum nomina tum Canticis popularibus, tum  
 traditionibus conseruauerunt. Nec obest, quod *RO-  
 NANDES* dicit, genealogiam, quam modo recensui-  
 mus, *fabulis* Gothicis conseruatam. *Fabulae* enim vox  
 hic relationem, narrationem & historiam denotat, ex in-  
 ferioris Latinitatis consuetudine (z): Vt adeo principum  
 illa Gothorum genealogia non plane inter fabulas re-  
 poni mereatur. *Amala* itaque sator Principum Ama-  
 lorum sub finem circiter seculi post Christum natum  
 primi in vita fuit. Gothi ipsi post *Catualdae* tempo-  
 ra sensim dominium in Lygios, siue Prussiae Lithua-  
 niaeque & Poloniae populos Germanicae originis, ar-  
 ri-

(z) Vid. CANGIUS in *Glossario* voce *fabula*.

ripuisse videntur, mox etiam cis Vistulam in litore maris Balthici, & ulterius in Sarmatia dominaturi.

§. XXIV.

Arminio mortuo, & Maroboduo Ravennae, Ca-  
 tualda vero apud Forum Iulium in Gallia custodito,  
 rerum Germanicarum curam insuper habuit Tiberius.  
 Nec scriptores Romani de iis quicquam amplius ad-  
 dunt, ex quibus STRABO Geographus eruditione &  
 iudicio praestans circa annum Christi XXV. decessit.  
 AEGIDIUS TSCHEVDVS non immerito eius circa Ger-  
 maniam industriam praedicat (a), nec errores eius  
 tanti sunt, quanti CLUVERIO (b) & CONRINGIO  
 apparuerunt. VELLEIVS quoque PATERCVLVVS  
 nihil amplius nobis suppeditat, qui primum Tribu-  
 nus militum in Thracia, hinc Praefectus Equitum in  
 Germania, exinde Quaestor, & in Quaestura, remissa  
 forte provinciae, Legatus Tiberii bello Pannonico,  
 denique primo Tiberii anno cum fratre Praetor destinatus  
 fuit: quae omnia de se ipso narrat. Conscripsit ille duos  
 historiae Romanae libros ad M. Vinicium Consulem,  
 progenerum Tiberii Caesaris, hoc est anno a C. N.  
 XXX. Egregius author, nisi Tiberio Seianoque ul-

Germani  
 quieti. De  
 Strabone &  
 Velleio Pa-  
 terculo.

Qq 3 tra

(a) in Epist. ad B. Rhenanum inter Epistolas a Goldasto editas p. 224.

(b) Germ. ant. lib. 111. c. 1.



tra modum adulatus esset. LAZIVS (c) *Velleii excerpta ex Gallica historia* citat. Sed fragmentum illud, quod etiam in *Chronico* CONRADI Abbatis Urspergensis, paucis tamen insertis, legitur, & de origine civitatis Augustanae agit, supposititium esse, ac falsa praeterea quaedam continere, nec stylo Velleiano decurrere, MARCVS VELSERVS in *Rebus Augustanis*, & IO. GERARDVS VOSSIUS in *Opere de Historicis Latinis* ostendunt.

§. XXV.

Frifi com-  
mota in Ro-  
manos.

Quieti exinde vixere Germani, nisi quod anno a C. N. XXIIII. *Frifi* pacem exuerunt, Romana auaritia compulsi. Tributum iis Drusus iusserat pro angustia rerum modicum, ut in vsus militares coria bouum penderent, nec praescripserat, qua firmitudine aut mensura esse deberent. Olennius autem, ex primipilaribus miles Frifis impositus, terga vrorum delegit, ad quorum formam acciperentur. Hoc aliis nationibus arduum apud Germanos difficilius tolerabatur, quibus ferarum feraces saltus, modica domi armenta. Vnde primo boues ipsos, mox agros, postremo corpora coniugum & liberorum seruitio tradebant, non sine ira & questu. Vbi non subueniebatur, bel-  
luna

(c) *Lib. I. Comment. Reip. Rom. c. 8.*



lum oceptum, in quo Romanorum partium deterior fors fuit. Clarum inde, vt TACITVS (*d*) ait, inter Germanos Frisium nomen, dissimulante Tiberio damna, ne cui bellum permetteret; neque senatus in eo cura, an imperii extrema dehonestarentur.

§. XXVI.


Tiberio anno a C. N. XXXVII. defuncto Germanici & Agrippinae filius Caius Caligula in imperio successit, bellua magis quam homo, monstrum certe generis humani. Inter noua is & haectenus inaudita spectaculorum genera etiam pontem supra mare, Baiae inter & Puteolos, trium millium & sexcentorum fere passuum intervallo coniunxit, siue Xerxis imitatione siue (quod alii malunt) vt Germaniam ac Britanniam, quibus imminebat, alicuius immensi operis fama territaret (*e*). Quod si verum est, ab ipsis imperii sui primordiis expeditionem Germanicam mente agitavit, quam tamen non nisi tertia imperii sui aestate, neque ex destinato, suscepit. Cum enim ad visendum nemus flumenque Clitumni Meuaniam, Umbriae oppidum, processisset, admonitus de supplendo numero Batavorum, quos circa se habebat ex

Caligulae mica in Germanos & Britannos expeditio. Bononiensis Pharisura. Caligulae mors. Claudii successio.

Au-

(*d*) *Annal lib. IV. c. 71. sq.*

(*e*) SVETON. *Calig. c. 19.* DIO *lib. LIX. IOSEPHVS lib. XIX. c. 1.*



Augusti adhuc instituto, subito impetu in Germanos mouit, quod ii aliquid noui motus dedissent (f). Ipse vero in animo potius habebat, exhausta iam Italia, Gallias quoque opibus florentes & Hispaniam expilare. (g) Abitum suum non palam ostendit, sed in suburbium Romae progressus, inde subito discessit, abductis secum multis saltatoribus, gladiatoribus, mulieribus ac reliquo luxus famulatio (h). Multa inepte in itinere acta, non pauca subdole, quae SVETONIVS recenset. Militum ex omnibus prouinciis ultra ducenta millia contraxerat. Ser. Sulpitius Galba, postea Imperator, insignis iam maxime, quod campestem decursionem scuto moderatus esset, per viginti passuum millia ad effedum Caligulae Imperatoris cucurrit. Hunc Lentulo Gaetulico, qui Germaniam superiorem per decennium comiter administrauerat, in ipso itinere successorem dedit. Galba igitur statim veteranum ac tironem militem opere assiduo corroborauit, matureque Germanis, qui iam in Galliam vsque proruperant, coërcitis praesenti quoque Caligulae se atque exercitum approbavit (i). Caligula nihilominus transito ad Moguntiam Rheno *Sueuiam* minacissimus ingressus, nihil strenue gessit (k), sed statim panico ter-

(f) SVETON. DIO II. CC. (g) DIO I. C.

(h) DIO I. C. (i) SVETON. in Galb. c. 6.

(k) EVTROP. lib. VII. SVETON. Calig. c. 51.

terrore  
runt su  
& qui C  
uiam pro  
num atq  
ibi belli  
Cinobelli  
fugus in  
vniuersa tr  
fit. Ut tac  
cos de cust  
num iussit  
fissime, a  
ipsisque ca  
nere coron  
terim Ger  
quidam Ca  
qui & infra  
tionum eius  
hostilia in R  
uersus Ger  
paulatim coe  
sub irruptione

terrore percussus reversus est (1). Suevi ergo fuerunt supra Moenum colentes, qui in Gallias irruerant, & qui Caligulam ne quidem nunc dignati sunt, ut obuiam procederent. Post haec ad inferiorem Rhenum atque ad Vetera castra venisse videtur. Neque ibi belli materia fuit. Vnicus solummodo Adminius, Cinobellini Britannorum Regis filius, & a patre profugus in deditioem receptus est: qua de re quasi vniuersa tradita insula, magnificas Romam literas misit. Vt tamen bellum se gessisse gloriari posset, paucos de custodia Germanos traici oculique trans Rhenum iussit, ac sibi post prandium, quam tumultuosissime, adesse hostem, nuntiari. In hos prorupit, ipsisque captis, trophaea erexit & comites nouo genere coronarum exploratoriarum donauit. Parum interim Germani de ipso solliciti fuerunt. Et nobilis quidam Canineuas, pater *Brinionis* siue *Brunonis*, qui & infra occurret, in ipso Caii conspectu, expeditionum eius mimicarum ludibrium spernens, multa hostilia in Romanos ausus est (m). Sic ingentes aduersus Germaniam conatus frustra fuere & vilipendi paulatim coepit a nostris virtus Romana, tandemque sub irruptionem nostrorum in Imperium adeo contemni,

(1) DIO Sueton. II. cc. (m) TACITVS Hist. lib. IV. c. 15.



mni, vt contumeliosum haberetur, Romanum nominari. Sub hiemem Lugdunum in Galliam rediit, iratus etiam Legatis si quid rei gefiffent. Multis ibi pecuniis exactis, sub verem fequentis anni a N. C. XL ad Oceanum cum copiis profectus eft, tanquam in Britanniam bellum translaturus (n). Vbi ad Morinos veniffet, quafi bellum perpetraturus, directa acie in litore Oceani, ac balliftis machinisque difpofitis, nemine gnaro ac opinante, quidnam coepturus effet; repente vt conchas legerent, galeasque & finus implerent, imperavit: fpolia Oceani vocans, Capitolio palatioque debita. Et in indicium victoriæ certiffimum turrim aedificauit, ex qua, ut ex Pharo noctibus ad regendos nauium curfus, ignes emicarent. Ex hisce autem SVETONII verbis intelligimus, Caligulam non ad portum Iccium fiue Stapulas, vnde Iulius Cæfar in Britanniam iuerat; fed ad Gefforiacum fiue Bononiam Gallicam celebre poft Iccium navale, turrim infignem aedificaffe. Phari enim ibi ab antiquo existentis reftaurationem Carolus M. anno DCCCXI. procurauit. Et annotat BVCHERIVS (o), turris iftius fummitatem, adhuc fua ætate, diuerfæ ab iis, quæ fubiacent, manus & operæ animaduerti: Inferiora certe qua lapidum genere, qua caemento & ftructura

(n) DIO l. c. (o) Bèlg. Rom. Lib. IV. c. 30.

ra longe  
 intra pa  
 opere Ro  
 norem c  
 Fuit, fe  
 gula, fin  
 que pedu  
 tus pedum  
 rit. Paula  
 tudinem.  
 lateribus,  
 vsque ad  
 Bononien  
 dre, Flan  
 gio difcede  
 gionum,  
 quod patre  
 tem obfedi  
 captiuos &  
 quemque &  
 los ex Princ  
 gitque non  
 & fermane  
 rica ferre;

(p) s v e

ra longe firmiora esse: longis insuper ac grandibus intra parietum saxa lateribus terreis atque coctilibus opere Romano insertis colligata: prorsus ut non minorem quam Caligulae aetatem praefere videatur. Fuit, secundum BUCHERII descriptionem, octangula, singulaque latera viginti quatuor aut viginti quinque pedum ipsi visa, ut totus illius ad solum circuitus pedum simul CXCII. aut si forte ducentorum fuerit. Paulatim desit in acumen, Piramidisque similitudinem. Medio fere altitudinis, quaternis duntaxat lateribus, fenestras habuit. HADRIANUS VALESIVS vsque ad suam aetatem, qua diruta est, turrin hanc Bononiense litus illustrasse refert. Galli *la tour d'Ordre*, Flandri *de Oudemans* vocavere. Antequam e Belgio discederet, aegre admodum abstinuit a caede Legionum, quae post Augusti obitum rebellauerant, quod patrem suum Germanicum Ducem & se infantem obsedissent (p). E Belgio vero discedens praeter captivos & transfugas, Galliarum, procerissimum quemque & ut ipse dicebat ἀξιοδράμεινον, ac nonnullos ex Principibus legit ac seposuit ad pompam: coëgitque non tantum rutilare & submittere comam, sed & sermonem Germanicum addiscere & nomina barbarica ferre; ut caeterum triumphii apparatus a SVE-

Rr 2

TO-

(p) SVETON, Cal. c. 48.



TONIO descriptum iam praetermittam. De eodem  
PERSIVS (q) canit:

- - *Missa est a Caesare laurus  
Insignem ob cladem Germanae pubis, & aris  
Frigidus excutitur cinis, & iam postibus arma,  
Iam chlamydes Regum, iam lutea gausapa captis,  
Essedaque, ingentesque locat Caesonia (vxor Caii)  
Rhenos.*

Sed urbem ouans ingressus, intra quartum mensem,  
anni nempe a C. N. XLI. Ianuario finiente, a Cassio  
Chaerea Tribuno cohortis Praetoriae interfectus est,  
qui antea optauerat, vt populus omnis vnicam cerui-  
cem haberet, quo vno ictu e medio tolli posset (r).  
In locum ipsius subrogatus est Tiberius Claudius Dru-  
sus, Drusi in expeditione Germanica defuncti filius &  
Germanici frater, stupidi ac timidi ingenii homo; qui  
postquam Imperator factus est, quamuis non fuerit e  
familia Caesaris vel Augusti, nomen tamen Caesaris  
& Augusti assumpsit. Et haec duo nomina ab omnibus  
eius successoribus exinde recepta non amplius fami-  
liam, sed dignitatem indicarunt (s).

§. XXVII.

(q) *Satyra VI.*

(r) SVETON. *cap. 56. sq.* DIO *lib. LIX.*

(s) Vid. TILLEMONT *Histoire des Empereur p 18. m. 208.*

§. XXVII.


Sub initium regiminis Claudii Sulpitium Galbam, qui Germaniae superiori cis Rhenum praecerat, *Cattos* vicisse, ac P. Gabinium Germaniae inferioris Legatum *Maurusios*, DIO (t) testatur. Pro *Maurusiis* autem *Marfi* restitui debent. Addit enim DIO, Gabinium inter alia, quae laudi ipsi essent, militarem aquilam, quae sola a clade Variana adhuc superfuerit, recuperasse. Iam aquilam eandem supra Tiberius, in dicio Marforum Ducis Malouendi ibi iam olim quae fuit. SVETONIUS commemorat (u), Gabinium etiam *Caucos*, gentem Germanicam, superasse, & Claudium eidem *Caucici* cognomen usurpare concessisse. *Cauci* vero minores, inter *Amisii* & *Visurgis* ostia protensi finitimi erant Marforum. Claudio hinc ornamenta triumphalia a Senatu decreta. Sed ille, ut iusti triumphum decus acquireret, in *Britanniam* tunc ob non redditos cum Adminio & nouissime cum Berico, per seditionem insula exturbato, transfugas tumultuantem, exercitum mittere constituit. A. Plautius Senator, quem Suetonius Consularem Legatum vocat, eum non sine difficultate abduxit, quod milites indigne ferrent, quod extra terrarum orbem bellum gerendum esset. Copiae, in tres partes diuisae, appulerunt, ne

Catti, Marfi & Cauci a Romanis repressi. Britanni a Claudio victi & triumphati.

Rr 3

VNO

(t) DIO lib. LX. (u) SVETON. in Claud. cap. 24.



vno loco prohiberi litore possent. Ventus aduersior erat, vnde non expectati, nemine prohibente Insulam aduecti sunt. Incolae in paludes se ac sylvas abdidere, spe Romanos mora extrahendi, sicut Iulio Caesari acciderat. Inuenit tamen eos Plautius & Caractacum primo, deinde & *Togodumnum, Cynobellini filios*, vicit, patre iam defuncto. His fugientibus pars *Bodunnorum* in fidem accepta, qui Catuellanis parebant. Cum fluvius transeundus esset, Germani etiam rapidissima flumina facile in armis tranare soliti, illum Plautii iussu superarunt, hostemque fuderunt. Flauii Vespasiani, postea Imperatoris, virtus hac occasione emicuit. SVETONIVS (x) dicit, in Britanniam translatum tricies cum hoste conflixisse; duas validissimas ibi gentes, super viginti oppida & insulam Vectam, Britanniae proximam, in deditionem redeigisse, partim Plautii, partim Claudii ipsius ductu, quare & triumphalia ornamenta acceperit. Ad Tamesin vsque, vbi is se in mare exonerat, pulsus est hostis. Germani, quos obnandi peritiam ex Batauis fuisse existimes, iterum flumen tranarunt, sed, Britannos adorti, ipsi etiam non parum damni acceperunt. Plautius, cum nec Togodumni interitu fractos cerneret hostes, ipsum Claudium, vt iussus erat, aduocauit. Hic anno a N. C. XLIII. magno apparatu, elephantis quoque contractis,

(x) SVETON. in *Vespas.* c. 9.

ctis, n  
Circio  
irinere  
copias,  
TONIV  
paucissim  
in dediti  
mense Ro  
phalle.  
potitum e  
giam, qu  
in Esslex  
in potesta  
praepositi  
Britannici  
umphus C  
Christi XL  
MVS in C  
dunt; sed  
inuentas &  
men MEL  
no descrip  
iam memi  
vltra trienn


(y) DI  
(z) in e



ētis, nauigio ab Ostia Maffiliam venit, vehementi Circio bis pene submersus (γ). A Maffilia terrestri itinere Gessoriacum venit, & inde transmittens, ad copias, se prope Tamesin expectantes, perrexit. SVETONIVS dicit, sine vlllo praelio aut sanguine intra paucissimos dies (sedecim ponit DIO) parte insulae in deditioem recepta, sexto, quam profectus esset, mense Romam rediisse, maximoque apparatu triumphasse. DIO tamen refert, signis collatis victoria potitum esse, mox etiam *Camolodunum* Cynobelini regiam, quae nunc CAMBDENO iudice, est Maldonum in Effexia, cepisse, multosque inde vi, alios deditioem in potestatem suam accepisse: A. Plautium Britanniae praepositum fuisse, & Claudium ipsum triumphum, *Britannicique* cognomen sibi filioque meruisse. Triumphus Claudii, eodem DIONE teste, in annum Christi XLIV. incidit. EVTROPIVS & HIERONYMVS in *Chronicis* & *insulas Orcades* adquisitas addunt; sed TACITVS eas primum sub Vespasiano & inuentas & domitas esse putat (z). POMPONIVS tamen MELA, qui hoc ipso Claudianae expeditionis anno descriptionem orbis suam composuit, Orcadum iam meminit (a). Plautius Prouinciam Britannicam vltra triennium, post Claudii quoque discessum moderatus.

(γ) DIO & SVETON. in *Claud. c. 17.*

(z) in *vita Agricolae cap. 10.* (a) *lib. III. c. 6.*



deratus. Ostorius Scapula ei successit Proprætoris honore, quem turbidæ res excepere, donec prælio victus, & a Cartismandua, Brigantum regina, ad quam confugerat, victusque traditus est Caractacus, magni animi Princeps (b). Hinc paulatim in formam Prouinciæ redacta est pars Britanniae proxima, addita insuper Camoloduni veteranorum colonia: quaedam ciuitates Cogiduno Regi Romanis fido donatae. Ostorio Aulus Didius Gallus succedens parta a prioribus continuit. Didio circa annum Christi LVIII. Verannius successit. Sed iam Britannicis rebus missis ad alia redimus.

#### §. XXVIII.

De Cheru-  
scorum Rege  
Italo.

Cherufci inter hæc intestinis diffidiis agitati fuerant. Iam vero amissis per continua bella nobilibus, & vno tantum regiae stirpis reliquo, qui apud urbem habebatur, nomine Italus; hunc regem sibi Roma anno a N. C. XLVII. petierunt. Hos Cheruscorum Legatos fuisse putes, quibus Claudius Romæ in Orchestra sedere permisit, quia in popularia deducti, cum animaduertissent Parthos & Armenios sedentes in senatu, ad eadem loca sponte transierunt, nihilo deteriore virtutem aut conditionem suam prædicantes

(b) TACITVS *Annal. lib. XII. c. 31. seq.*

tes (c)  
genus  
mero  
loquitur  
Roman  
auctum  
peratur  
eoque m  
omnes st  
vsurparet  
rent, qui  
minos p  
gus Reg  
secunda  
rurus La  
aduerfa re  
fere cum C  
inclinaban  
  
Sanq  
eto Cn. D  
millis est.  
Sanquini  
  
(c) sv

tes (c). Italo, quem in regnum vocabant, paternum genus e Flauio fratre Arminii, maternum ex Catu-  
 mero Principe Cattorum erat. Ipse, vt TACITVS  
 loquitur, forma decorus, & armis equisque in patrium  
 Romanumque morem exercitus. Claudius Caesar  
 auctum pecunia, additis stipatoribus ad Cheruscos im-  
 peraturum misit. Germanis primo laetus aduentus  
 eoque magis, quod nullis discordiis imbutus, pari in  
 omnes studio ageret, & quicquid popularibus gratum  
 vsurparet. Sed cum potentiam eius suspectam habe-  
 rent, qui factionibus floruerant, discedunt ad conter-  
 minos populos eosque aduersus Italum incitant. Vul-  
 gus Regi fauebat, qui magno praelio victor, dehinc  
 secunda fortuna ad superbiam prolapsus, pulsusque ac  
 rursus Langobardorum opibus relictus, per laeta &  
 aduersa res Cheruscas afflictabat, quae iam perpetuis  
 fere cum Cattis concertationibus labefactatae in ruinam  
 inclinabant (d).

§. XXIX.

Sanquinio Inferioris Germaniae Praefecto defun-  
 cto Cn. Domitius Corbulo eius loco in prouinciam  
 missus est. Chauca, dum domi ipsis pax, & morte  
 Sanquinii alacres essent, vicinam trans Rhenum Ger-

Chauci &  
 Frisii repres-  
 si. Claudius  
 Rhenum Im-  
 perii limi-  
 tem consti-  
 tuit. Fossa  
 Corbulonis.

(c) SVETON. *Claud. cap. 25.* (d) TACITVS *Ann. lib. XI, c. 16. sq.*



maniam incurfauerant, & duce Gannafco Caninefate, Romanorum olim auxiliari & diu merito, poft transfuga, leuibus nauigiis praedabundi, Gallorum maxime oram vafabant. Hos Corbulo provinciam ingreffus, exturbato Gannafco, lintribusque hoftilibus deprefsis compescuit (e). Nationem quoque *Friſiorum*, quae poſt rebellionem clade Lucii Apronii coeptam Romanis infenſa aut male fida erat, vt obſides daret, & apud agros a ſe deſcriptos conſideret, coëgit. Ne iuſſa exuerent, praefidium immuniuit, miſſis, qui maiores Chaucoſ ad deditiōem pellicerent, ſimul Gannafcum dolo aggrederentur. Nec irriti fuiſſent hi eius conatus, niſi Claudius nouam in Germanias vim prohibuiſſet, & praefidia cis Rhenum referri iuſſiſſet. Receptui ergo ſignum datum eſt. Vt tamen miles otium exueret, inter Moſam Rhenumque trium & viginti millium ſpatio foſſam produxit, qua incerta Oceani vitarentur. Qui bellum negauerat Caefar, triumphitamen inſignia indulſit. Eam foſſam nunc *de Fliet* dici Leidam inter & Rhenum, & *Sluys* ad Moſam Cluuerius (f) cenſet, cui ALTINGIUS AC CELLARIUS conſentiunt. Triumphalem etiam honorem paulo poſt adeptus eſt *Curtius Rufus*, quem aliqui pro authore hiftoriae Alexandri M. eleganti ſtylo conſcriptae, habent. Vili is genere ortus Claudii fauore ad ſummas digni-

(e) TACITVS *Annal. lib. XI. c. 18.* (f) *Germ. Ant. Lib. II. c. 39.*

dignita  
rendis  
& non

Ag  
re nata,  
vxoꝝ pol  
nationibu  
genita er  
uit, & q  
autem R  
Agrippa  
mae Me  
lo, diuit  
manarum  
ex quibus  
incidi eun  
temporib  
eſt, Catti  
nius Legat  
metis equi  
Quilacum

(g) T  
(i) in

dignitates peruenit, & nunc in agro Mattiaco quae-  
rendis argenti venis specus recluserat, tenui fructu,  
& non paruo legionum damno. (g).

§. XXX.

Agrippina iunior, Germanico & Agrippina senio-  
re nata, Neronis mater, & iam Claudii ipsius patru-  
i vxor post haec, anno a C. N. L. quo vim suam sociis  
nationibus ostentaret, in oppidum Vbiorum, in quo  
genita erat, veteranos Coloniamque deduci impera-  
uit, & quidem iure Italico, si PAVLO fides (h). Vbios  
autem Rhenum transgressos, auus Augustae huius,  
Agrippa in fidem acceperat. Haec origo {celeberrimae  
Metropolis Coloniae, quae amplitudine, popu-  
lo, diuitiisque adhuc inclyta viget. Multa ibi Ro-  
manarum antiquitatum fragmenta adhuc eruuntur,  
ex quibus aliqua STEPHANVS BROELMANNVS acri  
incidi curauit (i). Iisdem, quo Coloniam fundabatur,  
temporibus in superiore Germania, vbi Moguntia  
est, Catti latrocinia agitarunt. Quibus L. Pompo-  
nius Legatus, cum auxiliaribus Vangionibus & Ne-  
metis equiteque alario, agmine diuiso, obuiam iuit.  
Qui lacuum iter petiuerant, Cattos nil aduersi suspican-  
tes

Vrbs Colo-  
nia condita,  
Catti caesi.

Ss 2

tes

(g) TACITVS l. c. DIO lib. LX. (h) lib. II, lege vlt. de censibus.

(i) in specimine Histor. Coloniae Claud. Agrippin.



tes circumuenerunt, vbi & quidam e Variana clade post quadragesimum annum seruitio exempti sunt. Qui dextris & propioribus viis iuerant, hosti aciem auso plus cladis fecere & praeda onusti ad *montem Taunum* reuersi sunt, qui ideo Moguntia non procul abfuit. Catti cupidine vlciscendi repressa, ne hinc Romanus inde Cherusci, cum quibus aeternum discordant, circumgrederentur, Legatos in urbem & obsides misere. Pomponio ideo triumphalis honos decretus.

### §. XXXI.

Vannius ab Hermundur-  
ris, Lygiis &  
Gothis regno  
eiectus. An  
Vangio, Van-  
nii affinis,  
fuerit idem  
cum *Augi*  
Iornandis.  
Initia Gothi-  
cae Potentiae.  
Druides ex-  
stirpati in  
Gallia. Clau-  
dii Imp.  
mors.

Extrema Germaniae eadem tempestate, non pa-  
rum turbata. Drusus Caesar Sueuos Maroboduum &  
Catualdam secutos in litore Danubii inter Marum &  
Cusum, qui nobis Morauus & Waga, collocarat,  
Vannio Rege dato. Hic prima imperii aetate clarus  
acceptusque popularibus, mox diuturnitate in super-  
biam mutans, odio accolarum, simul domesticis dis-  
cordiis circumuentus, & regno pulsus est. Auctores  
fuerunt *Iubellius*, siue, vt *MURETVS* in veteribus Codi-  
cibus inuenit, *Vibellius*, Rex (quem eundem credo  
cum *Hermundurorum duce Vibilio* a *TACITO* Anna-  
lium libro secundo commemorato) & *Vangius* ac *Sido*  
sorore Vannii geniti. *IORNANDI* Catualdae Princi-  
pis Gothi nepos, filiusque Halmali *Augis* dicitur. A  
librariis autem *u* & *n* literas saepius commutatas nota

res

res est  
Ansgis  
cerint.  
quam e  
dum gen  
regnauit  
da in G  
rum Lyg  
Carpathic  
quanquam  
posuit,  
si pellere  
victores  
barent.  
in quibus  
bant, fam  
nos praedi  
nus propri  
rat, impar  
praelio, fr  
rientem pe  
Pannonia lo  
se pariti su  
cepti, pos

(1) Germa

res est. Vnde fere eo inclino, vt putem, *Angis* siue *Ansgisum* potius dictum, ex quo Romani *Vangium* fecerint. An Catualdae nepos fuerit, dubito: quanquam ex genere eius esse potuit. Ita etiam Marododui genus apud Marcomannos, TACITO (l) teste, regnauit, ipse licet in Italia eodem modo, quo Catualda in Gallia, retineretur. Gothi igitur & vicini ipsorum Lygii in omni iam Vistulae ripa dextra vsque ad Carpathios montes potentes fuerunt. Nec Claudius quanquam saepe oratus armacertantibus barbaris interposuit, sed Vannio solum tutum perfugium promisit, si pelleretur. Vnica ipsi in munienda ripa cura, ne victores fortuna elati Romanam quoque pacem turbarent. Nam vis innumera Lygii aliaeque gentes, in quibus sine dubio praecipui erant Gothi, adventabant, fama ditis regni, quod Vannius triginta per annos praedationibus & vectigalibus auxerat. Ipsi manus propriae pedites, eques e Sarmatis Iazygibus erat, impar multitudini hostium. Congressus tandem praelio, funditur, atque ad Classẽ in Danubio operientem perfugit. Secuti clientes & acceptis agris in Pannonia locati sunt. Regnum Vangius & Sido inter se partiti sunt, Romanis fideles & subiectis primo accepti, postea vero odiosi (m). *Iazyges Sarmatae,*

S s 3

qui

(l) *German. c. 42.* (m) TACITVS *Annal. lib. XII. c. 29 sq.*



qui hic memorantur, primum campos & plana sub Carpathiis iugis tenuere, ubi nunc pars Russiae nigrae, Podolia atque Moldavia iacent. Dicti ita sunt a sylvis, quae in terris densae erant. Sarmatice enim *iasd*, *gasd* ac *gosd* est *sylva*. Quemadmodum & Podlachs a sylvis, quibus Prussia a Polonia & haec iterum a Lithuania separatur, olim *Iacziegos* & *Iaczuingos*, nominatos fuisse MICHOVIVS & alii scriptores Poloni affirmant. Pars Iazygum expulsis Dacis inter Granuam & Tibiscum montes & saltus supra Danubium insedere. *Metanastae* a Graecis, *Sarmatae Vagi* a Latinis, dicti. Hos vero *Iazyges* Hermunduris, Marcomannis & Quadis alio translatis eorum terris se se postea infudisse ex nomine, quo adhuc sua se lingua appellant, *Cechorum* conicio, quod ex Iazygibus decurtatum est pari modo ac nos quoque *Rics* pro Henricus, *Tonnig* pro Antonius, *Stoffel* pro Christophorus & sic porro dicimus. Alia sub Claudii imperio in Germania acta scriptores huius aevi non commemorant. Nos addimus saltem ex SVETONIO (n), Imperatorem hunc Druidarum religionem apud Gallos dirae immanitatis, & tantum ciuibus sub Augusto interdictam, penitus aboleuisse. Vnde intelligas, Tiberii iussis non satisfactum, vbi & is iam antea Gallosum Druidas &

hoc

(n) in Claud. c. 25.



hoc genus vatum medicorum sustulerat (o). Claudius anno a N. C. LIV. die III. Idus Octobris veneno Agrippinae vxoris instinctu propinato decessit. Agrippinae matris machinatione Nero Claudius Caesar, Cn. Domitii Aënobarbi filius, a Claudio Imperatore adoptatus, imperium accepit, idque, Britannico Claudii Imp. filio sublato, sibi confirmavit.

§. XXXII.


Sub Claudio veterum discipuli Apostolorum, Petri praesertim, per varias orbis partes doctrinam Christianam annuntiasse vulgo feruntur. Christiani eo tempore sub Iudaeorum nomine comprehendebantur. Et SVETONIUS prodit, Claudium Iudaeos, impulsore *Chresto*, assidue tumultuantes Roma expulisse. Sed Christus iam ante Claudii aeuum generis humani culpas luerat, & TACITO teste (p), Tiberio Imperante, per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat. Vnde SVETONIUS non de persona; sed de doctrina per Apostolos disseminata intelligendus est. Idem contemptus causa eum *Chrestum* vocat, nec Christi nomine dignatur, quod inter nomina Romana fuit, & in Marmoribus vetustis saepius obseruatur. DIO sub anno Urbis DCCXCIV. hoc est, Christi

De prima religionis Christianae per Apostolos propagatione. De Egifti & Mariani fabuloso Apostolatu apud Bardeuicenses.

XLI.

(o) PLIN. lib. XXX. c. 8.

(p) Annal. lib. XV. c. 44.



XLI. indicat, Claudium Iudaeos non quidem vrbe eie-  
cisse; sed, cum adeo iterum Romae frequentes fie-  
rent, vt sine tumultu exigi non possent, patriis solum  
legibus viuentes, conuenire non passum esse. Multos  
itaque ex Christianis Iudaeorum nomine comprehensis  
solum mutasse atque in diuersas prouincias commi-  
grasse verò simile est. Ex Apostolis tamen nemo tunc  
Romae adhuc fuit. *Petrus* enim, ORIGENIS relatu,  
Iudaeis tantum per Asiam dispersis in Ponto, Gala-  
tia, Bithinia & Cappadocia praedicauit (q), & Nero-  
ne demum imperante Romam venit (r). Ex Actis  
Apostolorum constat, eum in Iudaea & Syria semper  
mansisse vsque ad vltimum Agrippae Regis annum,  
qui Claudii quartus est. *Paulus* ab Hierosolymis vs-  
que ad Illyricum & Romae quoque Euangelium an-  
nuntiasse fertur (s). *Iohanni* obuuisse Asiam, eum-  
que Ephesi obiisse dicunt; sed *minorem* intelligunt  
(t), quod & BARONIVS agnoscit. *Andreae* curam  
circa *Scythiam* fuisse EVSEBIUS EX ORIGENE habet.  
HIERONYMVS in *Catalogo Scriptorum Ecclesiastico-*  
rum

(q) EVSEB. *Hist. Eccl. lib. III. c. 1.*

(r) LACTANT. *de Mort. Persecut. cap. 2.* VALES. in *Notis*  
*ad Hist. Eccl. EVSEBII lib. II. c. 16.* PAGIVS in *Hist.*  
*Eccl. ann. Christi 43.*

(s) EVSEB. *l. c.*

(t) Vid. OROS. *lib. I. c. 2.*

rum hunc Apostolum Scytharum, Sogdianorum, & Sacarum facit, sed statim addit: *Et in Augusta ciuitate praedicauit, quae cognominatur magna, ubi est irruptio Apsari Et Phasis fluuius: illic incolunt Aethiopes interiores.* Ex quibus liquet, Scythas indicari, qui in Aethiopia Pontica circa Phasin & Apsarum fluuios habitauerunt. *Matthiam* ibidem gentes docuisse ex eodem **HIERONYMO** euidenter est, quando eundem in altera Aethiopia, ubi est irruptio Apsari Et *Hyssi portus*, *Euan-gelium praedicasse* refert. Valde ergo falluntur, qui putant, *Andream* & *Matthiam* ad Christianam religionem propagandam profectos esse in Aethiopiam illam magnam, quam hodie *Abasenam* dicunt. *Thomas*, **ORIGENE** indicante, *Parthos* sortitus est: **SOCRATES** *Indis* annunciasse uerbum Dei tradit. Sed notandum ex **HERODOTO**, regionem ex aduerso Tauricae Chersonnesi ad Bosphorum Cimmerium sitam, *Indicam* & postea *Sindicam* vocatam, intelligi, quae tunc *Parthis*, *Armeniae* dominis, paruit. In eadem India siue *Sindica* & *Bartholomaeus* egit; eam enim, ubi is fuit, Aethiopiae iunctam esse, **SOCRATES** ponit. Hinc autem non minus errant, qui *Bartholomaeum* & *Thomam* ad Indos orientales concessisse credunt; licet ea traditio haereat adhuc apud Christianos Indos in regione *Narfingensium* & *Charanganorensium* (u).  
Aposto-

(u) OSORIVS *Hist. ind. lib. II.*



Apostoli vero hac ratione non nisi Romae, in Graecia & in Asia litorali, quae a Palaestina ad Paludem usque Maeotidem protenditur, praedicationi incubuerunt. Quae amplius a GREGORIO NAZIANZENO, IOHANNE CHRYSOSTOMO caeterisque sequioris aetatis scriptoribus traduntur, in fabulis cubant. SCHELSTRATIVS Bibliothecae quondam Vaticanae Praefectus solide demonstravit (w), nullam in Africa Ecclesiam per Apostolos institutam esse, idque non solum Donatistas, sed & antiquos Patres communi consensu docuisse. In Americam eosdem Apostolos penetrasse, ne novitiis quibusdam authoribus credas. Galliam a Crescente Paulli discipulo primum instructam, eundemque Moguntiae quoque & Coloniae femina verbi diuini sparsisse, vulgaris, Patrum etiam quorundam, traditio est. Sed Paullus ipse ad Timotheum scribit, Crescentem in *Galatiam*, Asiae nempe minoris Prouinciam, abiisse. Maiorem fidem merentur SVLPITIVS SEVERVS, qui serius trans Alpes religionem susceptam scribit, & GREGORIVS TYRONENSIS (x), qui Decii demum Imperatoris tempore septem Episcopos ordinatos in Gallias ad praedicandum missos, esse, ex Saturnini Martyris historia, asserit. Et frustra huic se opponit AEGIDIUS

BV-

(w) *Dissert. I. de Eccles. Afric. cap. 2.*(x) *Hist. lib. IV. c. 30.*

BVCH  
admo  
Sociu  
ae Ma  
Episcop  
tigere.  
LIANV  
Christu  
qui Rom  
quibus sa  
nos Bard  
discipulo  
gloriant  
culo Xi  
ex LXX  
Catholican  
wich] ve  
Treueris,  
Et ibi fui  
ibidem pra  
tate Episc  
uit in pac  
HERVOR  
rum ser  
Christi d

(y) a

BVCHERIVS in Belgio Romano (γ). Sic & dubium  
 admodum est, a Petro Praeceptore missos Sixtum  
 Sociumque Sinnicium Remis, Eucharium, Valerium,  
 ac Maternum Treuiris, huncque etiam Coloniae  
 Episcopatus fundasse. Serius enim omnino haec con-  
 tigere. Si Patres Ecclesiae, IRENAEVUS, TERTVL-  
 LIANVS, THEODORETVS & alii, Germanos in  
 Christum credidisse dicunt, hoc de Trans-Rhenanis,  
 qui Romanis parebant, nec de omnibus, sed de ali-  
 quibus saltem, interpretandum est. Interim & apud  
 nos Bardewicensis Ecclesiam suam ab Egisto, Petri  
 discipulo, eiusque diacono Mariano originem habere  
 gloriantur. Vetus liber Archiuii Bardeuicensis se-  
 culo XIII. conscriptus haec nobis de iis indicat: *Duo*  
*ex LXXII. discipulis Domini ad praedicandum fidem*  
*Catholicam ad istas duas ciuitates [Treuerim & Barde-*  
*wich] venerunt, quorum vnus occisus & sepultus est*  
*Treueris, alius autem, nomine Egistus, venit Bardewich,*  
*& ibi fuit pro tempore homines istius ciuitatis docens,*  
*ibidem praedicando fidem catholicam, & in eadem ciui-*  
*tate Episcopatum instituens, & post haec ibidem quie-*  
*uit in pace.* Paulo aliter eandem rem HENRICVS  
 HERVORDIENSIS, celebris e familia Dominicanor-  
 um scriptor, enarrat. *Duo, inquit, ex LXXII.*  
*Christi discipulis missi sunt per B. Petrum Apostolum in*

T t 2

Teu-

(γ) lib. II. c. 3.



Teutonium, verbum Dei praedicaturi, vnus quidem in Treuerim super fluuium Mosellam scilicet, Egistus in Bardewick super fluuium Elmenow, cum Mariano, qui fuit Archidiaconus eius, & in Bardewick coronam martyrii perceperunt, vbi adhuc eorum corpora requiescunt, Egisti quidem in loco ignoto in maiori altari ad S. Petrum ibidem. Heruordiensem sequuntur ROLEVINCIUS, ANONYMVS de fundatione Ecclesiarum Saxonicarum, ALBERTVS CRANTZIUS, CENTVRIATORES MAGDEBVRGENSES, MICHAEL VRANIUS, PETRVS ALBINVS, ERPOLDVS LINDENBROGIVS, HENRICVS MEIBOMIVS & caeteri. CHRIST. SCHLOEPKENIVS, nuperi *Chronici Bardeuicensis* author (z), inseruit Sixti IV. PP. Bullam 12. Kal. Iul. 1478. datam, in qua dicitur, *Ecclesiam Bardeuicensem vnā esse de antiquioribus totius Germaniae Ecclesiis, a discipulis B. Petri Principis Apostolorum sub titulo & tenore eiusdem S. Petri & Coapostoli sui S. Pauli insignem, fundatam & consecratam, vt fide dignae tradant historiae.* Eadem fere repetuntur in alia eiusdem Sixti Bulla, 12. Kal. Sept. 1481. scripta (a). Vbi notes discipulos illos Petri non nominari, vt de nominibus ipsorum dubitatum intelligas. Vnum eorum non Marianum, sed Maternum vocat MAWERVS

in

(z) Part. II. cap. IV. §. 6.

(a) Vid. SCHLOEPKENII *Chron. Bardeu. l. c. §. 10.*

*in Descriptione poëtica, sed erronee.* Reliquias amborum Bardeuici asseruatas fuisse, omnes fere conueniunt. CRANTZIVS (*b*) post a Canuto Danorum Rege, cum Henrico Leoni in expugnando Bardeuico adesset, exorata a Leone, & in Daniam transmissa prodit. ROLEVINCIVS Egisti ossa suo adhuc aeuo Bardeuici superfuisse memorat (*c*). Caput Egisti ante viginti & quod excedit, annos SCHLOEPKENIVS ibidem visum affirmat. Mariani vero corpus non Bardeuici, vt HERVORDIENSIS tradit, sed Verdae in Sarcophago lapideo a Brunone I. Episcopo eius loci repositum, & deinde asseruatum fuisse. Chronicon Verdense & CRANTZIVS (*d*) attestantur. FVRMERIVS ex nescio quo vetusto oppidi Staurensis monumento perhibet, Egistum & Marianum in comitatu Verriti & Malorigis in eas partes peruenisse. Sub Nerone hi florere. SCHATENIVS coniicit Egistum & Marianum Germanae gentis homines cum Italo Rege in Cheruscos venisse. Sed eo tempore Petrus nondum Romam venerat. Apostolos hos Bardeuicenses a Thuriis, sub quibus Thuringos intelligit, caesos fuisse refert NICOLAUS MARSCALCVS, sed sine authore. Mariani memoriam Bardeuici cultam

T t 3

fuisse

(*b*) *Metrop. Sax. lib. 1. c. 1.*

(*c*) *de Laud. Westphal. part. 1. c. 3.*

(*d*) *Metrop. lib. 111. cap. 36.*



fuisse die tertio Nouembris, Fasti Lubeco-Colonien-  
ses (e), & ii, quos MOLANVS edidit, nobis indi-  
cant. CONRINGIVS (f) omnem de Egisti & Ma-  
triani Apostolatu reiicit historiam tanquam commenti-  
tiam. SAGITTARIVS (g) eiusdem est sententiae.  
Nec nos ab iis discedimus. Notum enim est, Caro-  
lum M. Bardeuicensibus primam Christianitatis lucem,  
intulisse. Nec vltra seculum decimum tertium quis-  
quam horum sanctorum meminit. Et fabulam omni-  
no sapit, quod Marianum Egisti Archidiaconum fa-  
ciunt. Tempora enim Apostolica hanc ordinis Ec-  
clesiastici distinctionem plane ignorarunt. *Egistum*  
tamen e *Xisto* siue *Sixto*, *Marianum* ex *Materniano*,  
sanctis Remensibus, effectum puto. Cogitationem hanc  
mihi ADAMVS BREMENSIS iniecit. Dicit is (h),  
S. Anscharium corpora sanctorum, quae dono Ebonis Ar-  
chiepiscopi susceperat, trans Albiam deportasse, & corpus  
quidem S. Materniani apud Heiligenstad (est is locus ad  
Sturium fluuium infra ltzehoam) *Xisti* vero & *Sinni-*  
*cii* cum aliorum martyrum patrociniis in vrbe Hamma-  
burg

(e) Vid. SOLLERII additiones ad Martyrolog. Vsuardi.

(f) De Constit. Episc. Germ. §. 3.

(g) In hist. Bardeuici cap. II. §. 15. sq.

(h) lib. I cap. 19.



burg collocauisse. Deinde addit (i), eundem Anscharium *Ramsolae*, in dioecesi Verdensi, *coenobium constituentem, reliquias Sanctorum Xisti & Sinnicii locauisse confessorum & alia patrocinia, quae ab Hamburg* (anno 845. direpta & incensa) *fugiens portauerit.* Ramsola Bardenico vicina est, & quaedam inde ex Materniani, siue, ut illi vocarunt, Mariani ossibus, cum caetera Verdam transferrentur, & deinde *Caput Xisti*, quod Anscharius, dum viueret, secum semper habuerat (k), acquisiuisse & coluisse potuerunt Bardenicenses. Credula posteritas, cum haec nesciret, primos inde Apostolos suos confinxit & cum a Sturio fluuio Mariani reliquias venisse intellexisset, a Thuriis ibi gentilibus occisum fabulata est. Parimodo reliquiae S. Feliciani Mindam olim delatae, incolis eius loci occasionem dedere, fingendi Felicianum primum illius regionis Apostolum fuisse.

§. XXXIII.

Nerone imperante, nihil magni in Germania gestum memoratur. Corporis Imperatorum custodiam Romae sub eo adhuc Germani habuere. Et Nero,

Custodiam  
corporis Imperatorum  
Germani habuere.

(i) cap. 2.

(k) Vid. HENSCHENII *Comment. Praenium ad vitam S. Anscharii* §. 12. in *Ab. SS. Antwerp. d. 3 Febr.*



ro, cum matri Agrippinae, quod dicta factaque sua acerbius exquireret, ac fecus agentem corrigeret, infensus esset, excubias militares, & Germanos custodes additos ab ea digredi iussit (1). Augustus ergo hos Germanos, post Vari cladem dimissos, mox resummississe debuit. Post eius enim excessum statim apud TACITVM (m) robora Germanorum Tiberio Imperatori adfuisse dicuntur. Habuere & caeterorum Imperatorum custodiam ad Galbam usque, qui cohortem ipsorum dissoluit. Iterum tamen adscitos a sequentibus Imperatoribus, ex DIONE concludas, qui de suo tempore. *Ac sunt, ait, etiam nunc peculiare corpus, & baculos gestant instar Centurionum.*

§. XXXIV.

Agger Drusi  
perfectus.  
Mosellae cum  
Arari con-  
iunctio fen-  
tata.

In Rheni litore Romano quietae ad id tempus res fuerant, & duces ex continuatione pacis decus quaerebant. Paullinus Pompeius Germaniae Inferiori, L. Vetus Superiori praeerant. Ne miles ex otio lasciuiret aut torperet, Paullinus inchoatum ante tres & sexaginta annos a Druso aggerem coërcendo Rheno absoluit. Si haec computes, anno circiter Christi LV. opus hoc absolutum est, sed tredecim post annis idem Ciuilis disiecit. Statuunt plerique illud in Batavia paulo supra

(1) TAC. *Annal.* XIII. SVETON. in *Nerone* cap. 34.

(m) *Annal.* lib. 1.

supra Traiectum inferius ad oppidum Durostatum fuisse. L. Vetus eodem tempore Mosellam atque Ararim facta inter vtrumque fossa connectere parabat: vt copiae per mare Mediterraneum subuectae, per eam fossam, mox fluuio Mosella in Rhenum, exin Oceanum expedita via decurrerent. Inuidit operi Aelius Gracilis Legatus Belgicae, & deterrendo Vererem, ne Legiones alienae prouinciae inferret, honestos illius cohibuit conatus (n). Fontes Araris & Mosellae vicini sunt in eo tractu, vbi iam est Ducatus Lotharingiae; vnde apparet, Lotharingiam olim partem fuisse Belgicae Primae.

§. XXXV.

Militis Romani tranquillitas nostros in audaciam prouocabat. Frisii, ius mouendi in hostem Legatis ereptum putantes, ad Rheini ripam Verrito & Malorige ducibus accessere, agrosque vacuos militum vsui sepositos infedere. Vibius Auitus, qui Paullino successerat in praefectura Germaniae istius, contra, ni abscederent, vim Romanam minitabatur. Hoc commoti Frisii abiere in veteres locos, atque, vt nouam sedem impetrarent a Caesare, Verritus & Malorix preces suscipientes Romam profecti sunt. TACITVS, Frisii & Amfivarii a Rheino remoti & pulsii. Cattorum & Hermundurorum bellum ob flumen sale foecundum. Per id Sala Franconicus intelligitur. Salis conficiendi vetus ratio. Vnde Pagus Grapfeld dicitur.

(n) TACIT. *Annal. lib. XIII. c. 53.*



qui harum rerum memoriam nobis vnice conseruauit, hic addit, Frisios principes, dum aliis curis intentum Neronem opperirentur, inter ea, quae barbaris ostentata fuerint, intrasse Pompeii theatrum, quo magnitudinem populi viserent: Illic per otium, dum confessum caeuae, discrimina ordinum, quis eques, vbi senatus, percuntarentur, aduertisse quosdam cultu externo in sedibus Senatorum: & quinam forent rogitantes, postquam audiuissent, earum gentium id honoris datum, quae virtute & amicitia Romana prae-cellerent, *nullos mortalium armis aut fide ante Germanos esse* exclamasse, degressosque esse & inter Patres confedisse. Placueret hi ausus, nobilis animi indices, Romanis, & Nero ambos Duces Romana ciuitate donauit, at Frisios agris decedere iussit. Nec tamen paruere antea, quam auxiliaris eques repente immis-sus, eos retrocedere compelleret. Eosdem agros, qui Chamauorum quondam, mox Tubantum, & post Vspiorum fuerant, Amfibarii, siue Amisii accolae, validior gens, sed tunc a Chaucis pulsi, & sedis inopes, occupauere. Praeerat iis *Boiocalus* clarus per illas gentes, & Romanis a longo iam tempore fidus. Vinc-tus is olim in bello Cherusco, iussu Arminii, mox Tibe-rio & Germanico Ducibus stipendia meruerat, obse-quo quinquaginta annorum. Haec ipse Auitum mo-  
nebat.

nebat  
blici in  
rum p  
spondit  
turum  
natus,  
qua mor  
virimqu  
& vteric  
sunt. Au  
maniae I  
go osten  
imminen  
cum cet  
retro ad V  
exacti, cur  
rore long  
dem caesi  
CITVS  
Cherusc  
est a N. C.  
Erat inter  
fale foecun  
rum vi ad  
di vel inf  
(\*) TA

nebat, terrasque postulabat, quas vacuas & ideo publici iuris esse existimabat. Auitus contra arbitrium earum penes Romanos esse Amfibariis in publicum respondit, ipsi Boiocalo, ob memoriam amicitiae daturum agros; quod ille ut proditionis pretium aspernatus, addidit: *Deesse nobis terra, in qua vivamus; in qua moriamur, non potest.* Atque ita infensis animis utrimque discessum. Nec mora, Brueteri, Tencteri, & vltiores etiam nationes sociae in bellum vocati sunt. Auitus monito Curtili Manco, Superioris Germaniae Legato, ut Rhenum transgressus arma a tergo ostenderet, ipse Tencterorum agros inuasit. Hinc imminenti excidio perterriti abstitero, quos Brueteri cum ceteris imitati sunt. Sola Amfibariorum gens retro ad Vspios & tubantes concessit: quorum terris exacti, cum Cattos, deinde Cheruscas, petissent, errore longo, egeni, hospites in alieno, iuvenes quidem caesi, imbelles in praedam diuisi sunt (o). TACITVS haec vnice prodidit, cui & sequentis inter Cheruscas & Cattos belli, quod eadem aestate, hoc est a N. C. LVIII. accidit, memoriam debemus (p). Erat inter Hermunduros & Cattos flumen gignendo sale foecundum & conterminum. Hoc quilibet illorum vi ad se trahebat vel libidine cuncta armis agendi vel insita religione. Putarunt enim, ut TACITVS

V V 2

inquit,

(o) TACIT. *Annal. lib. XIII. c. 55. 56.* (p) TACIT. *l. c. cap. 57.*



inquit, eos maxime locos propinquare coelo, praesque mortalium a deis nusquam propius audiri: inde indulgentia numinum illo in amne, illisque syluis falem prouenire, non ut alias apud gentes eluuiem maris, arescente vnda, sed super ardentem arborum struem fusa, ex contrariis inter se elementis igne atque aquis concretum. Salem hoc modo praeparandi communis Galliae Germaniaeque mos quondam fuit, PLINIO teste (q). Idem iam ante M. TERENCEI VARRO obseruarat. Libro enim *de Re rustica I. In Gallia, inquit, transalpina intus ad Rhenum, cum exercitum ducerem, aliquot regiones accessi, ubi falem non fossicium nec maritimum haberent, sed ex quibusdam lignis combustis, carbonibus falsis pro eo uterentur.* Aquam falsam ardentibus prius lignis superfusam VARRO hic dicere oblitus est. Quodnam flumen fale foecundum intelligatur a TACITO, eruditi certant. Plerique pro fontibus Halensium falsis pronunciant (r). CONRINGIVS tamen recte obseruat (s), ibi Catos Hermundurorum vicinos non fuisse, & hinc inclinat in Scaturiginem falsam, cuius AGRICOLA (t) in Elbogano tractu prope Schoenbachium me-

(q) PLIN. lib. XXXI.

(r) Vid. KIRCHMAYERI *Dissert. de Bello praefatioque de Salinis Catos inter & Hermundurios* §. 5.

(s) *Dissert. de Sale, Nitro & Alumine* §. 14.

(t) *Lib III. Fossil.*

meminit. Sed TACITVS flumen nominat. Vnde ego Salam intelligi Franconicum puto, quem Catts & Hermunduros interfluxisse, non est dubium. Et salinas ibi fuisse, ipsum *Salae* nomen indicat, *fluuium sale praegnantem* designans. Adiacet ei Kissinga, prope quam adhuc Sal excoquitur (v). Bellum autem ob Salinas susceptum Hermunduris prosperum, Cattis exitiosius fuit, quia victores, more barbaro, diuersam aciem Marti ac Mercurio, Tuiftoni forte & Irmino, sacrauere, quo voto equi, viri, cuncta victa occidioni data sunt. Est inter Salam Franconicum, Moenumque & Thuringicam sylvam secus Werram fluuium regio satis ampla, quae olim *pagus Grapsfeld* audiit. Frequens eius mentio fit in Chartis Fuldensibus, & CHRISTIANVS IVNCKERVS inde accuratam eius descriptionem nobis dedit (w). Hunc Pagum ab occisorum ibi ab Hermunduris Cattorum *sepulchris* potius, quam a fossis, quae ibi nullae, aut a Comitibus Hennebergicis, nomen habere, verosimile est. Aliquando idem pagus in vetustis monumentis, vna cum aliis quoque minoribus pagis, comprehensus cernitur *Pago Salageue*, qui etiam inter Salam & Moenum, Werramque orientem & syluae Thuringicae confinia olim procurrit.

Vv 3

§. XXXVI.

(v) Vid. THOELDENII *Halographia* p. m. 177.

(w) *Geograph. Mediae* pag. 224. sqq.

## §. XXXVI.

Iuhonum co-  
lonia combu-  
sta. Vbi fi-  
ta fuerit.

Aliam rem memorabilem TACITVS (x) Cat-  
torum cladi ab Hermunduris acceptae annectit. Ci-  
uitas Iuhonum socia Romanis, eodem tempore, ma-  
lo improviso afflicta est. Nam ignes terra editi vil-  
las, arua, vicos passim corripuerunt, & venerunt in  
ipsa conditae nuper coloniae moenia. Neque extingui  
poterant imbre & fluuiialibus aquis aut alio humore.  
Agrestes quidam eminus primum saxa iecere, dein  
residentibus flammis propius sgressi, ictu fustium  
aliisque verberibus, vt feras absterruere, postremo  
tegminibus corpori direptis & iniectis extinxere. An  
ignis terra eruperit, dubito. Forte ex nimia siccita-  
te gramina se se incendere, quod & aliquando in O-  
rientalibus prouinciis legitur accidere. *Iuhonum* ci-  
uitatis siue populi situs in obscuro est. RHENANVS  
Frisiis & mari proximos fuisse arbitratur. PIGHIUS  
Hoiium oppidum in Eburonibus, vulgo Huy, indica-  
ri statuit, & ONVPHRIVM *Iuhonum coloniae* lapidem  
ibi inuentum meminisse refert. Sed non immerito  
CLVVERIVS de ONVPHRII hic fide dubitat, & cum  
LIPSIO potius statuit, alius in ipsa Germania atque  
in vicinia Cattorum & Hermundurorum, cum qui-  
bus a TACITO coniungi videntur, Iuhones esse quae-  
rendos.

(x) *Annal. lib. XIII. c. 77.*



rendos. Hoc enim aevo Romani in media etiam Germania colonias fundarunt, quemadmodum Mattiacorum quoque ciuitas focia Romanis fuit & Romanos iuxta suos habuit habitatores. Vt igitur Cattis & Hermunduris vicini fiant Iuhones, ego eos in Franconia inter Radantiam Moenumque coluisse statuo. Si u Gallico more enuncies, quod antiquitus ita factum est, nomen *Iuhonum* castrum *Giech*, & in vicino monte locus *Gickel*, nec non prope illum in via Bambergenfi *Strasf-Giech* & *Wiesen-Giech* adhuc nostra hac aetate referunt. Per conditam igitur a Romanis nuper Coloniam aut Norimberga vrbs aut vicinior Forchemium intelligenda est.

§. XXXVII.

Nero interim Romae totus ludicris occupatus Britannica. Britanniam pene amisset. Anno Christi LVIII. parti insulae a Claudio occupatae praeerat Varanius, qui tamen intra annum obiit, & successorem habuit Paulinum Suetonium scientia militiae & recepta Armenia inclytum. Biennio is prosperas res habuit, sed anno Christi LXI. insulam Monam, quae nunc *Anglesey* dicitur, aggressus, Britannis iugum Romanum grauiter ferentibus ad libertatem pristinam adspirandi occasionem dedit. Facilis excutiendi seruitutem via videbatur, exercitu Romano alibi occupato. Dux Bri-



Britannorum erat Boudicea, virilis animi foemina, vidua Prasutagi Regis Icenorum, qui Caesarem heredem duasque filias scripserat, ita regnum & domum suam procul iniuria fore ratus; quod contra vertit. Regnum enim per centuriones vastatum, domus per seruos; vxor eius Boudicea verberibus affecta & filiae stupro violatae; Icenorum vero ipsorum praecipui auitis bonis exuti & propinqui regis inter mancipia habiti. Haec contumelia & metus grauiorum ad vindictam incendit. Saeuitum igitur vndique in Romanos, & ingens Britannorum exercitus eosdem penitus extirpasset, nisi periculo suorum accepto Suetonius medios per hostes Londinium, copia mercatorum & commeatum iam tum maxime celebre, in tempore venisset. Hinc agmine decem millium virorum in hostes mouit, qui CCXXX. millium numero Romanos expectabant. Pugnatum est magno feruore & aequo primum Marte, tandem victoria a partibus Romanis stetit & paulo minus quam octoginta millia Britannorum cecidere, militum tantum Romanorum quadringentis ferme interfectis, nec multo amplius vulneratis. Boudicea aut ex moerore aut veneno sumto paulo post obiit. Vno vero hoc praelio Britannia Romanis seruata, cum interim Nero adeo nullam augendi propagandique imperii aut voluntatem aut spem haberet, vt etiam ex Britannia exercitum

tum d  
treca  
tuto d  
copiis  
pressit  
rebat,  
liano,  
& pax  
Interim  
tu, cum  
fessioni  
est (2).

Ner  
libidini t  
que cogit  
carat orb  
ne passim  
cia, quo  
triumpha  
cessit, vbi

(1) s  
(2) r

tum deducere cogitaret. Nec nisi verecundia, ne ob-  
 tractare parentis gloriae videretur (y), ab hoc insti-  
 tuto desistens, Suetonii exercitum missis e Germania  
 copiis quibusdam auxit. Suetonium mox invidia de-  
 pressit, & ipse, durante adhuc bello, quod feliciter ge-  
 rebat, exercitum tradere coactus est Petronio Turpi-  
 liano, qui compositis prioribus nihil vltra ausus est,  
 & pax in Britannia vsque ad Vespasiani aetatem fuit  
 Interim in ipso Britannorum aduersus Romanos mo-  
 tu, cum Suetonius Mona decederet, haec insula sepos-  
 sitioni Romanae eripuit, sui que iuris iterum facta  
 est (z).

§. XXXVIII.

Nero Caesar haecenus citharae tragicique cantus  
 libidini totus immerfus, profunda animi vitia, diras-  
 que cogitationes inter lupanaria prostitutosque expli-  
 carat orbi Romano, atque in humanum genus impu-  
 ne passim faeuierat. Anno Christi LXVII. e Grae-  
 cia, quo profectus erat, in Italiam rediit, Romamque  
 triumphantis more ingressus est. Inde Neapolim con-  
 cessit, vbi eo ipso die, quo matrem Agrippinam occide-  
 rat,

*Neronis ex-  
 trema & in-  
 teritus, Cae-  
 sarum no-  
 men non  
 amplius fa-  
 miliae, sed  
 dignitatis in-  
 dex.*

(y) SVETON. *in. Neron. cap. 18*

(z) TACIT. *Annal. lib. 14. a cap. 29. vsque ad cap. 39. IDEM  
 in vita Agricola cap. 14. 15. 16. DIO lib. LXII.*

rat, de motu Galliarum cognouit (a). Author illius erat Iulius Vindex, qui eam prouinciam Praetor obtinebat, natione Gallus, stirpe a maioribus Regia, a patre ordinis Senatorii. Hic Gallos nimia iam exactione tyrannideque ad defectionem pronos in arma aduersus Neronem impulit. Sulpitius Galba, vir nobilis, Consularis & iustitiae bellique laude insignis, qui tum Hispaniae Taracouensi praeerat, in partes tractus est, imperio oblato (b). Nec diu cunctatus Galba conditionem partim metu, partim spe recepit. Nero seditione, vt dixi, accepta praetrepidus Romam rediit, & vbi Hispanias etiam sub Galba descuiisse intellexit, animo male fracto diu & sine voce & prope intermortuus iacuit. Dum interim expeditionem aduersus Vindicem pararet, Verginius Rufus Germaniae superioris Praefectus cum copiis Rhenanis aduersus Vindicem mouit, quae Verginio etiam inuito, prope Vefontionem agmen rebelle prostrauere. Tanto casu irritatus Vindex violentas sibi ipsi manus intulit. Verginio inde imperium a militibus offertur, quod ille quidem magno animo recusauit, persuasit tamen, vt authoritatem senatui populoque restituerent. Nuntius Romam haec detulit, vbi & aliorum exercituum defe-

(a) SVETON. cap. 25. § 40.

(b) SVETON. cap. 40. DIO apud XIPHILINVM.

defectio percrebuit. Neroni haec tanto terrori fue-  
 re, vt ex vrbe profugiens, se ipsum pugione in iugu-  
 lum adaeto, interficeret (c). Interitum eius an. Chr.  
 LXVIII. & quidem die nona Iunii contigisse P A G I V S  
 (d) ostendit. Progeniem Caesarum in Nerone defe-  
 cisse SVETONIVS dicit (e), cui potius credendum,  
 quam IOANNI HARVDINO contra omnium veterum  
 scriptorum auctoritatem statuenti (f) Galbam, Vitel-  
 lium & Othonem ex familia seu gente Caesarum fuisse  
 & post mortem Neronis Imperium a Senatu, quem-  
 que in sua prouincia, commendatum habuisse. Nec,  
 vt ille prodit, nugae sunt & fabulae caedes Augusto-  
 rum ab historicis Romanis proditae. A morte itaque  
 Neronis ex familia Iulia vltimi *Caesaris* nomen non am-  
 plius familiae, sed dignitatis fuit. Ante obitum Nero-  
 nis quicumque filius Caesari patri nascebatur, is origi-  
 ne nascendi dicebatur Caesar ac filius Augusti & Impe-  
 rii successor reputabatur, si tamen ab Imperatore vel  
 Tribunitia potestate vel Imperio Proconsulari exorna-  
 tus fuisset aut testamento successor nominatus esset. At

X x 2

post

(c) SVETON. cap. 40. sqq. XIPHILINVS ex DIONE.

(d) in *Critica Annal. Baronii ad h. a.*

(e) in *Galba cap. I.*

(f) in *Chronologia Vet. Test. ad an. Chr. 68. it. in Historia Augusti  
 ex Nummis pag. 725.*



post Neronem filii Augustorum Caesares non ante appellati sunt, quam a patribus Imperatoribus eo nomine ac dignitate cohonestarentur, idque cum spe ad successionem Imperii eiusque aliquo consortio (g).

§. XXXIX.

Turbæ in imperio sub Galba, Ottonē, Vitellio, Vespasiano. Hierosolymæ captæ & dirutæ.

Euulgato post mortem Neronis Imperii arcano, posse Principem alibi quam Romæ fieri (b), Galba, qui in Hispania, Neroni rebellis, Legatum se hactenus Senatus populique Romani professus fuerat, a Senatu Imperator nominatus est. *Caesaris* ille mox appellationem, ubi deputati a Senatu in Gallia ad eum venissent, assumpsit (i). Hinc vero animum ad vindictam intendit, nec prius paludamentum & pugionem a pectore dependentem deposuit, quam oppressis, qui novas res moliebantur, Praefecto Praetorii Nymphidio Sabino Romæ, in Germania Fonteio Capitone, in Africa Claudio Macro Legatis. Praecesserat de eo fama saevitiae simul atque crudelitatis, quam veram esse sub adventum eius Roma experta est. Inducta tunc etiam Legio Hispana, & urbs exercitu insoluto repleta: Multi ibi ad hoc numeri e Germania, Britannia, Illyrico, quos alio prius destinatos, opprimendis Vindicis

(g) V. PAGII *Critica in Annales Baronii ad an. Chr. 69. n. 4.*

(b) TACITVS *Hist. lib. I. c. 4.*

(i) SVETON. c. II. PLVTARCHVS in *Galba* pag. 1496.


dicis coeptis reuocauerat Nero. Verginius Rufus, cum a Galba timeret, amicitiae specie e Germania superiore euocatus eique in legatione Hordeonius Flaccus substitutus est. Ex leuicula etiam suspicione Germanorum cohortem, a Caesaribus olim ad custodiam corporis institutam multisque experimentis fidelissimam dissoluit, ac in patriam sine vilo commodo remisit (k), magno suo malo. Vix enim, si eos apud se retinisset, a milite in Othonis Pisonis adoptionem aegre ferentis partes pertracto occidi potuisset; cum & alius Germanorum vexillationis fides in occisum patuit. Hi enim, vbi periclitari Imperatorem audiissent, ob recens meritum, quod se Alexandria redeuntes atque ex longo itinere aegros & inualidos magnopere fouisset, in auxilium aduolauere; sed serius, itinere deuio per ignorantiam locorum retardati, cum interim Galba iam ad lacum Curtii die Ianuarii decima quinta anni a C. N. LXIX. iugulatus esset. (l) Dum itaque Otho Romae imperium arriperet, in Germania inferiori Vitellius, torpidi alias ac luxuriosi ingenii homo, ab exercitu, cui a Galba praefectus erat, Coloniae Imperator constitutus est. Mox in partes eius cessere Germania superior, Britannia & Gallia.

Xx 3

(k) SVETON. c. 12.

(l) SVETON. c. 20 & ad h. l. IORRENTIVS. adde PAGII

Criticam in Baron. ad b. e.



Gallia. Sed ad capeffendam principatus fortunam bello opus erat. Vitellius igitur cum copiis Germanicis iter in Italiam ingrediens *Germanici* nomen addi fibi passus est, Caesarem se appellari etiam victor postea prohibuit (*m*). HARDVINVS in *Historia Augusta* (*n*) nummum argenteum Domini De Boze recenset, in cuius vna parte caput Laureatum cum verbis: A. VITELLIVS GERM. IMP. AVG. TR. P. in altera duo capita nuda, iuuenilia & aduersa cum inscriptione: LIBERI IMP. GERMAN. h. e. *Liberi Imperatoris Germanici*.



Praemissus in Italiam exercitus Vitellii Alpibus superatis cum copiis Othonianis ad Bedriacum vicum Veronam inter & Cremonam, felici praelio congressus est. Otho suorum cladem Brixelli audiens, sibi ipsi anno

(*m*) SVETON. *Vitell. c. 8.* (*n*) *Oper. pag. 728.*



anno LXIX die 16 Aprilis manus conscivit. Nec Vi-  
 tellii luxu diffluentis imperium diuturnum fuit. Sub  
 ipsum eius aduentum motus quidam, sed leuiore,  
 in exercitu oriebantur. Cohortes tamen Batauorum,  
 ne quid truculentius auderent, in Germaniam re-  
 missae, principium, vt TACITVS ait, interno simul  
 externoque bello parantibus fatis. Cattae mulieris  
 vaticiniis Vitellium aures praebuisse SVETONIUS in-  
 dicat, vt cernas adeo Romam nunc Sibyllas quoque  
 e Germania habuisse. Octauo Imperii mense descie-  
 uerunt ab eo exercitus Moesiarum atque Pannoniae,  
 ex transmarinis item Iudaicus & Syriacus: ac pars in  
 absentis, pars in praesentis Vespasiani verba iurarunt, qui  
 tunc Iudaea subacta in obsidione Hierosolymarum haere-  
 bat. Accesserunt Vespasiano externa auxilia Sido atque  
 Italicus Reges Sueuorum. Tandem in Italiam itum, &  
 non vno in loco bellatum est. Fortuna tamen Vitelliorum  
 vbique deterior fuit. Post multas velitationes & prae-  
 lia Romam venire copiae Vespasiani. Vitellius ibi  
 tero certamine victus & in latebras aufugiens a mi-  
 litibus die vicesima prima Decembris trucidatus est (o).  
 Male enim IOSEPHVS mensem hic Octobrem nomi-  
 nat (p). Vnanimi hinc consensu imperium T<sup>ro</sup> Fla-  
 uio Vespasiano decretum est, qui, expectato tempo-

re

(o) TACITVS *Hist. lib. III.*(p) vid PAGIVM *adh. a.*



re nauigandi opportuno, Alexandria soluit & Romam properauit, Tito filio ad conficiendum Iudaicum bellum relicto. Hic anno Christi LXX. castra aduersus Hierosolymas posuit paulo ante festum Azymorum diem, hoc est, mense Aprili (q). Cepit autem locum eodem anno, octauo Septembris die, qui DIONE teste; Saturni erat, & funditus excidit splendidissimam urbem. Hinc Triumphus Tito decretus, quem vna cum patre celebrauit anno sequenti. Apud MEDIOBARBVM nummus extat, in quo cernitur IMP. CAES. VESPASIAN. AVG. P. M. TR. P. COS. III. Postica huius nummi sistit Imperatorem in quadrigis, qui dextra ramum tenet atque a victoria coronatur; ante eum tibicen, & ante currum duo captiui, manibus post terga reuinctis, qui videntur esse Iohannes & Simon praecipui Iudaeorum duces, quos in triumpho ductos IOSEPHVS scribit (r). Inscriptio addita: TRIVMP. AVG. In aliis eiusdem Vespasiani nummis cernitur figura muliebris inter spolia prope Palam Iudaeae symbolum, sedens, sub inscriptione: IVDAEA CAPTA.

§. XL.

Haec inter prouinciae Romanorum remotiores animos sustulere, Britanni praesertim, auctore Venustio,

Britannicus  
tumultus.  
Dacorum in-  
cursio in  
limitem Ro-  
manorum.

(q) IOSEPHVS de bello Iudaic. lib. VI. & VII.

(r) de bello Iud. lib. VII. c. 24.

fio, qui Romano nomini infensus, propriis etiam in  
 Cartismanduam Brigantum reginam stimulis accende-  
 batur, quod spreto se marito armigerum suum Vel-  
 locatum in matrimonium & regnum accepisset. Bri-  
 gantes cum aliis pluribus ad ipsum defecerunt, & pe-  
 riisset Regina, nisi Romanae copiae auxilium tulif-  
 sent, ipsamque periculo exemissent. Regnum tamen  
 Venusio, bellum Romanis relictum (s). Dacorum  
 gens, vbi Romanus miles e Moesia aduersus Vitel-  
 lium abductus esset, sine metu agebat, & expugna-  
 tis hibernis cohortium alarumque utraque Danubii  
 ripa potiebatur, vixque a Fonteio Agrippa Moesiae  
 Praefecto in ordinem redacta est. Orientalium natio-  
 num commotionem praetero. Turbae, quae so-  
 cordia ducum & seditione Legionum Germanicum  
 Gallicumque limitem concussere, praecipue comme-  
 morari merentur. Bataui olim pars Cattorum fue-  
 rant; sed seditione domestica pulsi extrema Gallicae  
 orae vacua cultoribus, simulque insulam inter vada  
 sitam occupauere. Hanc mare Oceanum a fronte,  
 Rhenus amnis tergum a latera circumluit. Pars eius  
 nostris adhuc temporibus, veteri appellatione, Be-  
 tauia dicitur. A Romanis subacti, virtute, nandi stu-  
 dio

Batauorum &  
 Caninefatum  
 bellum cum  
 Romanis du-  
 ctu Claudii  
 Ciuilis.

(s) TACIT. *Hist. lib. III, c. 45.*



dio & equitatu per Germanica & Britannica bella e-  
 minuerant. Principes fuerant Iulius Paullus & Clau-  
 dius Ciuilis, regia stirpe orti. Paullum Fonteius Ca-  
 pito falso rebellionis crimine interfecerat. Ciuili in-  
 iectae catenae; missusque ad Neronem & a Galba ab-  
 solutus, sub Vitellio iterum discrimen adierat, exer-  
 citu supplicium eius flagitante. Hae causae ipsi ira-  
 rum, & spes ex turbulento rerum Romanarum statu.  
 Occultato tamen ab initio rebellionis consilio non prius  
 animum suis patefecit, quam Vitellii iussu ad dilec-  
 ctum Batauorum iuuentus vocaretur. Hic primo-  
 res gentis & promptissimos vulgi, specie epularum  
 in sacrum nemus vocatos, in Romanos concitauit.  
 In societatem aduocati *Caninefates* eiusdem insulae  
 Batauicae versus mare incolae, a quibus *Brinio* cla-  
 ritate natalium insignis, cuius pater multa hostilia au-  
 sus Caianarum expeditionum ludibrium impune spre-  
 uerat, scuto impositus more gentis & sustinentium hu-  
 meris vibratus Dux dilectus est. *Brinionis* nomen  
 dem est ac illud *Brunonis*, quod postea in Ottonum  
 Caesarum familia frequenter occurrit. Frisii quo-  
 que, Bructeri, Tenchteri caeterique Germani Rhe-  
 no propinquiores in conspirationem Ciuilis se vltro  
 obtulere. Studium is primo in Vespasianum praeten-  
 dit: audita vero Vitellii morte omissa dissimulatione  
 in

in pop  
 liquot  
 rutae,  
 reddi p  
 Histori  
 mancu

cuius s  
 legimus,  
 mam dec  
 cuius ma  
 belli hui  
 num pra  
 late impe  
 quo plera  
 perstition  
 in libello  
 olim Aur  
 adulatione  
 niae nome  
 mulier pra  
 IORNAN

(e) lib  
 (x) 1

in populum Romanum aperte ruit. Fusae caesaeque aliquoties horum copiae, castra capta & urbes dirutae, nec Bataui nisi pace honesta pristinae quieti reddi potuere. TACITVS haec fusius enarravit *libro Historiarum quarto & quinto*, circa fidem tamen belli mancus est.

§. XLI.

Nec, quod in libello de Germania innuit, & cuius *STATIVS* (*t*) quoque meminit, hodie in eo legimus, qua occasione nempe a Romanis capta & Romam deducta sit *Velleda* virgo in *Bructeris* Princeps (*u*), cuius magna tunc autoritas apud suos, quod sub initia belli huius prosperas Germanis res & excidium legionum praedixisset; Eam virginem nationis *Bructerae* late imperitasse, & vetere apud Germanos more, quo plerasque foeminarum fatidicas & augefcente superstitione arbitrentur deas, Numinis loco habitam in libello de *Germania* idem TACITVS refert. Sed & olim *Auriniam* & complures alias venerati sunt, non adulatione, nec tanquam facerent Deas (*x*). *Auriniae* nomen ex *Alrune* corruptum sine dubio est, quo mulier praesaga & sacra apud nos adhuc designatur. IORNANDES magas mulieres generatim apud Gothos

De Velleda  
vate Bructe-  
rorum.

Yy 2

Alio-

(*t*) lib. 1. Silo. (*u*) TACIT. lib. IV. c. 61.

(*x*) TACIT. Germ. c. 8.



*Aliorunas* vocatas scribit. Ciuilis Mumium Luper-  
cum Legatum legionis in praelio captum inter dona  
Velledae misit. Quando inter Tencteros & Agrippi-  
nenses de societate iungenda ageretur, Agrippinenses  
ad Ciuilis & Velledae arbitrium prouocauere. Et hic  
& illa, donis missis requisiti, pro Agrippinensibus  
sententiam dixere. Interim TACITVS hic memorat,  
coram adire alloquique Velledam negatum. *Arceban-  
tur*, inquit, *aspectu, quo uenerationis plus inesset: Ipsa  
edita in turre: delectus e propinquis, consulta respon-  
saeque, ut internunciis numinis, portabat* (y). Vbi  
porro Ciuilis classẽ Romanam deuicisset, praeto-  
riam triremem flumine Luppia donum Velledae trahi  
fecit (z). Petilius Cerealis tandem pacem cum Ci-  
uili & Batauis desiderans, Velledum promissis illexit,  
vt popularibus eandem suaderet (a). Meminit eius  
etiam DIO (b), qui *Σειδάστου* appellat. Et licet capti-  
ua deinde Romam sub Vespasiano ducta & a TACITO  
ibi visa sit, memoria tamen ipsius apud Germanos  
perpetuo in honore mansit. Et, celebratur adhuc in  
fabellis plebeiis nomen *Dominæ Holdae*, praesertim  
in Saxonia superiore, quae vates olim, iam circa na-  
tiuitatem Christi noctu per domos circuire & labores  
an-

(y) TACIT. *Hist. lib. IV. c. 65.* (z) TACIT. *Hist. lib. V. c. 22.*

(a) TACIT. *L. c. c. 24.* (b) *lib. LXVII.*

ancillarum visitare dicitur. Meminit illius WALAFRIDVS STRABO in elogio Iudithae Augustae Ludouici Pii Imp. coniugis, vbi canit:


*O si Sappho loquax vel nos inuiferet Holda,  
Ludere iam pedibus vel ferre futura valeres.*

Nisi tamen WALAFRIDVS hic non tam ad Holdam Germanicam, quam ad vatem sacram coniugem Sallumis in libro Regum secundo cap. XXII. v. 14. memoratam respexit. Holdae interim & Velledae idem nomen est, vt etiam olim Hülff & Wulf vel Welf indifferenter auxilium denotauit, id quod pluribus in opere Etymologico ostendimus. Velledae itaque appellatio mulierem gratiosam vel beneficam designat nobis, quibus hold vulgo gratiam aut fauorem denotat. Inquirendum etiam foret, an a Sorabis Germanorum siue Hermundurorum terris postea illatis Velledae nomen in illud Fauetae corruptum sit, quo vtuntur rustici circa Lipsiam Holdae loco; an vero alia vates vetus subintelligatur.

§. XLII.

Bructerorum, in quibus Velleda dominabatur, nulla porro apud TACITVM fit mentio; in libello solum de Germania meminit, suo tempore narratum, in terras ipsorum, a Tencteris ad Luppianam vsque extensas, Chamauos & Angriuarios immigrasse pulsos Bructeris ac penitus excisis, qua de causa incertum:

Bructerorum  
excidium.



& super LX millia non armis telisque Romanis, sed oblectationi oculisque cecidisse (c). Interim, gente deleta, nomen tamen ipsius succedentibus terrarum istarum incolis mansit. Nam *Busæteri* apud PTOLEMAEVM omnino corrupte pro Bructeris siue Boruæteris nominantur; & Caroli Martelli Pipinique aevo adhuc *Boruætuari* superstites, veteris Saxoniae regionem ad Luppiam incoluisse leguntur.

§. XLIII.

Reliqua Vespasiani & Titi, Plinii Maioris interitus & scripta.

Bellum Batauicum de caetero circa finem anni Christiani LXX. finitum est. Firma inde pax Germanorum cum Romanis per reliquam Vespasiani & Titi etiam aetatem fuit, Imperatoribus hisce alibi & praesertim in Oriente occupatis. Vespasianus anno Chr. LXXIX. decessit & primus filium Titum Imperii haeredem fecit, qui ante hac Tribunus militum & in Germania & in Britannia meruerat, summa industria nec minore modestia ac fama (d). Sub prima eius imperii initia accidit incendium Vesuuii, quo PLINIVS Senior, Historiae naturalis descriptor egregius, morte luit curiositatem propius visendi hoc miraculum. PLINIVS Iunior testis oculatus, exacte nobis illud depinxit

(c) TACIT. *Germ. cap. 33.*

(d) SVETON. *Tit. c. 4.*





xit *Epistola ad Tacitum de morte auunculi conscripta* (e). Idem alia *Epistola ad Macrum* directa studia eiusdem auunculi sui recensuit (f). Inter libros ipsius deperditos vel maxime desiderandi nobis sunt viginti volumina, quae composuisse dicitur de bellis omnibus a Romanis cum Germanis gestis (g). Prouocat ad ea TACITVS Annalium libro primo; & SYMMACHVS postea eorundem mentionem facit (h). Opus hoc Augustae Vindelicorum extitisse credidit CONRADVS GESNERVS, & hoc alicubi se legisse affirmavit. Sed VOSSIO assentior, qui fucum ipsi ab aliquo per epistolam factum arbitratur. Titus in eadem, qua pater, villa in Sabinis obiit anno Chr. LXXXI.

## §. XLIV.

Titum, quem delictum Generis humani vocauerunt, Domitianus frater, dissimilis admodum ingenii, anno Christi LXXXI. excepit, in quo dubites pigritia, an crudelitas praeualuerit. Vt tamen aliquam de se expectationem excitaret, GERMANICI cognomen (i), & postea expeditionem in Cattos anno LXXXIV. sponte suscepit, nulla alias necessitate, & ne minimo quidem

Domitiani  
expeditio in  
Cattos. Cheruscorum  
clades a Cattis  
accepta, Dacorum irruptione. Domitiani triumphus mimicus de Germanis.


(e) lib. VI. Ep. 16.

(f) lib. III. Ep. 5.

(g) PLIN. III. lib. Ep. 5. SVETON. in vita Plinii. VOSSIVS de. Hist. Latin. lib. I. c. 29.

(h) lib. IV. Ep. 12.

(i) SVETON. Domit. c. 15.



quidem successu. Risere enim Germani tantos eius apparatus, atque vbi exercitus Romanus aduenit, eum fortiter exceperere, magnaue clade affecere. Ipse Legato in praeliis vsus (k), & hoste nusquam viso domum reuertit (l). Nostri vero animos sustulere, nec iam cum Romanis de libertate, sed de ipsorum feruitute certarunt: ac ne inducias quidem, nisi aequis conditionibus inirent, legesque vt acciperent, dedere. Haec PLINIVS in *Panegyrico Traiani* prodidit. Charimerus tamen Rex Cheruscorum Romanis in hac expeditione fauisse videtur, sed suo malo. THEODOSIVS enim in *Excerptis ex DIONE* refert, eum a Chattis imperio suo propter amicitiam cum Romanis eiectum, primum socios sibi quosdam adiunxisse & in recuperando regno superiorem euasisse: postea desertum ab eis, cum Romanis obsides misisset, ac Domitianum supplex orasset, non impetratis auxiliis, pecuniam tamen accepisse. Hoc itaque tempore accidit in Germania clades Cheruscorum, cuius TACITVS meminit (m). Et qui olim *boni aequique Cherusci*, post haec *inertes & stulti* vocati sunt. Prouerbio Germanico putes *die Werrischen die naerrischen* dictos fuisse. Cattis victoribus fortuna in sapientiam cessit.

Tacti

(k) OROS. lib. VII.

(l) XIPHILINVS ex DIONE.

(m) Germ. c. 36.

Tacti  
 amner  
 cii, cu  
 no adu  
 Deceba  
 manos  
 consular  
 tamen n  
 Christi L  
 de extinc  
 quo tam  
 commer  
 uorum  
 quoque p  
 incessit  
 phi mim  
 DIOBARB  
 AVG. GE  
 quadriga,  
 prum ter  
 HARDVIN

(n) TA

(o) SV

(p) SV

(q) TA

(r) SV

Tacti ruina Cheruscorum & Fosi, contermina ad  
 amnem Fusamgens, aduersarum rerum ex aequo so-  
 cii, cum in secundis minores fuissent (n). Domitia-  
 no aduersus Cattos profecto, Daci Getaeque, quibus  
 Decebalus praecerat, tempus opportunum rati, vt Ro-  
 manos a ripa Danubii depellerent, Appium Sabinum  
 consularem exercitumque eius oppressere (o). Nihilo  
 tamen minus Domitianus hoc eodem anno & quidem  
 Christi LXXXV. de Cattis, Dacisque, (reuera autem  
 de extinctis legionibus suis) triumphum egit (p). In  
 quo tamen vel ipsi Romae derisui erat, quod per  
 commercia emisset, quorum habitus & crines in capti-  
 uorum speciem formarentur (q). Domitianus inde  
 quoque purpurea amictus toga Germanica aliquando  
 incescit (r). Extant plurimi nummi, quibus trium-  
 phi mimici memoria conseruata. In vno apud ME-  
 DIOBARBVM legitur: IMP. CAES. DOMITIAN.  
 AVG. GERM. COS. X. In postica parte visitur  
 quadriga, quam Imperator dextra regit, sinistra sce-  
 ptrum tenens voce GERMANICVS superscripta.  
 HARDVINVS in *Historia Augusta* similem adducit  
 nummum,

(n) TACIT. l. c.

(o) SVETON. *Domit. c. 6.* EVTROP. *lib. 7.*

(p) SVETON. l. c. *Hist. Miscella. lib. IX.*

(q) TACITVS in *Vita Agricolae cap. 39.*

(r) SVETON. *cap. 4.*



nummum, in cuius postica Imperator post trophaeum stans cum clypeo, captiuo retro sedente cum inscriptione: GERMANIA CAPTA. S. C. In alio nummo sequentis anni apud MEDIOBARBVM cernitur: IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. COS. XI. CENS. POT. P. P. In auersa parte Germania sedet captivae habitu, & inscriptum est: GERMANIA CAPTA S. C. Alius apud HARDVINVM, & quidem eiusdem temporis cum priore in postica habet Victoriæ stantem & clypeum super trophaeo tenentem, in quo: DE GER. Item alius Imperatorem iuxta trophaeum stantem & Germaniam, quae sedet lugetque ad pedes trophaei respicientem, exhibet cum inscriptione: GERMANIA CAPTA. Sequenti quoque anno cusus nummus a MEDIOBARBO recensetur, in quo extat: IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. COS. XII. & in postica visitur Imperator stans paludatus cum hasta & parazonio, ad cuius pedes figura genuflexa cum Clypeo oblongo, quales Germani gerebant. Adscriptum est: GERMANIA S. C. Alios apud MEDIOBARBVM & HARDVINVM huius generis nummos iam praetermitto.

§. XLV.

Interim Daci non quievere, sed Cornelium Fulvium Domitiani aduersus Dacum Praefectum Praetorio aduersus ipsos missum, exercitu

citu eius deleto, occiderunt (s); id quod PAGIVS cos gesta. L. Antonii re- bellio in Ger- mania extin- cta. anno Christi LXXXVI. factum esse demonstrat. Cir- ca annum LXXXVIII. L. Antonius Germaniae supe- rioris Praefectus Imperium arripiens Domitiano bel- lum ciuile intendit. Sed ipsa dimicationis hora re- solutus repente Rhenus, transifuras ad Antonium copias Germanorum inhibuit. Sic facili negotio a Norbano Appio, vt VICTOR habet, vel a L. Maxi- mo, quod XIPHILINVS affirmat, acie stratus est, & educenti Legiones ad bellum Domitiano, nuntius & literae iam in itinere victoriam significantes, occur- rere (t). MEDIO BARBVS nummum recenset, in quo exstat: IMP. CAES. DOMIT. GERM. COS. XIII. CENS. PERP. & in postica: RHENVVS. S. C. atque adeo ad reportatam hanc de Antonio victoriam refe- rendus videtur. Hac inflatus de Dacis compescendis cogitauit, & anno tandem LXXXIX. ipse aduersus eos mouit. Non tamen praesens suos animauit; sed in Pannonia haerens Iuliano curam belli gerendi commi- sit, a quo praelium commissum, in quo caesi aliquan- tisper Daci, maius tamen damnum apud Romanos fuit, quorum magna pars militum turpiter amissa, vnde & pacem cum Decebalo inire coacti, Domi-

Zz 2

tia-

(s) SVETON. c. 6. EVTROP. Lib. VII.

(t) SVETON. c. 6. AVREL. VICTOR, XIPHILINVS, PLVTARCHVS in Vita Aemilii Pauli.



tiano interim literas, ac si victor esset, Romam mittente (v).

§. XLVI.

Marcoman-  
nis & Quadis  
Domitianus  
iratus. Gan-  
na vates Mar-  
comannica

Ante Dacicam expeditionem videntur *Mafys* Marcomannorum Rex & *Ganna* virgo (ea post Velledam in Germania vates oracula reddebat) Domitianum adiisse, honorifice ab eo tractati domumque remissi, vt THEODOSIVS EX DIONE nobis indicavit. Sed cum nec Marcomanni nec Quadi vlla aduersus Dacos subsidia misissent, bellum ipsis minitatus est, & cum alteri ipsorum Legati ad ipsum in Pannonia venissent ob pacem componendam, eos interfecit (u). Ex *Ganna* forte Polonici Bohemicique scriptores *Wandam* virginem & vatem suam effinxerunt, cum Gannae notitia a Marcomannorum reliquiis ad ipsos delata esset. Ita etiam eosdem Cracum ab Alemannis desumpsisse & maioribus suis Regem attribuisse infra ostendam.

§. XLVII.

De Lygiis in  
Myfia. Mif-  
nenses non a  
Myfis, sed  
ab vrbe, vrbs  
ab anne no-  
minata.

In Myfia *Lygii* cum Sueuis quibusdam bellum eadem tempestate gerentes per Legatos a Domitiano auxilium petiere. Annuit is votis, sed centum tantum Equitibus concessis. *Sueui* illi & *Lygii* sine dubio reliquiae subditorum *Vannii* & *Catualdae* fuerunt in Panno-

(v) XIPHILINVS. EVSEBIVS II. cc.

(u) DIO in Excerpt. THEODOS.

Pannoniam olim translati; & *Myfi* iidem, qui alias *Moefi*, a Dacis Danubio discreti. Neque enim iis assentior, qui statuunt, intelligi Myfos ex Asia in Europam atque in Hermundurorum sedes translatos, a quibus *Misnensibus* nomen. Magni quidem viri, PHILIPPVS MELANCHTHON in *Oratione de Mysorum tum regione tum gente*, REINERVS REINECCIUS in *Commentario de Misenororum origine & in syntagmate Heroico*, PETRVS ALBINVS in *Chronico Misniae* aliique huius sunt sententiae; sed merito a PHILIPPO VORBVRGIO refutati (x). Nunquam enim Myfi illi in Misniam venire aut venisse saltem a veteribus memorantur. Et *Misnenses* non a Myfis, sed ab vrbe *Misna* sunt appellati; vrbs vero ipsa ab Henrico demum Aucupe aedificata atque, vt DITMARVS (y) ait, de riuo quodam, qui in septentrionali parte eiusdem fluit, ita nominata est.

§. XLVIII.

Domitianus Romam regressus anno XC. secundum de Dacis & Germanis triumphum celebravit (z), atque in tantam superbiam, ne dicam insaniam delapsus est, vt Septembrem mensem Octobremque exappellationibus suis *Germanicum Domitianumque* transno-

Alter Domitiani triumphus de Dacis & Germanis. Sarmatica illius laurea.

Zz 3

mina-

(x) *Hist. Rom. Germ. Tom. II. ad an. Chr. 215.*

(y) *lib. I. (z) EVSEB. ad b. a.*



minaret, quod altero suscepisset imperium, altero natus esset (a). Post haec Sarmatas petiit, non tamen ipse adiit; sed, SVETONIO teste, Legato iterum usus, qui vna cum legione caesus est (b). Nihilominus tamen de Sarmatis lauream Capitolino Ioui retulit. Factum id esse anno XCII. PAGIVS solide ostendit. STATIVS hanc & caeteras expeditiones Domitiani adulatorie extollens (c), canit:

*Haec est, quae victis parcentia foedera Cattis;  
Quaeque suum Dacis donat clementia montem.  
Quae modo Marcomanos post horrida bella, vagosque  
Sauromatas Latio non est dignata triumpho.*

§. XLIX.

Reliqua Domitiani gesta & mors.

Eodem anno omni Germaniae praefecit Vlpium Traianum, cum is antecedenti anno Consulatu functus fuisset, vbi res egregie gessit, vsque dum Nerua Domitiani successor inscium ipsum ad adoptionem & imperium aduocavit (d). MARTIALIS votum pro reditu eius Epigrammatibus suis inseruit (e). Domitianus post haec, si persecutionem bonorum plurium & praecipue Christianorum excipias, nihil memoratu dignum gessit, vsque dum anno Christi XCVI. occisus est.

§. L.

(a) SVETON. cap. 15. (b) SVETON. cap. 6.

(c) Silo. lib. III. de lacrymis H. 1. v. 1.

(d) PLINIVS in Panegy. Imp. Traiani. (e) lib. X. Epigr. 7.

Imper  
apud  
mos t  
dam,  
uenim  
neglige  
ianus ag  
ne non  
gyrica c  
XIPHII  
habemu  
nummo  
paulo an  
lari fecer  
quod ex  
men non  
cognome  
cri apud  
cum ver  
P. M. T  
temone &  
III. P. P  
(f) H





## §. L.

Et haecenus quidem res maiorum nostrorum sub Imperatoribus Romanis maximam partem pessimae apud suos & posteros quoque famae retulimus, optimos tamen authores secuti. Iam imperatores quidam, quos optimos non immerito voces, Romae inuenimus, quorum tamen gesta aut omnino non, aut negligenter admodum consignata sunt. Nerua & Traianus agmen ducunt. Ille scriptorem peculiarem plane non inuenit: hic PLINII saltem Oratione Panegyrica celebratus est. Ex DIONE enim nihil praeter XIPHILINI ieiunam epitomen & paucula fragmenta habemus. Vnde etiam nescimus, qua occasione in nummo anni Imp. II. siue Christi XCVIII. atque ita paulo ante ipsius obitum GERMANICVM se appellari fecerit. HARDVINVS putat hoc ideo factum, quod ex stirpe Germanici Caesaris esset, id quod tamen non constat. Nec in caeteris eius nummis hoc cognomen comparet. Nummus ipse ex aere mediocri apud HARDVINVM in antica habet caput radiatum cum verbis: IMP. NERVA CAES. AVG. GERM. P. M. TR. P. II. In postica cernitur Fortuna cum temone & cornucopiae, & inscriptum: IMP. II. COS. III. P. P. (f).

Neruae res gestae scriptorem non habuere. Nummus cum nomine Germanici.

## §. LI.

(f) HARDVINI *Hist. Augusta* p. m. 746.



## §. LI.

Traianus a Nerua adoptatus & successor declaratus.

Nerua Senio grauis Vlpium Traianum Germaniae Praefectum, filio proprio praeterito, adoptauit, & Imperii collegam fecit. Res ea a Traiano ipso nummo peculiari memoriae commendata est, in quo Caput laureatum cum inscriptione: NERVA TRAIAN. CAES. GERM. NER. AVG. F. P. TR. P. COS. II. Postica exhibet Traianum stantem, paludatum, cum hasta & orbem Romanum accipientem, quem ei Nerua togatus & idem stans porrigit, superimposita est vox ADOPTIO. TRISTANVS nummum hunc citat, HARDVINVS vero describit in *Historia Augusta* (g).

## §. LII.

Traiani gesta in Germania. Francofurti ad Moenum origo.

In Germania Traianus plura sui nominis Monumenta reliquerat, inter quae eminent *Vlpia castra* Veteribus haud procul, & trans Rhenum Munimentum, quod in Alamannorum solo ad Moenum eum condidisse AMMIANVS refert (h). Hoc an fuerit, ubi iam est *Saxenhusa & Francofurtum*, atque ita celeberrimae huic vrbi initia dederit, disquiri posset. Eam certe Romanis debere originem suam vel inde coniicitur, quod Curia adhuc *der Roemer* siue *opus Romanum* vocetur. Traianum Imperatorem Vrbes trans Rhenum in Germania reparasse

(g.) l. c. p. 747.

(h) lib. XVII.

repar  
dubiu  
manis  
stellis  
Druso  
Imper  
buere:  
scripsit  
sti XCV  
tum not

D  
mitiani  
nendi er  
bellum e  
Priorann  
BRETTV  
in quo  
TRAIAN  
In postica  
que coron  
P. VI. IN  
& alii hu

(i) T

reparasse EUTROPIVS author est. SCHATENIO hoc dubium videtur, cum TACITVS affirmet, nullas Germanis vrbes fuisse. Sed EUTROPIVS loquitur de castellis & vrbibus a Romanis in Germaniae coloniis sub Druso, & postea erectis atque ab iisdem habitatis. Imperatore vero alibi occupato, Germani pacem habuere: Mores ipsorum TACITVS eleganti libello descripsit altero Imperatoris Traiani anno, hoc est, Christi XCVIII (i), quo si careremus, plerasque antiquitatum nostrarum nesciremus.

§. LIII.

Daci Getaeque sub Decebalo ex victoriis de Domitiani exercitu relatis elatiores pecunia data continendi erant. Hoc indignum Traiano videbatur, vnde bellum eis intulit duabus expeditionibus diuersis. Prior anno Christi CII. suscepta & sequenti finita est. FABRETTVS de Columna Traiani agens nummum affert, in quo caput laureatum, & IMP. CAES. NERVA TRAIAN. AVG. GERM. DACICVS P. M. P. P. In postica Victoriae, orbi Romano impositae, dextraque coronam, laeua spoliū gerenti inscriptum: TR. P. VI. IMP. III. COS. III. DES. V. SC. Habentur & alii huius & sequentis anni nummi, in quibus iam ante

Bellum Traiani Dacicum, Dacia in prouinciam, redacta & Colonia Romana impleta, Walachorum origo. Pons Traiani in Danubio descriptus & circa eum Dio refutatus.

(i) TACIT. de Mor. Germ. c. 37.



ante triumphum actum DACICVS & ante expeditionem Parthicam OPTIMVS vocatur, quod apud XI-PHILINVM aliter asseritur; erronee sine dubio. Priori hac expeditione Decebalus pacem petere coactus est, cuius tamen conditiones cum non impleffet, alteram in eum expeditionem Traianus anno Christi CV. exorsus est, & CVII. vel CVIII. finiuit. Danubius ponte stratus, & Decebalus victum se & regno spoliatum esse cernens, sibi ipsi manus intulit. Nemine hinc resistente, Dacia Romanorum prouincia facta est. Fuerat ea quidem diuturno Decebali bello viris exhausta. Sed Traianus ex toto orbe Romano infinitas eo copias hominum transtulit ad agros & vrbes colendas. Ex his ciuibus Romanis restant post tot clades *Walachi*, latini sermonis vsus adhuc a maioribus suis conseruantes, ita vero a Germanicis populis, Gothis aliisque, per eos in Moesiam Pannoniamque irruentibus, dicti. Nostris enim *wal*, & *walisch* siue *welsch* denotat peregrinum, & cuius sermo non intelligitur, praecipue *Italum*, vel *Gallum*. Vngari hoc nomen in *Olah* corripere, quibus *Italus* quoque eadem fere uoce *Olasz* audit. Ipsi Walachi se etiamnum suo idiomate *Rumuin*, id est, *Romanos* nominant (1). Pontem in Danubio a Traiano factum inter orbis fere miracula

(1) TOPELTINI Orig. Transsylvan. cap. 6.

racul  
dicit  
funda  
LX.  
fuisse  
ration  
simum  
themat  
scientia  
nubium  
CONIV  
Traian  
ri meru  
loco fa  
danum  
transit  
bus Itali  
magnae  
damentis  
palam in  
gulisque  
saxo fabr  
imposita  
gnea su

racula retulit DIO apud XIPHILINVM. Eius pilas dicit XX. fuisse ex lapide quadrato, singulas absque fundamentis, altitudine pedum CL. latitudine pedum LX. & distitisse inter se interuallo CLXX. pedum ac fuisse inter se fornicibus coniunctas. Vt augeat admirationem operis, addit, extructum loco, vbi rapidissimum sit flumen. Sed Comes MARSIGLIVS, mathematicarum physicarumque rerum & antiquitatis scientia inelytus, qui in omnia solícite praefens ad Danubium inquisit, in Epistola ad R. P. MONTFAUCONIVM (m) aduersus DIONEM asserit, pontem Traiani vix inter mediocria Romanorum opera referri meruisse, & multo maiore arte difficillimoque in loco fabricatum esse pontem S. Spiritus, supra Rhodanum constitutum, quo e Prouincia in Languedociam transitur: Danubii pontem situm fuisse aliquot miliaribus Italicis infra cataractas fluminis, & vbi id non adeo magnae profunditatis sit, alueumque firmiorem & fundamentis pilarum ponendis aptum habeat. Restare pilam in vtraque ripa, versus aquae cursum acutam tegulisque ingentibus tectam: omnes e viuo fluminis saxo fabricatas: non vero fornices, sed trabes pilis impositas fuisse, adeo praeter pilas omnia in eo lignea fuisse nec pilas has fornicibus ferendis sufficere potuisse.

Aaa 2

potuisse.

(m) *Giornale de Letterali d'Italia Tom XXII. pag. 116. 117.*



potuisse. Ligneus quoque idem pons praeter pilas  
 sistitur in columna Traiana, quam maioris esse fidei,  
 quam DIONEM, nemo non confitebitur. Fallunt  
 itaque saepius Romani Scriptores, nec tuto iis fidi  
 potest, nisi marmoribus & numismatibus dicta ipso-  
 rum confirmentur. In vtraque ripa pontem muni-  
 mentis instructum fuisse, rudera ipso-  
 rum testantur, quae solcite Laudatissimus Comes MARSIGLIUS  
 congeffit & delineavit in Opere Danubiali, cuius Pro-  
 dromus omnibus eruditissimis saluam mouit. HARDVI-  
 NVS in *Historia Augusta* nummum citat, qui Danubii  
 meminit & in antica circa caput laureatum habet:  
 IMP. TRAIANO AVG. GERM. DAC. P. M. TR.  
 P. In postica legitur: COS. V. P. P. SPQR. OPTI-  
 MO PRINCIPI. Vnde Anno Christi 105. usum scia-  
 as. Exhibetur ibidem Danuuius iacens sub fornice  
 cum arundine & infra scriptum est: DANVVIVS. A-  
 lios ibi plures nummos idem Harduinus recenset, in  
 quibus VICTORIA DACICA, DACIA CAPTA, &  
 DACIA AVGVSTI PROVINCIA. quos in subiuncta  
 tabula exhibemus.


Tab. XIX.

§. LIV.

Columna  
 Traiana. Ex-  
 peditio Par-  
 thica. Rex

Dacia ordinata Traianus Romam anno CVII. vel  
 CVIII. rediit & triumphum egit. Ne vero memoria  
 rerum hoc bello gestarum vnquam deperiret, eas in-  
 genti





genti  
scriptio  
lumnac  
RAPHA  
mus.  
Rege D  
bas, Bos  
mari ha  
Iberorum  
& Arabu  
no in fi  
Sauromat  
(n) nun  
caput T  
in altera  
bis: BACI  
ti. Meni  
rum regn  
Epistolis a  
natione su  
fwas in Ori  
PARTHIC  
Romam te

(n) de  
(o) lib.



genti columnae insculpi, eamque anno CXIII. ut in-  
 scriptio prodit, in foro suo erigi fecit. Huius Co-  
 lumnæ curatiorem delineationem & expositionem  
 RAPHAELI FABRETTO, antiquario insigni, debe-  
 mus. EVSEBIUS in *Chronico*, Traianum, ait, victo  
 Rege Decebalo, Iberos, Sauromatas, Osroënos, Ara-  
 bas, Bosporanos, Colchos in fidem accepisse. Confir-  
 mari hæc videntur iis, quæ EVTROPIVS habet de  
 Iberorum Rege, & Sauromatarum & Bosporanorum  
 & Arabum & Osdroënorum & Colchorum, a Traia-  
 no in fidem receptis. Bosporanorum Regi nomen  
*Sauromatae* fuit, & extat apud EZ. SPANHEMIVM  
 (n) nummi argentei delineatio, in cuius vna parte  
 caput Traiani laureatum & sub eo HY seu CCCCVIII.  
 in altera caput diademate ornatum cum sceptro, & ver-  
 bis: ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΣΑΥΡΟΜΑΤΩΝ hoc est, *Regis Sauroma-  
 ti*. Meminit eius PLINIVS iunior & circa Bospo-  
 rum regnasse, Traianique amicum fuisse, indicat in  
 Epistolis ad Traianum (o). Sarmatam hunc quoque  
 natione fuisse non dubito. Traianus post hæc curas  
 suas in Orientem conuertit, atque ex Parthis subactis  
 PARTHICI quoque cognomen meruit. Cum victor  
 Romam tenderet, Selinunte, Ciliciae vrbe, ex morbo

Bosporano-  
 rum Sauro-  
 mata. Mors  
 Traiani.

Aaa 3

obiit

(n) de usu & praest. Num. T. I. pag. 490.

(o) lib. X. Ep. 13. & 15.



obiit anno CXVII, cum prius consobrinum Aelium Hadrianum adoptasset.

§. LV.

Saxonum  
origo fabulo-  
sa & vera.

De maioribus nostris nihil sub Traiano annotatum est a scriptoribus, qui non nisi sua curabant, nec calamo attingebant, nisi ea, quae Romanorum armis tangebantur. Interim SAXONVM nomen hoc tempore in Septentrione nostro primum natum videtur, quod TACITVS adhuc nesciuit, PTOLEMAEVS tamen paulo post commemorauit. Mire authores in Origine Saxonum dissentiunt. Quidam a Graecis & reliquiis exercitus Alexandri Magni absone fati deduxere, quorum iam WITICHINDVS meminit (p). Migrationem describit GODEFRIDVS VITERBIENSIS (q), sed nulla similitudine veri. MVTIVS (r) ex legibus Saxonum veteribus patere putat, eos a quopiam institutos, qui Philosophos in Graecia audierit: at vero eae nil nisi meram barbariem spirant. A Sacis alii ex Asia Saxones deriuant, & GOROPIVS BECANVS eos tanquam *Sacafones*, hoc est, *Sacarum filios* dictos somniauit. Sed Sacae Massagetae erant & generis Tartarici. In Europam autem ii venisse nul-

libi

(p) lib. I.

(q) Chron. Part. XV. p. 361.

(r) lib. XII. Chron. p. 95.

libi memorantur. EGINHARDVS apud ADAMVM BREMENSEM ab Anglis Britanniae incolis Saxones egressos putat. Sed notum & peruulgatum est, Anglos potius a nobis in Britanniam discessisse. Aliqua veri specie maiores nostri apud WITECHINDVM a Danis & Normannis deducti sunt. At potius ex illa regione, quam post eos occupauere Dani Normannique, in nostram & interiorem Saxoniam venisse, dicendum erat. In insulis enim Ostio Albis obuensis, quae iam maris impetu pene submersae, ut praeter particulam Heiligelandiae nihil amplius de iis cernas, eos collocat PTOLEMAEVS. Vicinum quoque continentem Chersonesi Cimbricae inhabitasse, plura persuadent. GEOGRAPHVS RAVENNAS distinguit quidem suo tempore Saxoniam & Daniam (s), postea tamen indicat (t) dictum sibi fuisse, *Saxoniam antiquitus ex Dania pertinuisse*, hoc est, Saxones ex illa regione, quae Dena siue Egidora fluuio alluitur, & Dania ipsi appellatur, in terras inter Albim & Rhenum inferiorem sitas venisse. WITICHINDVS quidem refert, mentionem eorum iam factam ab Agrippa in concione ad Iudaeos apud IOSEPHVM, nec non & apud Poëtam LVCANVM. Verum in IOSEPHO non de Saxo-

(s) lib. I, c. 11.

(t) lib. IV, c. 17.



Saxonibus, sed de Germanis in genere saltem sermo est. Et in LVCANI (u) versu:

*Et Biturix longisque leues Saxones in armis,*  
Turnebus Grotiusque *Suessones* restituendum putarunt. Manuscripti codices diuersi *Sexones, Saxones, Saffones, Saufonas* atque etiam *Axones* habent. Quod si Saxonum antiquior, quam apud PTOLEMAEVM mentio facta fuisset, TACITVS, qui & minimas Germaniac gentes recenset, eos sine dubio nominasset. Ab eius autem silentio validum est argumentum, Saxones ipsius tempore nondum hoc nomen habuisse.

§. LVI.

Saxonum Reges fictitii recensentur & reiciuntur.

Non igitur audiendi sunt, qui non solum vltra TACITI aeuum Saxonum gentem extendunt, multo minus, qui Regum aut Ducum ipsorum nomina ordine genealogico ab antiquissimis & Christi natiuitatem longe superantibus temporibus recensent. Doleo, esse inter illos eruditissimos post restitutas literas viro STRI-  
THEMIVM, STABIVM, SPALATINVM, SPANGENBERGIUM, PANTALEONEM, FABRITIVM, BVNTINGIVM, ALBINVM & HENNINGESIVM, qui somnia illa historica in posteros propagarunt. Lubet stemma ipsorum, additis annotatiunculis nostris, inserere, ne penitus neglexisse illud videamur. Vtustissimi-

(u) lib. 1. Pbarf. vers.

tustissimos  
fictitium  
SAXONEM  
GNVM, C  
tem, & c  
torum &  
tem quid p  
BINVS in  
Saxonicum  
HANNE M.  
LEON & cae  
vixisse con  
effictum est  
& reliquum  
MATICVS  
hunc HENR  
bent, a Gra  
circa annum  
ALBINVS p  
circa annum  
celebrem (z)  
SIGRICVS a

(o) Hist. G  
(y) lib. 1.  
(\*) lib. II.



tustissimos tamen, quibus nituntur, authores, scias esse fictitium HVNIBALDVM, Sagas Septentrionalium, SAXONEM GRAMMATICVM, IOHANNEM MAGNVVM, CRANTZIVM, vestigia SAXONIS sequentem, & consignationes quasdam genealogicas incertorum & recentiorum authorum. Ab his autem quid praeter fabulas expectes? Primus, quem ALBINVS in Libro Stemmatum & in notis ad Aulacum Saxonicum suis nominat IVTHO Dux Saxonum a IOHANNEM MAGNO (v) primum nominatus est. PANTALEON & caeteri eum circa annum Mundi MMDCCLXX. vixisse coniiciunt. Nomen ipsius ex Iutia sine dubio effectum est, ex qua occupata Saxones in Norwegiam & reliquum Septentrionem transfere. SAXO GRAMMATICVS (x), MAGNVS & CRANTZIVS (y) post hunc HENRICVM, HERRICVM siue ERICVM habent, a Gramme, Danorum Rege fictitio, occisum circa annum mundi MMDCCLXX. Huius fratrem ALBINVS putat SIFRIDVM sub Haddingo Dano, circa annum mundi MMDCCLXX. si Dis placet, celebrem (z). Hinc occurrit apud SAXONEM (a) SIGRICVS ad muros Stadenfes ab Helgone superatus.

Huius

(v) *Hist. Goth. lib. II. c. 2.* (x) *lib. I. p. 8. 9.*

(y) *lib. I. c. 2* (z) *SAXO lib. I. p. 18. CRANTZ lib. I. p. 18.*

(a) *lib. II.*



Huius filius HVNDINGVS fertur, sub quo Saxones Iutia ab eodem Helgone anno mundi MMMCXX. pulsi finguntur (*b*). Omitto fabulas in Vita Hrolfi Krakii occurrentes de *Olufa Saxoniae Regina*, cui Helgo stuprum intulisse, filiam inde natam Vrsam porro infcius rapuisse, & impraegnasse, ac Hrolfum Krakium ex ea suscepisse dicitur (*c*). Hundinum apud CRANTZIVM (*d*) excipit GELDERVS. Is apud Saxonem sub Hothero Sueco vixisse atque ab eius exercitu interfectus perhibetur. Hinc per quingentos & quinquaginta annos nullos Saxonum Principes commemorant, si excipias anonymos duos a SAXONE indicatos sub Regibus Daniae Wermundo & Vffone huius filio atque sub Dane tertio. ALBINVS ipse haec omnia plena dubiorum esse fatetur. Sed ego pura putamenta esse audacter affirmo, a scriptoribus barbaris excogitata, & ne minimo quidem veterum testimonio roborata. Nec sequentia, quae paulo ante citati authores longo ordine enarrauerunt, certiora sunt. Ne tamen amplius imprudentiores fallant, lubet Stemma eorum inserere, additis ficulneis, quibus innitur, fundamentis: Hoc itaque modo ab ALBINO Saxoniae Principes ad Witichindum usque recensentur.

ARTA-

(*b*) SAXO lib. II. p. 28. CRANTZIVS lib. I. c. 4.

(*c*) Vid. TORFAEL *Series Reg. Dan.* p. 286. sq.

(*d*) lib. I. c. 5.

ARTARI  
HVNIBAL  
PANTAL  
FRANC.  
ANSEMI  
Idem, CR  
ALBINO C

WILKIVS  
ALBINVS e  
SVARTIC  
SAXO lib. I.  
TRITHEMI  
SVARTIC  
SAXO lib. 6.  
CRANTZ  
SIVARVS  
SAXO. CRA  
c. 14. Vetus  
xonium ab  
totum.

WITECH  
HVNIBALDV  
GENERGIVS  
WILKIN  
Mltum SAXO  
MERORAT  
Ex vetulla  
de etiam cit  
REDAM &  
sed de Ger  
quuntur.  
norum am  
Valente, C  
c. 17. AMM

ARTARICHVS Rex Saxonum ante N. Chr. 80.

HVNIBALDVS fictitius, TRITHEMIVS, FABRITIVS,  
PANTALEON, SPANGENBERG, *Rhythmi veteres*,  
FRANC. ROSIERS.

ANSERICVS Dux Sax. ante Chr. N. 60.  
Iidem, CRANTZIVS *lib. 1. c. 24.* Scheda ab  
ALBINO citata.

TANGMARVS  
Stadae exstructor.  
Stemma vetus Sa-  
xon.

HARTVNGVS  
qui Thuringo  
pro sacco terra  
repleto aurum  
dedisse fingitur.  
ALBIN.

WILKIVS Princeps Sax. post Chr. N. 8.  
ALBINVS ex veteri Scheda Saxonica.

SVARTICVS I. Dux Sax. trans Albim post Chr. N. 30.  
SAXO *lib. VI.* CRANTZIVS *lib. 1. c. 11, 12.* HVNIBALDVS,  
TRITHEMIVS &c.

HANEFVS Dux  
Sax. cis Albim.

SVARTICVS II.  
SAXO *lib. 6. p. 106. sq.*  
CRANTZ. *lib. 1. c. 12.*

N. uxor Ingelli  
Daniae Regis.  
Iidem.

N. frater Svartici.  
Iidem.

SIVARVS an. Chr. 90.  
SAXO. CRANTZIVS *lib. 1.  
c. 14.* Vetus Fragin. Sa-  
xonicum ab ALBINO ci-  
tatum.

WILKIVS Princeps Angariae.  
Iidem.

WITECHINDVS Rex Sax. an. Chr. 112.  
HVNIBALDVS, FABRITIVS, FVNCIVS, SPAN-  
GENBERGIVS, ALBINVS &c.

WILKINVS Dux Saxon. an. 150.  
Mistum Saxonicum apud ALBINVM.

HEILINGVS.  
ALBINVS.

MEROBAVDES vel MARBODVS Rex Saxonum an. 256.  
Ex vetusta genealogia Saxonica ALBINVS; qui de Merobau-  
de etiam citat ZOSIMVM, OROSIVM, SIDONIVM APOLLINAREM,  
BEDAM & SIGONIVM. Sed hi authores non de Saxonum,  
sed de Germanorum irruptione sub Valeriano & Gallieno lo-  
quuntur. Merobaudis vero, ut *Regis Francorum & Roma-  
norum amici* longe post demum meminere sub Valentiano,  
Valente, Gratiano & Valentiniano juniore. v. ZOSIM. *lib. IV.  
c. 17.* AMMIAN. MARCELL. *lib. 31. c. 10. &c.*

BODO



**BODO** seu **VODVS** Rex Sax. an. 260. Hic est, quem **NENNIVS**, **BEDA** & caeteri Scriptores Anglici **Wodanum** vocant, & **Hengisli**, vt postea videbimus, atavum constituunt. **Marbodi** filium ex vetusta Genealogia Saxonica constituit **ALBINVS** contra veterum, vt infra apparebit, sententiam. **FABRITIVS** ab eo Regum Saxonum Genealogiam incipit, **ALBINO** & caeteris cautior.

**VECHTIVS** Rex Saxon. an. 300.

**NENNIVS**, **BEDA** &c.

**WITTVS** vel **WITTICHVS**, **CRANTZIO VECTI**, **BEDAE VECTA**, **NENNIO GVGTA**.

**WITGISILVS**, **BEDAE WETGISSVS**, **NENNIO GVITIGILS**. **GOBELINVS** *Corm. Act. 6. c. 23*. Ducem Angariae vocat; Angarios scilicet cum Anglis confundens: quod & in sequentibus factum est a recentioribus. **FABRITIVS** in **Witechindum** nomen eius mutat. **ALBINVS** falso **Bodonis** filium facit. **Witti** vero filium **Susii** auctoritate constituit **Edelbrechtum** l. an. 412. mortuum, patrem **Sigbrechti** Ducis Angariae: sed haec sine veterum testimonio.

**HENGISTVS**  
Rex Cantiorum.

**NENNIVS**, **BEDA**  
&c.

**HORSVS** Dux Angriae.

**FABRIT.** Sed iterum pro Angria ponenda est Anglia. **NENNIVS**, **BEDA** &c.

**HATWAKERVS** Dux Saxon. circa an. 480. Hunc **ALBINVS** invenit in vetustis Chartis, a **Iacobo Cunone Doblinensi Misnico** communicatis, appellari patrem **Hatugati**. Hinc **ALBINVS** eum **Hengisli** aut fratrem aut filium esse statuit, nec alio argumento usus. Chartas autem **Cunonianas** nullius pretii & auctoritatis fuisse, certum est.

**LVTHERVS** Dux Sax. an. 265. Hunc **TRITHEMIVS** Saxones in Galliam duxisse, eamque vastasse refert, & **Marbodi** filium facit; de quo veteres nihil.

**SIGEBRECHTVS** **ALBINVS** ex **Stemmate** quodam Saxon. qui & posteros ejus longo ordine recenset.


HAT-

HATV  
circa an. 5  
Hathaga  
WITICHIN  
adversus  
lium Har  
ra facit.

HILDERIC  
ALBINVS ex  
fuisse Hat  
REM, IO. M  
REM BOETH  
scriptores.  
nit. Sed e  
rico West-  
enim circa e

BODICVS R  
Hoc duce Sax  
putat, & add  
quibusdam co  
an SPALATINO  
dam tribuere  
Bertoldi Regi  
ceps in Franc  
bratur, pater  
omnino statuo  
nominatum fili  
de eodem Bod  
alios recentiore  
in antiquissimis





**HATWIGATVS**, Dux Saxonum circa an. 524. Hic confictus est ex *Hatbagasto*, cuius mentio apud **WITICHINDVM** in bello Saxonum aduersus Thuringos. **ALBINVS** filium Hatwakeri ex mera coniectura facit.

**SVARTICVS III.** Dux Sax. ex Anglo-Saxonum **Cerdico** ab **ALBINO** effictus & **Hadwake-ro** filius datus est, quem tamen vetus Chronologia Anglo-Saxonica a **Wodano** deriuat & **Elefae** filium fuisse verius pro-  
dit.

**HILDERICVS** Rex Saxonum circa an. 540. **ALBINVS** ex conignatione veteri credit filium fuisse Hatwigati, & citat de eo **IO. MAIOREM**, **IO. MEIERVM**, **GOTEFRIDVM**, **HECTOREM BOETHIVM** & alios nullius authoritatis scriptores. **ENGELHVSIVS** quoque eius meminit. Sed credo hunc formatum esse ex **Cynrico** West-Saxonum in Anglia Rege. Is enim circa ea tempora vixit.

**BODICVS** Rex Saxonum an. 560. Hoc duce Saxones in Italiam iuisse putat, & addit: Cum in veteribus quibusdam conignationibus, quas an **SPALATINO**, an vetustiori cuidam tribuere debeam, non scio, **Bertoldi** Regis Saxonum, qui deinceps in Francorum Historia celebratur, pater nominetur **Bodike**, omnino statuo **Childerici** illum non nominatum filium fuisse. Adducit de eodem **Bodico** **TRITHEMIVM** & alios recentiores, quorum authoritas in antiquissimis hisce rebus nulla est.



BERTOLDVS Rex & Dux Saxonum post an. 628. Meminere Bertoaldi Saxonum Ducis Francici scriptores veteres ad an. 630. & a Clothario Rege Franc. caesum referunt: sed de parentibus eius & posteris nihil habent. ENZELIVS cum Hatwigati filium & Ballenstadenfem facit; sed tempora non conveniunt. Nec quod Bodici filius fuerit, ALBINVS solide probat.

SIGHARDVS Rex & Dux Saxonum post an. 633. Ux. Iulanda Goswini Saxonis Ballenstedii filia secundum Albinum ex veteribus consignationibus. RIXNERVS & ex eo FABRITIVS Goswinum Obotritorum Regem vocat, vterque nullo argumento. De Sighardo ALBINVS citat CRANTZIVM (in quo tamen nil de eo inuenio) veterem consignationem, SPALATINVM, AGRICOLAM, FABRITIVM, FVNCIVM, VIGNIERIVM, SVSIVM & PANTALEONEM, nullius in vetustis rebus fidei scriptores. Sed ego Sighardum hunc ab impostore confictum credo ex *Sighario* Dagoberti Regis ad Samonem Winidorum Regem Legato, cuius FREDEGARIVS meminit; Saxonem tamen aut Ducem eorum fuisse, non dicit. FABRITIVS cum se in Libro Stemmatum Saxonici primum stirpis Saxonicae authorem reperisse testatur.

DIETERICVS Rex Saxonum circa 723. SPALATINVS, FABRITIVS, BVNTINGIVS, ALBINVS & caeteri eius meminere. Indicatur autem *Theodericus Dux Saxonum*, cum quo Carolomannum anno 743. 744. bellasse Annales Francici genuini testantur. Ii tamen neque de patre, neque de liberis eius vel verbulum habent. Uxor Dieterici Dobra, filia Billungi Regis Obotrit. fingitur in Stemmate Saxonico, atque apud eius sequaces.

DODA Arnulphi Mentensis uxor secundum ALBINVM: SANMARTHANI Sueuam potius fuisse asserunt, & Genealogiam S. Arnulphi citant, in qua tamen de ea nihil habetur. Nec in vita S. Arnulphi nominatur; sed tantum dicitur, fuisse eam *ex inelyta nobilissimaque gente.*

SIBOLDVS  
apud FABRITIVM, SIGWALDVS  
apud ALBINVM.

SIGHARDVS  
apud ALBINVM.

EDELHA  
ad an. 757.  
Stemmata S.  
ALBINVS, R.  
nant. Sed v.  
hardus Rex O.  
in Germania.  
num 728. Ina  
optime GOE.  
obitu locutus  
Edelhard Rex  
dit. Vid. de  
glo-Saxonica  
GVIL. MALM.  
hinc, quam  
rem *Elam* P.  
fictitiam esse.  
ALBIGO H.  
Dux Sax. in  
baptizatus pr  
anno 785. Ca  
Francici an  
Annales ho  
saetanei ter  
nominant ne  
quidem  
ALBINVM:  
sed Witi  
chini con  
fangui  
neum fuis  
se non ad  
dant.

**EDELHARDVS** Rex Sax. ab an. 743. ad an. 757. **ENGELHVSIVS**, **CRANTZIUS**, *Stemmata Saxon.* **RIXNERVS**, **FABRITIVS**, **ALBINVS**, **REINECCIUS** &c. eum nominant. Sed valde errant. Fuit enim **Edelhardus** Rex Occidentalium Saxonum, non in Germania, sed in Anglia, & circa annum 728. Inae Regi successit. Vidit hoc optime **GOBELINVS**, qui, cum de Bedae obitu locutus fuisset, subiungit: *Et post hoc Edelhard Rex Occidentalium Saxonum obiit.* Vid. de eo pluribus *Chronologia Anglo-Saxonica*, **HENR. HUNTINGTONVS**, **GVIL. MALMESBURIENSIS** &c. Sequitur hinc, quam ei tribuunt nostrates, & uxorem *Eilam* Ratbodi Regis Fris. filiam, fictitiam esse.

**BERTHOLDVS** Dux Sax. occisus an. 779. Uxor **N. Ratbodi** Regis Fris. filia. Stemmatum liber, **RIXNERVS**, **FABRIT. ALBIN.** &c. **CHRONICON PICTVRATVM** Bertoldi Ducis Sax. anno 772. occisi meminit. De quo tamen alibi nihil inuenies.

**WERNEKINVS**, vxor **Cunehildis** Rugiae Principis filia. Stemmatum liber, **RIXNERVS** & **ROLEVINKIVS**, qui refert, Danos suo tempore adhuc **Witechindum** vocasse *Wernekinson.* Vetusiores scriptores nil huiusmodi habent.

**ALBIGO HERMANNVS** Dux Sax. interfectus in baptizatus anno 785. *Francici Annales coaetanei* nominant quidem **ALBIONEM**: sed **Witechindi** consanguineum fuisse non addunt.

**DIETERICVS** captus in bello Francico anno 744. Sed **Theodericus** ille avo potius **Witechindi** coaetaneus fuit, quam ipsi **Witechindo**. Bertoldi filium fuisse nemo veterum dicit.

**HASSVINVS** Dux **Visurgianus** contra Francos an. 775. *Hessi* quidem in *Annalibus veteribus* *vnus ex primoribus Saxonum* vocatur; de patre vero eius aut agnatione nil inuenitur.

**WITECHINDVS** Dux Saxonum.



Haec est deductio genealogica veterum Saxoniae Principum, quemadmodum illa a FABRITIO primum, deinde ab ALBINO & caeteris in lucem data est. Apparet vero corrasum, quicquid de Saxoniae Principibus in historiis legebatur. Comparent enim Hessi, Albio, Theodericus, Berthoaldus, Hathagast, & ipse Hengistus & Horsus cum maioribus suis. Miror omis- sum *Aegynam*, Saxonem genere & inter Francos Opti- matem, qui anno DCXXXV. partem exercitus Fran- cici aduersus Vascones duxisse dicitur apud FREDE- GARIVM. Miscuere etiam Saxones transmarinos at- que in Britannia regnantes cum cismarinis. Vbi ni- hilominus deerat aliquid, audacter id ex ingenio sup- pletum est. Arcessitae & ex septentrionalium fabellis earumque consignatoribus personae, vbi commodum habebatur. Et chaos illud genealogicum non parum arrisit seculi decimi sexti hominibus, cultioribus ta- men hisce temporibus repudiandum; vbi constat nil admittendum, nisi quod solidis argumentis demonstra- ri possit. Ingenium poësin, rigida veritas historiam ornat. Non minimum quoque errorem Genealogi hi Saxonici commisere, vbi ex suis temporibus anti- quiora illa aestimarunt, & omnes Saxones olim vni Duci paruisse crediderunt. Principibus enim pluribus & nobilibus viris suberant, & belli quoque tempore  
tot

tot per  
Nec v  
xio ge  
res, ni  
quorum

Sol  
to occup  
maiores  
feruarun  
GALE f  
nem, q  
quoque  
ceptam,  
petit (e  
culo XII  
LOCO pr  
GIBSON  
tendit (f  
sumserunt  
NENNIO  
re. Sum

(e) H  
(f) Vi

tot pene duces habebant, quot pagos siue regiones. Nec vlla inter diuersarum regionum principes con-  
 nexio generationis. Nec Romani vel Francici scripto-  
 res, nisi ex occasione bellorum cum Saxonibus, ali-  
 quorum nomina nobis conseruarunt.

§. LVII.

Soli ex Saxonibus ii, qui Britanniam seculo quin-  
 to occuparunt, Hengisti & Horfi Principum suorum  
 maiores, qui & nostri fuisse videntur, sollicitius con-  
 seruarunt. Edidit inter Scriptores Anglicos THOMAS  
 GALE seculi septimi authorem, NENNIVM Brito-  
 nem, qui dum res Britannicas recensuit, Hengisti  
 quoque & Horfi genealogiam inseruit a Saxonibus ac-  
 ceptam, quam BEDA deinde vsque ad Vodanum re-  
 petiit (e). Chronologia Anglo-Saxonica lingua se-  
 culo XII. conscripta atque ab ABRAHAMO WHE-  
 LOCO primum, deinde emendatius ab EDMUNDO  
 GIBSONO edita vsque ad arcam Noae eandem ex-  
 tendit (f) & caeteri Angliae historici inde sua de-  
 sumferunt. Nec dubium est, illam, quousque a  
 NENNIO perducta est, magnam veri speciem habe-  
 re. Summus enim nobilitatis honos erat apud Germa-  
 nos.

Verae & ge-  
 nuinae Saxo-  
 num origi-  
 nes. Tres  
 Wodani vel  
 Odini. Vnus  
 antiquissi-  
 mus, alter se-  
 culi post Chr.  
 n. secundi  
 initio, tertius  
 seculo tertio  
 vixit. Medius  
 Wodanus *As*  
 a patria di-  
 ctus. Vbi ca-  
 sita.

(e) *Hist Eccles. Angl. lib. I.*

(f) *Vid. Chronol. Anglo-Sax. ad an 854.*



nos. Solicite is conseruabatur, atque, vt posteri maiorum exemplis excitarentur, magnorum virorum memoria, cum adhuc scribendi vsus deesset, ingentibus tumultis carminibusque posteris commendabatur. Authores etiam & propagatores magnarum familiarum per traditionem communem adserorum nepotum notitiam perferebantur. Hinc IORNANDES & PAVLVS DIACONVS Principum Gothorum & Longobardorum aliquot stemmata acceperunt, quibus non temere fidem deneges, praesertim vbi non vltra paucorum seculorum spatium ascendunt, atque ex vetustioribus authoribus iam deperditis desumpta sunt. De Hengisti autem & Horfi maioribus haec NENNI verba sunt: *Hors & Hengist filii Guitgils, filii Gugta, filii Guecta, filii Vuoden, filii Frealf, filii Fredulf, filii Fuin, filii Folepald, filii Geata, qui fuit, vt aiunt, filius Dei. Nunquid [leg. non quod] ipse est dominus exercituum vel dominus Deorum, sed vnus est ab idolis eorum, quae ipsi colebant. Haec est Genealogia istorum Marum, de quibus primo creuerunt Saxones. FAGIVS in Critica Annalium Baronianorum solide demonstrat expeditionis Saxonicae in Britanniam epocham secundum BEDAM, ETHELWERDVM, MALMESBURIENSEM, HUNTINGTONVM omnesque adeo veteres Scriptores Anglos ab anno Christi CCCCXLVII.*

inci-

incipiendam. Debuere ergo Hengistus & Horsustunc virilis & quidem iam prouectioris aetatis fuisse, cum praesertim Hengistus iam filiam nubilem haberet, NENNIO teste. Hinc sequitur, si generationes per triginta annos computes, *patrem Geatae*, quem primum nominant in Genealogia Hengisti, circa initium seculi post Christum natum secundi vel in fine primi natum fuisse. Quis ille pater Geatae fuerit, NENNIVS non prodit; nec caeteri vltra Geatam progrediuntur. BEDA ad Wodanum saltem Horfi & Hengisti atauum adscendit. Interim Nennius addit, *Geatam fuisse, ut aiunt, filium Dei*, siue Principis magni, quem Saxones pro Deo coluerint. Vnde concludo, hunc Geatae patrem fuisse *Wodanum* priorem a Longobardis, Vandalis & omnibus Balthici maris accolis veteribus numinis instar habitum, a quo & *Mercurii dies Vodnesdaeg* dicebatur; Anglis vero hodiernis *Wednesday*, Belgis *Wonsdag*, *Woensdag* & *Goensdag*, Septentrionalibus *Wonsdag*, *Vodensdag*, *Odensdag*, *Onsdag* & Westphalis *Goedenstag*<sup>1</sup>, ac etiam, SCHEDIO teste (g), *Wodentag* adhuc vocatur. GERHARDVS SCHVRENIVS in *Teutonista* eundem diem Mercurii *Guedesdag* Germanice reddidit. TACITVS quidem *Mercurii* a Germanis culti etiam meminit. Sed cum is de Wodano eiusque potentia nondum quid inau-

(g) de Diis Germ. c. 5.



dire potuerit, Wodanusque eius tempore nondum forte rebus gestis inclaruerit, certum est, aliam quandam Germanorum apud ipsum diuinitatem innui. A Sueuis quoque in Heluetiae finibus commorantibus pro Deo habitus est adhuc seculo septimo ineunte, siquidem IONAE, Monacho Bobiensi, qui *vitam S. Columbani* iisdem fere temporibus composuit, fides habenda est. Dicit is, Columbanum, cum circa lacum Tigurinum versaretur, reperisse incolas regionis sacrificium profanum litare velle, vasque magnum, quod vulgo cupam vocauerint, quodque viginti & sex modios amplius minusue ceperit, cereuisia plenum in medio positum habuisse; ad quod vir Dei accesserit & sciscitatus sit, quid de illo fieri vellent: Illos respondisse, *Deo suo Vodano, quem Mercurium vocent alii, se velle litare: Illum vero pestiferum opus audientem, vas eminus sufflasse, miroque modo vas dissolutum & in frusta diuisum fuisse, vimque rapidam cum fragore cereuisiae prorupisse, manifesteque datum intelligi, diabolum in eo vase fuisse occultatum, qui per profanum litatorem caperet animas sacrificantium: Videntes barbaros obstupefactos, virtutem diuinam in Columbano inde agnouisse, castigatosque dictis euangelicis, vt ab his segregarentur sacrificiis, domibus rediisse.* Haec si vera sunt, vt videntur, Wodani cultus ad Sueuos translatus esse debuit a Scyris, qui Sueuorum

rum a  
Gothis  
sunt. Al  
antiqui  
bodni t  
que & v  
ab iis G  
tibus cul  
sententia  
ne, quem  
apud Rom  
maniae g  
haec tem  
in Graec  
de Graec  
quidem e  
antiquiss  
non adeo  
NANVM  
inter Moer  
norum no  
nalibus tr  
cant) a p  
Sic pariter



rum aduersus Gothos socii fuere, & post cladem a Gothis acceptam conterranei & Rhaetiae incolae facti sunt. Alias enim praeter duos Wodanos tertius adhuc & antiquissimus constituendus esset, qui diu ante Marobodui tempora, quibus Sueui Rhaetiam, Heluetiamque & vicina loca occuparunt, potentia excelluisset & ab iis Gothisque etiam & caeteris nostrae nationis gentibus cultum meruisset. PAVLVVS DIACONVS hanc sententiam confirmare videtur, vbi scribit: *Wodan sane, quem adiecta litera Gwodan dixerunt, ipse est, qui apud Romanos Mercurius dicitur, & ab vniuersis Germaniae gentibus, vt Deus adoratur, qui non circa haec tempora, sed longe antea, nec in Germania, sed in Graecia fuisse perhibetur.* Traditio quidem haec de Graecia orta esse videtur inde, quod tunc, & quidem ex Romanorum sententia, res Graecorum pro antiquissimis omnium vulgo haberentur. Caeteris non adeo repugnem, cum & videam BEATVM RHE-  
NANVM eo inclinare, vt putet, syluam Odenwald, quae inter Moenum & Nicrum iacet, a Mercurio Germanorum nomen habere. Quidam etiam ex Septentrionalibus tres Wodanos (ipsi *Odinos*, suo more (b) vocant) a posteris saepius in vnum confusos statuunt. Sic pariter Arminium vetustissimum & eum, qui de-

(b) *Edda in General. Odini.*

inde sub Augusto Tiberioque vixit, recentiores subinde commiscuisse reperio. *Thori* quoque diuersi temporis successu in vnum coaluere. Antiquissimi Wodani siue Odini tenuis notitia in Septentrionem venit. Omnia enim, quae de eo referunt, in Wodanum solummodo secundum & tertium quadrant. Ferunt ex Asia Romanae potentiae metu profugum primum in *Gardarike*, quod *Russiam* exponunt (i), inde in Saxoniam, porro in Fioniam, vbi insula *Odinsey* ab eo nominata, & tandem in Septentrionem venisse. **S NORRO STVRLESONVS** in confiniis seculorum duodecimi & decimi tertii supremus Islandiae Iudex, in Chronico Noruegiae haec & caetera nobis retulit ex veterum traditione. Sed cum Wodanus ex *Gardarike* in Saxoniam venisse dicatur: *Russia* hac voce nequaquam intelligi potest, inter quam & Saxoniam, quocunque modo eam sumas, amplissima terrarum spatia iacuerunt. Sumenda igitur est regio, ex qua in Saxoniam recta iter fert. Ita vero terra inter Albim & Viadrum inferiorem optime omnium conuenit Saxoniam inde intraturis. Habuit hic tractus olim litorales villas siue ciuitates etiam Romanis non ignotas. Vnde non adeo improprie *Gardarike* siue *villarum* aut *ciuitatum regnum* dici potuit, & quidem respectu aliarum regionum, vbi  
vix

(i) TORFAEV, *Ser. Reg. Dan. lib. II. c. 2. p. 103.*

vix vna & altera exstabat. Hac vero ratione *Asgardia*, siue natale Wodani solum, vltra Viadrum eique propinqua fuerit. Ibi apposite memorat, vt supra etiam attigimus, PAVLVS DIACONVS (k) celebrem in Vandalis campum *Asfeld*, in quo cum Gepidis, Vistulae accolis, Longobardi pugnauerint. Est ibidem mons *Ochsenberg*, & sub eo oritur Ossa amnis in sinum Gardensem se deuoluens, vbi duplex locus *Garda* eidem sinui nomen facit. Ab Amnibus populos nominari & distingui, certum est. Multo igitur commodius & verius etiam Odinus vel Wodanus ab Ossa & *Asgardia* siue *Ossae villa* vel *regione* deducitur, quam ex *Asia*, in qua tunc nulli Germani. Amnem olim *Asam* dictum verosimile est. O enim & A saepius permutantur a vulgo. Sic Saxones *ouer* & *auer*, *loven* & *laven*, *God* & *Gade*, *Osenbrugge* & *Asenbrugge* promiscue dicunt, & posterior pronuntiatio antiquior est. Wodanus igitur & Socii a patria primum *As* & *Assi*, vel, vt Septentrionales pronunciant, *Aas* & *Aeser* nominati sunt; quod cum quidem viderent veteres, nec tamen istam *Aसारum* regionem nossent, de *Asia* interpretati sunt, Wodanum Turcarum Regem, ridicule satis, fecere (l),  
 atque

(k) lib. I. c. 24.

(l) Vid. VERELIUS ad *Hiernatae sagam*. pag. 5. sq.



atque ex Asia miris ambagibus & nulla verifimilitudine in Septentrionem deduxere. Adamauere deinde *Asae* nomen eo magis & Diis suis omnibus tribuere Septentrionales: quoniam *as* & apud Gothos veteres indito *Nans*, *semideum* & *primatem* denotabat. Notus est Iornandis locus, vbi de Gothis dicit, eos *proceres suos, quorum quasi fortuna vincebant, non puros homines, sed semideos, id est, Anses vocauisse*. Proprie haec vox *fauentem* aut *gratiosum* designat, vt apud veteres Germanos ex eodem fonte haustum *anst*, & apud Septentrionales *ast* significat *gratiam, fauorem* atque *amorem*. SCHEFFERVS, qui cum Wodani cognomine *As*, nomen *Haesi* Celtici Dei, *Hazizi* Syrorum Martis & *Hassorum* aliquid commune habere putat (m), diuersissima confundit, vt solent, qui ex solo nominum sono de originibus vocum iudicant.

§. LVIII.

Wodanus  
Vandalus,  
quo itinere  
in septentri-  
onem per-  
rexerit. lu-  
thae vnde  
dicti, Scan-  
dinavia vn-  
de. Est Cher-

*Wodanus* igitur Vandalus, seu, quod latius dictum est, Suenus natione, gente *Assus*, cum suis primum occidentem versus mouit, & superato Viadro per Pomeraniam, Mecleburgium, Wagriamque in Chersonesum Cimbricam profectus est. Aliquos ex suis in vicinia Wagriae resedisse, nec vltius tetendisse con-  
iicio,

(m) *Vpsul. Antiqu. pag. 79. sq.*

icio, ut iam ante dixi, ex nomine *Assipittorum*. Hoc enim *residuos Assorum* interpreteris: quia *biten* & *beiten* olim *residuum esse, remanere, morari*, significavit, unde compositum *gebiten*, a quo *Gepidae* dicti, quasi *qui remanserant*, nec statim cum suis profecti erant: Id enim indicare voluit Iornandes, quanquam locus apud eum aliquantum corruptus mihi videatur. Tandem peruenit Wodanus in extremam Chersonnesi Cimbricae partem, *Geatland* vel *Geatham* veteri & Anglofaxonum quoque sermone dictam, ab veteri Theotisco atque etiam Anglofaxonico *geat*, Saxon. *gat* & *gote*, introitus, via, porta; quia ibi Codanus sinus veluti introitus vel porta, est ad Balthicum, siue, ut olim vocabatur, Suevicum mare. Non nescio reliquas a RVDBECKIO & TORFAEO in medium allatas originationes: sed haec nostra & rei & rationi omnium maxime congruere videtur. *Geatae* autem illi, ut vocantur ab ALFREDO Rege in BEDAE translatione Anglo-faxonica, deinde diuersis enunciandi modis *Gautae*, *Goti*, *Gioti*, *Cutae*, & danico more G in I mutato (n) *Iotae* & *Iutae*, imo & *Vitae* in quibusdam BEDAE codicibus (o) nominati sunt. Hinc apud SNORRONEM Odini nomen quoque *Gaute* esse refer-

sones Cimbrica & finitimum litus nostrum. Cur Wodanus gigas fingatur. Cur Deus Mars etiam dicitur. Cur pro malo Deo habitus sit. Unde nobis das wütende Heer, & quid rei sit.

(n) GROTHII *prolegom. Goth. TORFAEI ser. reg. Dan. p. 26.*

(o) *Hist. Gent. Angl. lib. 1.*

refertur, & *Iutia* ad aliarum Gothiarum distinctionem *Reitgothia*, aliquando & *Gothia* absolute, dicebatur (p). BIORNVS DE SKARDZA, in *Opusculo de Runis*, TORFAEO teste (q), refert, se in Annalibus Oddensibus SAEMVNDI Pastoris legisse Wodanum & caeteros Afas etiam *Goda*, *Gidur* ac *Guidiur* nec non *Dya* & *Dyser* dictos fuisse. Hoc vero idem est, ac si *Iutae* ac *Teutones* (per horum enim terras venerant) dicti fuissent. Patria item Odini modo *Gudheim*, modo *Godheim*, imo & *Iotnaheim* a Iutis audiit, quod recentiores erronee de *Scythia* exposuere (r). *Geatarum* nomen indito N iam olim in illud *Gantarum* & *Geatwic* in *Gantwic*, quod *Codano sinui* tribuitur, corruptum est ab alienigenis. Ex *Gantinau* siue *Geatarum* insula vel regione porro ipsa *Scandinavia*, solo fibilo praeposito, prodiit, vt ex *Codanau*, siue insula Gothorum, MELAE *Codanouia* vel *Codanonia*. Nomen hoc Chersoneso Cimbricae, insulis adiacentibus & littori maris Balthici Germanico datum esse supra iam tetigimus. *Geat* & *gaet* Anglo-saxonum, iet Danorum lingua *gigantem* significat (s); vnde sine dubio  
fabula

(p) Vid. TORFAEVS l. c. pag. 84. 85. sq.

(q) pag. 121.

(r) Vid. SCHEFFERI *Vpsal. ant. pag. 87.* VERELII *notas ad Heruar Ssga p. 4.*

(s) TORFAEVS l. c. p. 95.

fabula Sagarum Septentrionalium orta est de Gigan-  
tea Wodani & sociorum statura & quod *Iotnabeim* sit  
*terra gigantum*. *Gotte* porro apud Septentrionales *mi-*  
*litem* & *guth* apud Anglosaxones *bellum*, vt *guth-fana*  
labarum, denotauit; a quo factum est vetus nostrum  
*Gundfano* in Epinicio Regis Francorum Ludouici a 10.  
SCHILTERO publicato & Glossis veteribus obuium,  
& ab hoc iterum Gallorum *Gonfalonnier*, quem Ca-  
pitulare Caroli Calui rectius *Guntfanonarium* vocauit.  
Sonum vero vocis *Gotte* cum *Gothe*, *Iuta*, conueni-  
entem non parum iuuisse puto, vt Wodanus in Septen-  
trione pro *Marte* siue bellorum praefide haberetur  
(t). ANONYMVS etiam SCRIPTOR VITAE S. CO-  
LUMBANI Wodanum, qui a IONA *Mercurius* in-  
terpretatus erat, *Martem* Sueuorum esse exposuit. *Oede*  
tandem nobis est desertum, siue locus, vbi nihil, quod  
vsui est, reperitur. Septentrionales eiusdem signifi-  
cationis vocem habent. Iisdem *auda* & *oeda* est *de-*  
*struere*, perdere, & *mors* ipsa *ode(u)*. Hinc iidem Odi-  
num pro Deo malo, & vastitatis famisque authore(v),  
locumque, vnde venit, *Gudheim* nempe, pro *loco occi-*  
*sorum in praelio* & *inferno* habuerunt. Restat Suecis

D dd 2

im-

(t) Vid. ADAM. BREM. & SCHEFFERI *Vpsal. pag. 69. sq.*  
GROTIVS *Prolegom. Gsch. p. 22.*

(u) RVDBECK. *Atland. Part. 1. p. 727.*

(v) Vid. SCHEFFERI *Vpsal. pag. 70. sq.*



imprecandi formula: *far till Odens pro abi ad orcum*; & Islandis: *Oden eiga dig* siue *habeat te Odinus*, ut vulgus nostrum dicit: *diabolus te auferat*. Aliam formulam WORMIVS annotat, *hwad Odens laetum* siue *quis iste Odini tumultus*, & exponit: *quid hoc mali est*. SCHEFFERVUS, qui haec congeffit, addit, strepitus nocturnos, quos spectrorum larvarumque esse putet vulgus, a Wodano dictos: sed nos inde temporis successu *das wütende Heer*, hoc est, *furentem exercitum* fecimus. Ratio nominis *Wodani* a Saxonico *wod*, Germ. *wuth*, furor, olim ab aliquibus arcessita, fabellae huic iterum originem dedit. Prudentiores enim sciunt, strepitum istum nocturnum in syluis non nisi a feris per arbusta currentibus aut a maioribus auibus noctu super arborum cacumina volitantibus & ramos ipsarum alis concutientibus oriri.

### §. LIX.

Ex Septentrionalium alias traditionibus manifestum est, Wodanum, Principem virtutum fama celebrem & artium multarum scientia, ab ipsis forte Romanis instructum, in Noruegiam Sueciamque non hostem, sed amicum, & si EDDAE & SNORRONI fides, a Gylfone Rege inuitatum, ut vastam regionem cultoribus impleret, venisse. Nec spes de covana. Ipsi enim Septentrio omnis iudiciorum ordinem

Wodanus inuitatus in Septentrionem venit, eumque legibus, carminibus, scribendi-que arte tradita cultorem fecit. Cur magus fuisse credi-

(x),

(x),  
num g  
& scrib  
sterium  
nequir  
ras, qu  
racterib  
Memori  
apud aeq  
tem non  
tatus, i  
quidem  
fuisse pu  
nostro h  
des erat,  
tem iis d  
iunctioe  
Sic via qu  
Vrsae ma  
est. De  
guris supr  
bros a R  
  
(x) v  
(a) i  
e.  
(b) r




(x), sacrificiorum meliorem constitutionem, carmi-  
 num genus politius (z), & tandem Runas siue literas  
 & scribendi artem (a) in acceptis dudum tulit. My-  
 sterium literarum cum primum rudes homines capere  
 nequirent, effectum tamen illius cernerent, ipsas lite-  
 ras, quod etiam postea Americanis contigit, pro cha-  
 racteribus magicis & incantationis specie habuerunt.  
 Memoria inde Wodani apud suos non tantum, sed &  
 apud acquisitos populos sacra facta, & ipse post mor-  
 tem non solum Deus dictus, sed & in solem transpor-  
 tatus, imo ipse sol esse creditus est (b). TORFAEVUS  
 quidem hunc honorem Odino antiquissimo exhibitum  
 fuisse putat: sed non video, cur non etiam de Odino  
 nostro hoc statui potuisset. Haec enim veterum fi-  
 des erat, ut putarent, animas non perire; sed post mor-  
 tem iis diuinitatibus uniri & astris inferi, quorum con-  
 iunctionem rebus aut bene aut male gestis meruissent.  
 Sic via quoque lactea *Irminstrate*, & plaustrum siue sidus  
 Vrsae maioris *der Irmenswagen* ab Arminio vocatum  
 est. De Runis de caetero antiquissimis earumque fi-  
 guris supra actum est prolixius, ubi literas per Cim-  
 bros a Romanis ad nos translatas & a scribis primae

tus sit. Cur  
 Soli eius no-  
 men datum.  
 An Germa-  
 nica Dei ap-  
 pellatio ab eo  
 orta.

Ddd 3

aeta-

- (x) Vid. *Eddae Prologus*. (z) SNORRIUS in *Chron. Norueg*.  
 (a) IDEM. Add. THOM. BARTHOLIN. *Antiqu. Dan. lib. III*.  
 c. 2. & TORFAEVUS *Ser. Reg. Dan pag. 132. sq.*  
 (b) TORFAEVUS l. c. pag. 114.



aetatis rudioribus mire deformatas fuisse ostendimus. Ex nomine tandem *Wodani* vulgare nostrum *Got*, quo summum numen appellamus, prodiisse vetus opinio est, & iam a GODEFRIDO VITERBIENSI annotata. Probant eam GESNERVS in *Mithridate* (c), REINECCIUS, BESOLDVS aliique viri eruditi. A *bonitate* enim Deum nobis non esse dictum, soni differentia, quae est inter *gott*, Deus, & *gut*, bonum, probare videtur. Nec, cum constet Odini vocem in *Ote* & *authe* contractam, vt infra in loco Abrenunciationis veteris Saxoniae apparet, difficile creditu est *Wodani* nomen, quod cum G Longobardis scriptum fuisse PAVLVS DIACONVS affirmat, transiisse in *Goden*, & tandem in *God* vel *Gott*. Interim forte antiquior multo heros fuit *Got* vel *Geatae* siue *gigantis* nomine insignis, a quo vox *gott* in appellationem Dei summi prodiit. Nihil enim certi affirmari potest, vbi praeter coniecturas nihil habetur.

## §. LX.

Frea forte  
Wodano anti-  
quior, cum  
Fricone  
confusa. Dea  
pacis & amo-  
ris.

Vxorem Odini *Fream* vel *Friggam* faciunt ex communi traditione popularium PAVLVS DIACONVS (d) & Edda septentrionalis. Celebratur in plebe Saxonica *Fru Freke*, cui eadem munia tribuuntur, quae superiores Saxones *Holdae* suae adscribunt. Olim vaticiniis

(c) fol. 31. (d) lib. 1. c. 8.

ciniis eam inclaruisse probabile est. Veneratio deinde in cultum abiit, atque ex nominis sono pro *dea pacis & amoris* habita est. *Freyen* enim est *nubere & uxorem ducere*, & *fride*, pax. Diem Veneris ab ipsa *Freytag* dictam inter omnes conuenit. Et quoniam omnes Germaniae gentes in huius Diei appellatione conueniunt, inde coniiicio cultum *Freae* iam viguisse, vbi Sueui nondum patria exiissent, atque eam consequenter ipso *Wodano* antiquiorem esse, id quod etiam insinuat *Eddae* locus *ATORFAEO* (e) adductus. In templo *Vpsaliensi* pacem, voluptatemque largiens haec diuinitas, teste *ADAMO BREMENSI* (f), virili forma & sub nomine *Fricconis* culta, ipsius vero simulacrum ingenti *Priapo* fictum fuit. Confundere forte Septentrionales *Fricconem*, Principem pacis artibus illustrem apud ipsos, cum *Freae* a Saxonibus accepta. De caetero *THOMAS MARESCALLVS* in *observationibus ad Versionem Euangeliorum Anglo-Saxonicam* notat, se in anonymi libello *Msto* reperisse, Cingulum *Orionis* in coelo appellatum olim fuisse *Friggeroch*, hoc est, *colum Friggae*, quod post religionem Christianam receptam *Mariroch* siue *colus Mariae* dictum deinde fuerit.

## §. LXI.

*Gylfoni* *Sueciae Regis* amicus in *Wodanum* a-  
nimus, & *pacifica Septentrionis* per eundem acqui-  
situs

Ante *Wodanum* iam  
Germani in  
Septentrione

(e) *Ser. Reg. Dan.* p. 118. (f) *Elit. MADER.* pag. 157.



dominati.  
*Thor* Woda-  
 no antiquior  
 pro Ioue cul-  
 tus. Cur sub  
 tauri figura  
 effictus sit.  
 Cimbri iam  
 Thorum co-  
 luerunt.


tio facit, vt suspicor, Gylsonem non alieni, sed eiusdem aut cognati generis fuisse, atque adeo ante Wodanum Germanos ( sub nomine hoc iam omnem Theotifcorum nationem intelligo ) in Septentrione, repulsis in interiora Finnicae aut Lappicae gentis hominibus, sedes fixisse. Et sunt in Sagis veteribus narratiunculae, quae sententiae huic, rationi non adeo debili alias suffultae, fauent. *Thor* certe in templo Vpsaliensi medius & honoratiori loco locatus fuit inter Wodanum & Fricconem. *Statuas; inquit ADAMVS, trium Deorum veneratur populus, ita vt potentissimus eorum Thor in medio solum habeat triclinium. Hinc & inde locum possident Wodan & Fricco. Thor* ipse aëri praefidere, & tonitru, fulmina, ventos, imbresque, serena & fruges gubernare creditus, & cum sceptro *Iouem* exprimere visus est (g). Inter Saxonum etiam Deos primum locum obtinuit, & *Thunner* vel *Donner* vocatus est. Vti enim *donner* nobis tonitru, ita Septentrionalibus *torden* significat tonare. Doctissimus Princeps & Episcopus Paderbornensis FERDINANDVS a Furstenberg in vetusto Msto Palatino Romae Concilio Listinensi anno DCCXLIII. habito subiunctam inuenit Abrenunciationem diaboli operumque eius & breuem fidei Professionem veteri lingua Saxonica conscriptam. Inter alia in ea legitur: *Ec*

*for-*

(g) ADAM. BREM. l. c. pag. 152.

*forſacho allum dioboles mercum und Wordum; thuna eren de Vuoden end Saxnote, ende allem them unholdum, the hira genotas ſint.* DIETERICVS STADENIVS, vir in veteris linguae ſcientia, dum viueret, excellens, primus hoc antiquiſſimum linguae noſtrae monumentum interpretatus, & ſuſpicatus eſt, *Saxnote* diſtinguendum *Saxn Ote*: Verba vero *thuna eren de* legit *thuna erende* expoſuitque *lucorum cultui*. Sed *thun*, quidem pro *ſepe* atque etiam *vrbe* vel *loco ſepto*, nunquam tamen pro *luco* uſurpatum legi: nec de lucis, ſed de abrenunciatione falſorum Deorum ibi agitur, qui ordine recenſentur. Ego itaque ſcribo: *thunaer ende Vuoden end Saxn Ote*. Ita ſenſus integrae periodi eſt: *Ego abrenuntio omnibus Diaboli operibus & verbis, Thunaro ( ſiue Thoro ) & Wodano & Saxonum Odino, & omnibus ſpiritibus malis, qui conſortes ipſorum ſunt.* Diuerſus autem eſt hic Thorus vel Iupiter tonans a vetuſtiſſimo Celtarum *Tarano*; licet iisdem Celtis *taran* quoque *tonitru* deſignet, vt ſupra oſtenſum, & hic quoque vtraeque nationi non diu poſt eius ortum imperaſſe videatur. Noſter Thorus ſub nomine *bouis* cultus eſt, quia *taurum* & nos olim *thor, tur* nominauimus, pro quo iam ſibilo praefixo *Stier* dicimus ( *b* ). Hinc in veteribus cippis Runicis  
fre-

( *b* ) Vid. RVDBECK. *Atland. Part. II. cap. 5. pag. 321. ſq.*



frequens tauri figura, & icunculae tauri aeneae aliquando in tumulis maiorum nostrorum ethnicorum reperiuntur. Veteres enim arte scribendi destituti, res inuisibiles per visibiles similis appellationis sibi in memoriam reuocabant. In Thori memoriam etiam caput bouinum aureum in sepulchrum Childerici Regis Francorum, quod prope Tornacum repertum CHIFFLETIVS peculiari libello descripsit, depositum fuisse existimo. Alias in Suecicis monumentis repertas Thori delineationes RVD BEKIVS & alii exhibuerunt. BIRCHERODIVS Professor Regii Gymnasii Othenseensis in Fyonia peculiarem de bouinis simulachris in tumulis Cimbricis repertis dissertationem edidisse legitur, (i) qui etiam obseruauit, iam apud Cimbros Thori cultum sub hac figura viguisse, Thorumque ideo diu ante Cimbros floruisse concludo. Plutarchus enim in Vita Marii meminit, his Italiae inuasoribus bouem in facris, superque eum iuramenta praestita fuisse. Cum Wodanus ac sui, Assi omnes gente Septentrionem intrassent, facile persuasere incolis illius regionis veteribus & Thorum gente Assum fuisse: unde Lappones ipsum *Turrisas* vocarunt, & pro Marte siue bellorum Deo coluerunt (k). Eodem titulo quoque veteribus Normannis Gallicae Normandiae occupato-

(i) Vid. ARNKIELI *Cimbria ethnica lib. III. cap. 7. & alibi.*

(k) Vid. SCHEFFERI *Lapponia cap. 7.*

patorib  
GEMET  
(a) pro  
co ad B  
Thor, a  
swithe, h  
ni summi  
Norman  
mensis M  
Iouis iisd  
& Thunre  
audit. B  
nomine a  
Celtarum  
GRAMMA  
res de Th  
quia ab ant  
ta scio. N  
coaceruo,  
rissimum k  
veterum Ge  
nia dissertati

(l) lib. I

(m) lib.

(p) F A

Sutog

patoribus Thorum venisse DVDO (l), GVILIELMVS GEMETICENSIS (m) & ORDERICVS VITALIS (n) prodiderunt. Vetus Homilia Saxonica a WHELOCO ad BEDAE *Historiam Ecclesiasticam* (o) citata: Thor, ait, eac and Eouthen the haethene men heriath swithe, hoc est, Thor quoque & Woden, quos pagani summis laudibus prosequuntur. Per Paganos hic Normanni siue Dani intelligi videntur, apud quos & mensis Martius vulgo Thormanet dicitur (p); & dies Iouis iisdem Thorsdag, Anglo-Saxonibus Thursdaeg & Thunresdaeg, Anglis Thursday, nobis Donnerstag audit. Bauari hunc diem Psingstag notanter appellant, nomine a Deo Pennino, qui maiorum ipsorum siue Celtarum Iupiter erat, defunto. Caetera, quae SAXO GRAMMATICVS, OLAVS MAGNVS & Sagae veteres de Thoro, Wodano & Frea habent, praetereo, quia ab antiquariis Danis Suecisque cumulatim exposita scio. Neque recentiorum obseruata de iisdem Diis coaceruo, cum solite de illis tractaturum sciam Clarissimum KEYSLERVM, qui operi egregio *de Diis veterum Germanorum* iam luculenta *de Dea Nehalennia* dissertatione prolusit.


Eee 2

§. LXII.

(l) lib. I pag. 62. (m) lib. II. c. 4.

(n) lib. IV. pag. 513. (o) pag 495.

(p) FABRITII *Menolog. cap. 28.* Adde LOCCEN. *Antiqv. Suegoth, lib. 1.*



## §. LXII.

Rheda Saxo-  
num Dea,  
nunc Thu-  
ringis *Rofa*.

Hoc addo, *BEDAM* in libro de temporum ratio-  
ne (q) commemorare, fuisse Saxonibus Deam *Rhe-  
dam* nomine, a qua *Martius mensis* illis *Rhedmonath*  
vulgo dictus fit. Hanc veterem gentis Saxonicae  
Principem & vatem fuisse verosimile est. Nec differt  
forte a *domina Rosa*, cui fabellae vulgares apud Er-  
furtenses eadem tribuunt, quae alibi de *Holda* cir-  
cumferuntur. Si enim *D*, more solito superioris  
Germaniae, in *S* commutes, idem fere nomen pro-  
dit.

## §. LXIII.

Ordo ge-  
nuinus Prin-  
cipum vel  
Ducum Saxo-  
nicorum.

Fuere itaque celebres Saxoniae Principes:  
*WODANVS* vetustissimus, pro Deo habitus.  
*THOR*, primus Septentrionis deuiCTOR, & *Iupiter*  
sive *Mars* creditus.

*RHEDA* Princeps & vates vetusta, in Dearum nu-  
merum, post mortem relata.

*WODANVS* sive *ODINVS*, gente *Affo-Vandalus*,  
qui *Cherfonesum Cimbricam* cum adiacentibus in-  
sulis & omni Septentrione pacifice sibi subiecit initio  
seculi post Chr. N. secundi: post mortem *Mercurius*  
& *Mars*.

*FREA* vxor *Wodani*, vates, dum viueret, *Venus*  
suae gentis post mortem. Fuit etiam alia *Frea*  
*Wodano* antiquior. GEA-



GEATA fator stirpis, vnde HENGISTVS & HOR-  
SVS Britanniae occupatores & Reges Anglo-Saxones  
prodire. Ordo ipsorum ex NENNIO & BEDA hic  
est:

Wodanus

Geata.

Folepald, Chronol. Saxon. Godwulf.

Fuin, Chronol. Sax. Finni.

Fredulf, Chronol. Sax. Fritbuwulf.

Freawin. Hunc NENNII exemplar  
non habet, sed Chronologia  
Saxonica ex alio veteri & inte-  
riori sine dubio codice profert.

Frealf. NENNIVS Fredulfi filium facit;  
sed Chronologia Saxon. Freawini.  
Frealfum Chronol. eadem Fritbu-  
waldum vocat.


Wodanus siue Saxonum Odinus.

Guccta, BEDAE Vecta, Chronol. Sax. Wecta.

Gugta, a BEDA omiffus. Is enim  
Wodanum Horfi & Hengifti  
proauum tantum facit. Chronol.  
Sax. Witta.

Guitigils, BEDAE Wetgiffus, Chronol.  
Sax. Wibtgils.

Horfus. Hengiftus.  
Britanniae ab anno Chr. 447.  
occupatores.



## §. LXIV.

Recensio Genealogiae Principum Saxonorum ad Noam usque extensa a fabulatoribus Christianis.

Et haec sunt, quae certius nouimus de Principibus vetustis Saxonis. Chronologia Saxonica ultra Geatam, Wodano omisso, progreditur usque ad diluuii tempora: sed, cum ea, quae refert, a NENNIO non sint commemorata, a Saxone Christiano conficta putem. Prosequitur vero, ne plane id praeteream, Geatae maiores hoc modo: *Geata Tetwaini, Tetwainus Beawi, Beawus Sceldwaei, Sceldwaeus Heremodi, Heremodus Itermoni; Itermonus Hrawaini: qui scilicet in Arca Noae procreatus fuit.* Genealogiam huiusmodi Asserium primum & postea Ethelwerdum nobilem Saxonem euulgasse putat SHERINGANVS in *Disceptatione de Anglorum Gentis origine* (r). GUILIELMVS MALMESBURIENSIS eandem, partim paulo aliter, nec tamen verius, ita profert: *Heremodus Stremonii, Stremonius Hadrae, Hadra Gualae, Guala Beduegii, Beduegius Stoesaei: hic, ut dicitur, fuit filius Noae.* Ethelredus Abbas Rieuallensis etiam aliquantum ab antecedentibus discrepat, dum scribit: *Geta qui fuit Gearwa, qui fuit Beu, qui fuit Celdwa, qui fuit Heremod, qui fuit Itermod, qui fuit Hathra, qui fuit Wala, qui fuit Beadwig, qui fuit Sem, cuius pater Noe.* Sed generationes hae usque ad Noam non per-

(r) pag. 425.

pertinet  
earunde

Sed  
li secund  
nempe N  
nondum  
moribus c  
lentium,  
suo, hoc  
CHINDV  
tustissimu  
gesserint,  
prodit (s  
BIENSIS  
nioni calc  
studiosius  
Certum en  
res olim v  
tione de V  
storia (u)  
ante me M  
gessit. TA  
vti testatur

(r) lib.  
(u) Cap.

pertingunt, & vel relatio fabularum, est refutatio earundem apud rerum intelligentes.

§. LXV.

Sed tandem ad id veniendum est, quod sub seculi secundi initia contigisse coniecimus, SAXONICI nempe NOMINIS ORIGINEM primam. TACITO id nondum innotuisse ex libello ipsius *de Germanorum moribus* cognoscimus, in quo altum de Saxonibus silentium, quorum tamen mentionem PTOLEMAEVS suo, hoc est Antonini Pii tempore, fecit. WITECHINDVS, Saxoniorum historicorum apud nos vetustissimus, Saxones a *cultellis*, quos gladiatorum loco gesserint, *Sachsen* apud nos dictis, nominatos ferri prodit (s); quod deinde & GODEFRIDVS VITERBIENSIS (t) statuit. Fateor me primum huic opinioni calculum meum denegasse. Nunc tamen re studiosius expensa, eam non possum non probare. Certum enim est, breues gladios, siue cultros maiores olim vulgo *Sachsen* vocatos. Exempla in *Dissertatione de Vsu & praestantia studii Etymologici in Historia* (u) non paruo numero protuli; quaedam & ante me MEIBOMIVS in *notis ad Witechindum* congeffit. TACITVS quidem Germanos raros gladiis uti testatur. Eos tamen, qui Romanis propiores essent, gladiis

Saxones dicti a breuibus gladiis. Hi ad imitationem Romanorum fabricati a Saxonibus in Septentrione seculo post Chr. nat. secundo.

(s) lib. I.

(t) *Pantlei Part. 17.*

(u) *Cap. I.*



gladiis permagnis & ponderosis vsos, quos *Spatas* dixere, DIODORVS SICVLVS & PLVTARCHVS (v) affirmant. Sed Saxonum speciatim inter arma cultros siue gladios breues fuisse non vno loco veteres testantur. Apud NENNIVM Hengistus suos ad interficiendum proceres Vortigerni Regis Britannos hortatus dicitur voce: *nimed eure Saxes*, hoc est, vt ipse NENNIVS interpretatur, *cultellos vestros de siconibus vestris deducite*. Huius vero generis armorum praestantiam prae longis illis & grauibus gladiis a Romanis didicisse videntur, qui expeditorum breuiorumque gladiatorum ope fere semper in congressibus cum Germanis superiores euasisse leguntur. Copiam horum gladiatorum Saxones, cum ferrum alias rarum esset apud Germanos, nacti demum sunt, cum intrata sub Wodano Noruegia Sueciaque aeris ferrique fodinas aperuissent, metallorumque tractandorum rationem, a Romanis acceptam, in Septentrione exercebant. Nouitas rei ipsis apud conterraneos nomen peperit, quod ideo Wodano bonarum artium cultusque in Septentrione auctori, posterius est, & seculo demum post Chr. natum secundo procurrente innotuisse potuit. Rem vero metallicam a Saxonibus vel maxime in Septentrione exercitam, supra iam ex nominibus locorum inter Wermelandiam & Angermaniam

(v) in vita Marii.

niam sit  
tibus or

Haec  
praeterm  
rum ordi  
sequentib  
reuertim  
ferat, vel  
cessoris in  
de Assyria  
cavit, atq  
phrate ter  
natum an  
barbaris t  
infra iam S  
bant. Hos  
armis qua  
exemplum  
duxerat, D  
penfitatione  
tim Germa  
sent, virtut  
si gnauiter a

(\*) XII

niam sitorum atque a Saxonibus appellationes trahentibus ostendi.

§. LXVI.

Haec de rebus nostris, a Romanis scriptoribus praetermissis, breuiter tetigisse sufficiat. Iam temporum ordine resumto, ad ea, quae sub Hadriano & sequentibus Imperatoribus nostra porro concernunt, reuertimur. Hadrianus, vt primum Traiano successerat, vel nimia Imperii mole motus vel gloriae antecessoris inuidens, statim atque imperium adeptus est, de Assyria, Mesopotamia & Armenia exercitus reuocauit, atque ita tres imperii prouincias reliquit, Euphrate termino imperii constituto. Idem de Dacia conatum amici deterruerunt: ne multi ciues Romani barbaris traderentur: supra enim Daciam Germani, infra iam Sarmatae & in tergo Roxolani iis imminabant. Hos autem & caeteros imperii hostes non tam armis quam pecunia placare solitus est (\*), quod exemplum Domitianus primo, in rempublicam introduxerat, Deceballo, cum armis non posset, tributum pensitatione pacato. Placuit ea res barbaris praesertim Germanis. Hi enim, cum dudum experti essent, virtutem Romanam decrefcere, ac suae cedere, si gnauiter agant, alii post alios ad fines Imperii accessere

Sub Hadriano Imperium imminutum: barbari largitionibus placati. Itinera Hadriani. Expeditio in Sarmatas & Roxolanos. Sorani Bataui laus. Iter in Germaniam & Britanniam. Limes muniti. Moles Hadriani Romae & caetera eius gesta.

(\*) XIPHILIN. SPARTIAN. cap. 17.



fere annuorum munerum, quibus pax redimebatur, auidi. Post, vbi stipendia non sufficere viderentur, vltra itum, ac tandem ipsum per eos Romani Imperii nomen in Occidente penitus fere extinctum est. Hic enim fere incipiunt tempora, vbi indies imperium in peius ruit. *Virtus certe Augustorum, Inuicti Augusti, salus prouinciarum, victoria aeterna, spes publica, gloria seculi, securitas perpetua, felicitas temporum, Roma felix & aeterna* post Hadrianum non reperiuntur, nisi in nummis, metalli & artificii deterioris aeuque miseriam testantibus. Euidens inde est, bonas quoque artes, decrescente publica felicitate, in peius quoque ruere. Hadrianus pacem vbique largitionibus conseruans, totum se peregrinationibus dedit, orbemque sui temporis Romanum mira celeritate percurrit. Hinc tot eius nomine signati nummi, in quibus legas: ADVENTVI AVG. GALLIAE, BRITANNIAE, HISPANIAE, ASIAE, BITHYNIAE, CAPPADOCIAE, CILICIAE, PHRYGIAE, PAMPHYLIAE, LYCIAE, SYRIAE, ACHAEA, EVBOEAE, SICILIAE, AFRICAE, MAVRETANIAE. Geographiae studium maxima inde incrementa habuisse, non est dubium. Nos ex itineribus eius solum notamus, anno Christi CXX illum, exercitibus praemissis, Moesiam petiisse, vt componeret motus Sarmatarum & Roxolanorum, quo-

quorum  
Batauum  
LINVS ex  
ranus, cu  
bii efflu

Ille ego

Inter m

Hadria

Aequora

Emissum

Ac redi

Quem n

Non in

Hic situ

Viderit

Exemplo

Hinc vero

constitisse,

cos & Par

matas gestu


tas & Roxo

lites habui

trouersias,

(\*) SP

(\*) pag.



quorum notitia ad ipsum peruenerat (z). Equitatum Batauum tunc Danubium armatum transiisse XIPHILINVS EX DIONE notauit. Eminuit in eo miles Soranus, cuius Epitaphium prope Budam in ripa Danubii effossum apud GRVTERVM (a) extat tale:

*Ille ego Pannoniis quondam notissimus oris,  
Inter mille viros primus fortisque Batauos,  
Hadriano potui qui iudice vasta profundi  
Aequora Danuuii cunctis transnare sub armis,  
Emissumque arcu, dum pendet in aëre telum,  
Ac redit, ex alia fixi fregique sagitta.  
Quem neque Romanus potuit, neque Barbarus unquam,  
Non iaculo miles, non arcu vincere Parthus,  
Hic situs, hic memori saxo mea fata sacraui.  
Viderit ante aliquis post me, mea gesta sequatur.  
Exemplo mihi sum primus, qui talia gessi.*

Hinc vero patet, equitatum Batauicum mille viris constitisse, & Soranum sub Traiano iam aduersus Dacos & Parthos egregie militasse. Bellum in Sauro-matas gestum Chronicon Eusebii affirmat; sed Sarmatas & Roxolanos non cum Romanis; sed inter se ipsos lites habuisse ex DIONE concludo, qui eos ad controuersias, quae inter ipsos erant, Hadriano arbitro

Fff 2

vfos

(z) SPARTIAN. c. 6.

(a) pag. 562.

vsos esse dicit (b). Tunc quoque cum Rege Roxolanorum, qui de imminutis stipendiis querebatur, nullo cognito negotio pacem composuit (c). Ne vero per Traiani pontem barbari in Moesiam irrumperent, superiores illius partes, antequam a Danubio discederet, dirumpi iussit (d). Celebratis dehinc Quinquennialibus Romae anno CXXI. per Gallias, in Germaniam, quae nobis trans Rhenum est, transiit, cuius superiorem partem sub Traiano rexerat. Germanis Regem constituisse SPARTIANVS (e) refert, cuius nomen tamen nescitur. Vidit HARDVINVS nummum, in quo caput laureatum cum inscriptione: HADRIANVS AVG. COS. III. P. P. In postica apparuit Germania stans tunicata, dextra hastam tenens, laeva clypeo innixa. Additum GERMANIA S. C. (f).




- (b) XIPHILIN. l. c.      (e) SPARTIAN. c. 6.  
 (d) XIPHILIN. in Traiano.      (f) Cap. 12.  
 (f) HARDVINI Hist. Hug. pag. 76a.

SPAR-

SPARTIANVS  
 frequen-  
 minibus,  
 piribus m  
 eis atque  
 di praese  
 rexit, aut  
 passum i  
 reliquiae  
 Pons Aeli  
 fuere, qu  
 mina sum  
 in numm  
 Vnde tot  
 quae ab ip  
 turris resta  
 constructu  
 HARDVINI  
 re potuiss  
 & Inscripti  
 SMETIVS  
 recentes &  
 tandem it  
 quo Hiero  
 na exstru

(r) B





SPARTIANVS memorat quoque per ea tempora & alias frequenter in plurimis locis, in quibus Barbari non fluminibus, sed limitibus diuisi fuerint, Hadrianum stipitibus magnis in modum muralis sepi funditus iactis atque connexis eos separauisse. Operis huiusmodi praesertim in Britannia, quo ex Germania perrexit, author fuit. Muro enim per LXXX. millia passuum ibi ducto barbaros Romanosque diuisit, cuius reliquiae supersunt a CAMBDENO descriptae (g). Ad eum *Pons Aelia, Classis Aelia, Cohors Aelia, Ala Sabiniana* fuere, quae ab Aelio Hadriano & Sabina eius vxore nomina sumserunt. RESTITVTOR BRITANNIAE ideo in nummis quibusdam audit. Architecturam adamauit. Vnde tot vrbes *Hadrianopoles* ab ipso vocatae. *Molem*, quae ab ipso *Hadriani* nomen Romae gessit, cuius vero turris restans iam *Castrum S. Angeli* appellatur, ab eo constructum esse, veteres nullibi affirmant. Nec putat HARDVINVS illum opus huiusmodi in Vrbe exstruere potuisse, qui toto orbe Romano peregrinaretur; & Inscriptiones, quas ex ea mole descripsisse dicitur SMETIVS apud GRVTERVVM, eidem HARDVINO recentes & multis nominibus falsae esse videntur. Vbi tandem itineribus peractis, & finito bello Iudaico, in quo Hierosolymorum dirutorum loco *Aelia Capitolina* exstructa, in Italiam rediisset Hadrianus, Ceio-

Fff 3

nium

(g) *Britann. p. 650.*



nium Commodum Verum adoptavit, & *Aelii Veri* nomine dato Caesarem fecit, hoc est in imperio successorem. Sed ipso non diu post rebus humanis exempto, Imperator *Antoninum Pium* adoptavit, addita conditione, ut ipse sibi *Marcum & Verum Antoninos* vicissim adoptaret, filiamque suam Vero, non Marco daret (*h*). Sic Antoninus Pius non solum Caesar nominatus, sed & Imperii Collega renunciatus. Hadrianus eo ipso anno, hoc est, Christi CXXXVIII. apud Baias periit (*i*).

§. LXVII.

Antonini Pii  
gesta. Bri-  
tannicae tur-  
bae & res sub  
eo. Quid  
cum Quadis  
actum.

Vix ad Imperii gubernaculum pervenerat Titus Aelius Hadrianus Antoninus Augustus Pius, (ita enim in nummis nominatur) cum Marcum Aurelium consulem designaret & Caesaris appellatione donaret (*k*). Expeditiones ipse nullas suscepit, per Legatos tamen plurima bella gessit (*l*). Britanni per Lollium Urbicum Legatum victi (*m*). Annus victoriae in dubio fuit. PAGIVS leui admodum argumento usus annum CXL assumpsit. Sed annotatus est ab HARDVINO nummus Antonini, in cuius postica Dea tenens signum militare scopulis insidet; & adscriptum est: BRITANNIA  
COS.

(*h*) SPARTIAN. *Ael. Ver. cap. 6.*

(*i*) SPARTIAN. *c. 25.*

(*k*) CAPITOLINVS *in Marco cap. 6.*

(*l*) CAPITOL. *in Anton. Pio c. 5.*

(*m*) CAPITOL. *c. 5.*

COS. II.  
CXXXIX  
ius antica  
NVS AVG  
prum est: II  
ti signum  
annum CX  
tanniae me  
TIVS indica  
reor. In B  
cuius mem  
inter finum  
variae Insc  
testantur.  
& Legatos  
manos intel  
nummi, in  
ANTONIN  
in averso ver  
git Regi Qu  
pio est: RE

(\*) BEGE  
DVIN

COS. II. SC. quae temporis nota incidit in annum CXXXIX. Ab eodem alius nummus designatus est, cuius antica laureatum caput ostendit & verba: ANTONINVS AVG. PIVS P. P. TR. P. COS. III. Posticae inscriptum est: IMPERATOR II. & Britanniae sedenti & tenenti signum militare subiectum: BRITAN. SC. Hoc in annum CXL. quadrat. Sequentibus etiam annis Britanniae mentionem in nummis factam TILLEMONTIVS indicat. Vnde res ibi non vno anno compositas reor. In Britannia murum caespitium ab Hadrianeo, cuius meminimus, diuersum submotis barbaris duxit inter finem Edenburgensem & Dumbritionensem, vt variae Inscriptiones Romanae, CAMBDENO teste, testantur. Germanos etiam & Dacos per Praesides & Legatos contudit, Capitolino si credimus. Per Germanos intelligi Quados, verosimile est. Extant enim nummi, in cuius aduerso latere caput laureatum & ANTONINVS AVG. PIVS P. P. TR. P. COS. III. in auerso vero Antoninus togatus stans dextram porrigit Regi Quadorum palliato: additum SC. & inscriptio est: REX QVADIS DATVS (n).

OCCO

(n) BEGERVS *Thesaur. Brandenb. Part. II. pag. 665.* HAR-  
DVINVS *Hist. Aug. p. 768.*



occe in simili nummo legit: Cos. II. Vnde Germanica illa expeditio in annos Christi CXXXIX. & CXL. referenda esset. Gentium ad nos nil pertinentium remittimus. Antoninus ipse liberis suis superstes anno CLXI. obiit, eiusque loco *M. Aurelius* cognomento *Philosophus*, administrationem Reipublicae suscepit, qui statim L. Aelium Aurelium Commodum non modo Caesarem, sed & Augustum nouo exemplo renunciauit, omnesque Augustorum titulos, Pontificis tantum maximi excepto, cum eo communicauit.

§. LXVIII.

De Iustino  
historico &  
Appiano Ale-  
xandrino, qui  
fines Imperii  
sui temporis  
descripsit.

Antonino Pio Imperatori TROGI POMPEII  
Epitomen Historiarum IUSTINVS dedicasse dictus est.  
In vulgo editorum enim exemplarium praefatione le-  
gebatur: *quod ad Te, Imperator Antonine, non tam*  
cogno-

cognosce  
COBVS B  
Codicibus  
qui IVST  
runt cum  
apologetic  
no obtulit.  
storiae Rom  
psisse. In Pr  
cte recense  
versus poss  
rum versu  
caso, Arm  
orae illius  
nubio: ali  
busdam tra  
vltra Danu  
Britanniae  
nus commo  
fideant, fru

CLAV  
in haec tem  
tiones astro

*cognoscendi, quam emendandi causa transmisi.* Sed IACOBVS BONGARSIVS hanc adlocutionem in antiquis Codicibus inueniri negat. Obtrusam suspiceris ab iis, qui IUSTINVM hunc epitomatozem eundem putarunt cum illo Philosopho & martyre, qui librum apologeticum pro religione Christiana Imp. Antonino obtulit. Certius est, APPIANVM ALEXANDRINVM, historiae Romanae scriptorem, Antonino imperante scripsisse. In Praefatione is fines imperii sui temporis succincte recenset. Enumeratis, quae Occidentem & meridiem versus possederunt Romani, dicit, dominationem ipsorum versus Orientem terminari Euphrate, monte Caucaso, Armeniae maioris regno, Colchide & reliquo orae illius: versus Septentrionem vero Rheno & Danubio: alicubi tamen trans hos amnes Germanis quibusdam transrhenanis imperare, & Getis siue Dacis ultra Danubium: occupasse etiam plus quam dimidiam Britanniae partem, de reliquo parum sollicitos, ut minus commodo, quando ne id quidem, quod ex ea possideant, fructus vberes afferat.

§. LXIX.

CLAVDII PTOLEMAEI Pelusio nati aetas etiam in haec tempora referenda. Ipse testatur, se observationes astronomicas instituisse Alexandriae, secundo

Ggg

Anto-

Ptolemaei  
Geographi  
aetas. Ger-  
maniae Se-  
ptentrionalis  
ciuitates apud



cum illustra-  
tae,

Antonini Imp. anno (o). Canon vero PTOLEMAEI notat Antoninum Pium regnasse annos XXIII. unde ei superstitem fuisse PTOLEMAEVUM constat. Geographiae opus, ingenti labore congestum, multa nobis alias ignota pandit, etiam circa Germaniam nostram. Sed eius tempore nondum Albis a Romanis superatus, &, secundum maris Balthici ductum, litus nostrum saltem usque ad Vistulae ostia lustratum fuit. Unde patet, valde errare, qui numeros longitudinis & latitudinis Ptolemaicos secuti, ciuitates Germanicas, ab ipso nominatas, ultra Albim & Vistulam quoque (qua tamen Germaniam terminat) in mediterraneis constituunt. Certum enim apud me est, ciuitates Germaniae septentrionalis ab initio Chersonesi Cimbricae ad Vistulam usque, in litore nostro, quaeri debere. Et licet praeter numeros ipsa quoque locorum nomina partim in ore Romanorum, partim vitio describentium veteres PTOLEMAEI Codices corrupta admodum appareant, tralucunt tamen quaedam certiora, ex quibus ad incerta concludendum. Ut exemplo dicta declarem, lubet loca in climate Germaniae septentrionalis a PTOLEMAEO collocata recensere, &, quae de iis nostra sit sententia, postea exponere. Ea vero hoc ordine se excipiunt: *Phle-*  
*um,*

(o) libro VII. *magnae Syntax.* pag. 167.

um, *Siatutanda*, *Tekelia*, *Phabiranum*, *Treua*, *Le-  
phana*, *Lirimiris*, *Marionis*, *Marionis altera*, *Coe-  
noenum*, *Astuaia*, *Alifus*, *Laciburgium*, *Bunitium*, *Vi-  
runum*, *Viridium*, *Rhugium*, *Scurgum*, *Ascaucalis*. No-  
tum vero est, nauigantes olim, non secus ac nunc fie-  
ri solet, certas ad exitus fluuiorum & finus litorales  
stationes habuisse, ad quas appellerent. Incolae con-  
tinentis ad has stationes confluebant, vt sua vel vende-  
rent peregrinis, vel merces alienas sibi compararent.  
Stationibus his vel a praeterfluente vel a regionibus,  
in quibus erant, nomina data; quod & nunc quoque  
consuevit, vbi nautae ad terras incultas atque ignotio-  
res Asiae vel Americae deuehuntur. Iam vbi video,  
PTOLEMAEI *Treuam* apprime conuenire cum nomi-  
ne fluminis *Trauae*, coniicio antecedentia apud eun-  
dem loca supra illam in eodem litore quaeri debere.  
Statim autem supra *Trauam* est insula *Femeria*, ex qua  
Romani *Fabiranum* facere potuere. PLINIVS (p)  
*Fabariam* nominat & a fabis ita dictam falso putat.  
Notanter idem addit, eam alio nomine *Burchanam*  
dictam, quod, caue, de STRABONIS *Burchana* siue  
insula *Borchum* ad Amisii ostium sita interpreteris.  
Restat enim in *Femeria* princeps locus, *Borch* adhuc  
dictus, & veteris appellationis indicium seruans. Su-  
pra *Fabiranum* collocata *Tekelia* in *Kilonium* conue-  
nit.

Ggg 2

nit.

(p) lib. I. c. 13.




nit. Saxones enim adhuc *to Kiel* vel *tom Kiel* dicunt, unde a Romanis facillime Tekelia formari potuit. Pro *Siatutanda* forte *Sliamuanda* restituendum est. Sic habes Slimundam siue ostium Sliae, per quod Sleswicum itur. Supra Sliam est *Flea*, unde Flensburgo nomen, & hinc quoque *Fleum* siue *patria* vel *locus septus ad Fleam* commode dicitur. Quae supra Flensburgum sunt vsque ad extrema Chersonesi PTOLEMAEO non innotuerunt, quia ibi in sterili tunc regione Romani non commorati fuisse videntur. Omnia sic ordine procedunt, & nil coacti aut anxie quaesiti apparet. Nomina etiam vetera cum nouis conueniunt, quod magnum satis pro veritate rei argumentum. Pro *Lephana* legendum puto *Lephaua*, & hoc forte ex *Lechaua* corruptum. *Aua* denotat *amnem* & *Laca* vel *Lub* Anglo-Saxonibus *lacum*. Ita autem cum *Lubeca* hoc nomen conuenit, quod primo *amnem ex lacu Ratzeburgensi profluentem*, deinde locum ad illum situm significauit. E Traua si soluas, proxima ad Wismariam nauium statio est. Recentius nomen loci faciunt nuperi scriptores, sed absque probatione. Unde non haesito pro *Aegmæis* restituere *Ovitiæis* siue *Wisimiris*, vt Wismaria indicetur. Literarum ductus facili lapsu a descriptoribus PTOLEMAEI confundi potuerunt. *Mariones* geminae in *Warnemundam* & *Rostochium* congruunt. Vterque enim locus ad *Warnam* (vnde

&

& *Warni*  
 Ex *Warni*  
 ni mollius  
*Mariones*  
 alias saepi  
 mutaretur  
 nomina v  
 ribus abol  
 ra. Interi  
 in historia  
 Sed *Alifis*  
 loco, vbi  
 fa enim e  
 veteri ling  
 est locus a  
 fuerudine  
*Chalusus*,  
 recentiorib  
 quoque ap  
 mine *Iella*  
 Romani ill  
 procul a C  
 paulo esse  
*Bunitium*  
 exponitur  
 tuum ver



& *Warini*, & Ptolomaei *Pbaradeni*, dicti) fitus est. Ex *Warnis*, quod *domum ad Warnam* notat, Romani mollius omnia enunciantes *Wariones* & tandem *Mariones* fecere, quia nostro *W* carerent, & illud alias saepius in vulgari pronuntiatione cum *M* commutaretur. *Coenoënum* & *Astua*, obscuriora sunt, quod nomina vetera a Slavis huius regionis olim occupatoribus abolita, & cum sui idiomatis vocibus commutata. Interim *Astingorum* gentis Vandalicae nomen mox in historia Romana celebre inde deriuatum videtur. Sed *Alifus* ad fretum Stralsfundense, & quidem eo ipso loco, vbi iam est Stralsfunda, iacuisse videtur. Diuersa enim est ab Alifo in Westphalia olim celebri: & *bals* veteri lingua *fretum* designat, vnde sponte *Alifus*, hoc est *locus ad fretum*, prodit. Literae H si veteri consuetudine C praeponas, sponte porro prouenit inde *Chalusus*, fluuius a PTOLEMAEO nominatus, & a recentioribus frustra in Traua quaesitus. Veteris quoque appellationis vestigia adhuc apparent in nomine *Iellae*, quo fretum insignitur Stralsfundense. Romani illud pro fluuio habuere. *Laciburgium* non procul a Grypswaldia quaerendum est. Si audacior paulo essem, in *Ludwigsburgi* loco illud constituerem. *Bunitium* congrue de *Wineta*, celebri olim emporio, exponitur; & nomina ipsa inter se conueniunt. *Virunum* vero a PTOLEMAEO paulisper transpositum,




atque apud *Virunos* quaerendum videtur, quos PTOLEMAEVS inter Saxones & Sueuos & ante Pharaenos siue Warinos, Warnae accolae, collocauit; vt adeo necessario in Wagria habitauerint. Quid de *Viritio* statuam, dubius sum. An forte in *Vinitium* mutandum, vt eadem, quae modo Bunitium, ciuitas sit? An alius ad Suinam vel Diuenoniam locus? *Rbugium* est *sedes Rugorum*, ad Regam fluuium, vnde & populus Rugorum appellatus, qui deinde insulae *Rugiae* nomen dedit, vt ex eodem litore Burgundi *Burgundilandiae* siue, vt iam vocatur, *Bornholmiae* & *Guttones* vel *Gothi Gotlandiae* insulae. *Scurgum* non procul iacuit, & forte ad Colbergam. Vltimus locus ad Vistulae ostium situs fuisse debuit. Vistula enim Germaniam PTOLEMAEVS finit. *Ascus* autem in Lege Salica & aliis vetustissimis monumentis *nauem* denotat, & *hal* vel *hel*, angulum, portum, stationem, locum tutum. Occurrit autem statim sinum Dantiscanum intranti *Hela*, cui si *ascus* praeponas & H literae veteri more C praefigas, habes PTOLEMAEI *Ascocalin* siue *Ascocaulin*, hoc est, *nauium angulum* vel *stationem*. Prior compositi pars deinde in vulgari sermone omissa est, vt solet. Sinus ipse *wic* audit, vnde idem locus postea *Wicshel* siue *sinus portus* dictus videtur, atque inde fluuius, qui sinum istum efficit, *Wicshelaha*.

*ha, Wichfel, Weichfel & latine Vistula.* Haec in specimen dedisse sufficiat. Ciuitates apud PTOLEMAEVM in climate sub Germania magis septentrionali positas, omnes inter inferiorem Rhenum, Amasum, Lupiamque fitas fuisse apparet. Quae sub his recensentur, a Lupia, ad Moenum Rhenumque & in Cattis vsque ad Visurgim quaerendae sunt. Interiora enim Germaniae Romani non nouerant. Quae ad Danubium porro collocat loca, ex historia Romana notiora sunt. Quod si autem vias Romanorum exercituum ad Amasum, Lupiam, Visurgim atque in Catos studiose expendas, pleraque curatius collocari poterunt. Ad numeros PTOLEMAEI additos, vtpote corruptissimos, nec ab ipso PTOLEMAEO recte ordinatos, non est attendendum. Persuadebunt id plenius plurimorum eruditissimorum virorum obseruationes a doctissimo & celeberrimo Viro, IO. ALB. FABRITIO in *Bibliotheca Graeca* (q) citatae. Obseruationes certe graduum longitudinis & latitudinis locorum non aliunde habere potuit, quam a militibus & mercatoribus, qui Germaniam praesertim non nisi obiter viderunt, nec exactum quid dare potuerunt. Et quid promittas tibi certi in rebus nostris ab homine Aegyptio, qui ne quidem Alexandriae situm, vbi obseruationes suas astronomicas instituit, notantibus id CHAZELIO &

INSV-

(q) lib. IV. c. 17.



INSVLANO Astronomis & Geographis Galliae doctissimis, recte designauit? Hoc obiter adiicio, PTOLEMAEVM referre (*r*), se in descriptione Orbisterarum secutum esse opus Geographicum MARINI TYRII non diu ante editum, sed in plurimis id emendasse. Meminit praeterea HIPPARCHI, MAENIS TITIANI, TIMOSTHENIS, DIODORI SAMII, & quorum itinera MARINVS notauerat, SEPTIMII FLACCI, DIOGENIS cuiusdam, THEOPHILI, PHILEMONIS MERCATORIS ac DIOSCORI.

§. LXX.

Marci Imp. bella, praecipue Caticum & Marcomanno-Quadicum.

Post Antonini Pii obitum Marco Imperatori diuersa in Britannia & Germania imminebant bella. Vologesus Parthorum Rex etiam bellum sub Pio paratum indixit. Verus ad id conficiendum destinatus *Parthici* sibi & *Armeniacy* nomen peperit, licet ipse deliciis Orientis immerfus per Legatos solum pugnauisset. Aduersus *Britannos* Calphurnius Agricola missus est, & contra *Cattos*, qui in Germaniam & Rhaetiam irruerant, Aufidius Victorinus. Quid vterque egerit, silent authores vetusti. Aliquam tamen de Germanis victoriam obtinuisse Victorinum ex nummo concludo, quem in tabula subiecta cum aliis eiusdem Imperatoris nummis

(*r*) *lib. I. c. 19.*

liae do-  
o, PTO-  
rbister-  
RINI  
mis id  
MAE-  
FAMIL,  
TIMII  
PHI-

ori di-  
a. Vo-  
para-  
inatus  
et ipse  
pugna-  
millus  
n irru-  
silent  
victo-  
quem  
snum-  
mis





mis  
exhib  
piti  
GERM  
um, i  
GERM  
bique  
est Ma  
aderant  
bis, tu  
plerisq  
Roman  
noniae  
gnus e  
pore pe  
retur.  
cerdotes  
omni g  
lica pro  
Roman  
Marcus  
in bello  
xuriae

mis infra explicandis oculis Lectorum conspiciendum exhibemus, anno CLXVI. cuso, in quo Marci capiti laureato inscriptum: M. ANTONINVS AVG. Tab. XX.  
 GERM. SARM. TR. P. XX. & in auersa trophaeum, in cuius vtroque latere S. C. & infra: DE GERMANIS. Parum forte id fuit, & turbae vtrouque per aliquot annos continuatae. Interim natum est Marcomannicum bellum, quod diu eorum, qui aderant, arte suspensum est, vt finitis in oriente turbis, tutius agi posset. Marcomanni enim & Quadi plerisque Germaniae gentibus in foedus receptis in Romanorum fines irrupere & Danubio transmissis Pannoniae se infuderunt. Terror apud Romanos magnus erat, isque vel inde eo maior, quod eodem tempore pestilentia ingens per Italiam & exercitus grassaretur. Vt irata placaret numina Marcus, vndique sacerdotes aduocat, peregrinos ritus implet, Romam omni genere lustrat, retardatusque aliquantum a bellica profectioe lecti sternia quoque per septem dies Romano ritu celebrat (s). Lucium Imperatorem Marcus nec sine se mittere volebat, negligentiore in bello Parthico expertus, nec in Vrbe dimittere luxuriae causa. Vnde comitem ipse adsumsit expeditionis,

(s) CAPITOLIN. Marc. cap. 12.



nis, & secum Aquileiam duxit, vbi hibernatum (t). Galenus domus Augustae medicus eo quoque se vocatum scribit (u), vt pesti vndique grassanti remedia, si posset, opponeret. Acta haec sunt anno CLXVIII. Sequenti anno in hostes motum, inuito Lucio (x), *Victouali* interim, *Marcomanni*, *Quadi*, *Daci*, *Sarmataeque*, *Iazyges* praesertim, cuncta turbabant, aliis etiam *gentibus*, quae, vt CAPITOLINVS ait, *pulsae* a superioribus barbaris, fugerant, nisi reciperentur, bellum minitantibus. Qui fuerint *Victouali*, nemo veterum prodit. A Traiani temporibus inter inimicas Romanis gentes innotuere. Suspicio fere Sarmatici generis atque eosdem fuisse, qui postea priori syllaba abiecta *Taifali* a MAMERTINO & AMMIANO MARCELLINO nominantur, quae coniectura, vt video, etiam RHENANO iam olim placuit. Barbari tunc Pannoniam omnem inundasse videntur. *Costoboci* excursionibus in ipsam Graeciam factis Eleatean usque penetrarunt, vterius perrupturi, nisi Mnesibulus iis, comparata voluntariorum cohorte, occurrisset. Magnam is barbarorum stragem edidisse dicitur: sed ipse

(t) CAPITOL. *Marc. cap. 13. Ver. c. 9.*

(u) GALEN. *lib. de Praecognit. c. 9. IDEM de libris propr. c. 21.*

(x) CAPITOL. *Ver. c. 9.*



ipse fortiter dimicans cecidit (y). In Pannonia Furius Victorinus praefectus Praetorio amissus est, & pars exercitus hostium armis interiit (z). Cum tamen Aquileiam venissent Imperatores, plerique Reges cum populis suis se retraxerunt, tumultus authoribus interemtis & defectionis veniam a Legatis postulantes. Quadi amisso Rege suo, non prius se confirmaturos eum, qui erat creatus, dicebant, quam id Romanis Imperatoribus placuisset. Regem hunc *Furtii* nomen habuisse conicio, de cuius eiectione postea mentio fiet. Lucius igitur redeundum esse censebat. Marcus autem barbaros & fugam & caetera, quae securitatem bellicam ostenderent, fingere existimans, ne tanti apparatus mole premerentur; instandum esse dicebat. Transcens itaque Alpibus longius processit Marcus composuitque in Pannonia omnia, quae ad munimen Italiae atque Illyrici pertinebant. Lucius tandem reditum in Urbem vrsit, obtinuitque, sed media hyeme eo pergens apoplexi correptus Altini periit. Corpus exanime a Marco Romam delatum & honorifice conditum (a).

Hhh 2

§. LXXI.

(y) PAVSANIAS lib. X.

(z) CAPITOL. Marc. c. 14.

(a) CAPITOL. c. 14. GALENVS lib. de Praecognit. c. 10.



## §. LXXI.

Germani in  
Italiam ir-  
rumpunt.  
Marcoman-  
nici & Quadi-  
ci belli ini-  
tium. Populi  
hostibus Ro-  
manorum  
confoede-  
rati.

Eodem Anno CLXIX. vt nummi indicant, Germani, qui trans Rhenum incolunt, vsque in Italiam venere, Romanisque maxima atque grauissima damna intulerunt. Fuere hi forte Catti, quos in Rhaetiam irrupisse paulo ante commemorauimus, sociis Alemannis & Sueuis. Neque enim pro *Rbeno* apud XIPHILINVM, *Istrum* cum PAGIO & aliis constituere & irruptionem hanc Germanorum Marcomannis tribuere velim. Marcus rei Romanae necessitati occurrit, Pompeiano atque Pertinace Legatis exercitus factis. Pertinax praecipue, qui postea Imperator euasit, hic egregie se gessit. Inter cadauera barbarorum & corpora mulierum armata reperta sunt. Nec tamen populi ad Istrum pactis steterunt; sed vbi vix Marcus Aquileia discesserat, irrupere Quadi & Marcomanni, & hi quidem Aquileiam obsederunt, Opitergium exciderunt, perruptis Alpibus Iuliis. Vix eis restitit Marcus (b), qui tamen hinc *Germanici* nomen adeptus est (c). Adductus est a MEDIOBARBO nummus huius anni, quem nos etiam in tabula XX. exhibuimus, in eo caput Marci laureatum & verba: M. ANTONINVS AVG. TR. P. XXIII. In postica Victoria tenet clypeum trunco arboris impositum,  
in

(b) AMMIAN. MARCELL. lib. XXIX. c. 5.

(c) XIPHILINVS in *Marco*.



in quo VIC. GER. S. C. Ibidem in alio nummo circa caput Marci legitur: M. ANTONINVS AVG. TR. P. XXIII. & in postica, GERMANICO AVG. IMP. VI. COS. III. S. C. Medium posticae huius exhibet duos captiuos ad trophaeum, alterum quidem sedentem, alterum vero stantem. Repetiti sunt nummi huius generis plures annis sequentibus, in quibus victoria Germanica celebratur. Et poterunt videri apud HARDVINVM sub annis 171. & 173. Curato Lucii Imp. funere, & domestico quoque luctu vix defunctus, animum omnem ad expeditionem Marcomannicam intendit. Pestilentiam, quae per exercitum & Italiam grassabatur, cultu Deorum restituto abigi posse credebat. Ne milites deessent, seruos, quemadmodum Punico bello factum fuerat, inscribebat, quos *Voluntarios* exemplo Volonum appellauit. Armavit etiam Gladiatores sub *Obsequentium* nomine. Latrones insuper Dalmatiae & Dardaniae milites fecit. Armavit praeterea Diocmitas & Germanorum auxilia contra Germanos emit (d). Exhausto aerario, instrumenta regii cultus, vasa aurea, crySTALLINA, gemmas, vxoriam ac suam sericam & auream vestem publice vendidit, vt exercitum pecunia inde redacta sustentaret (e). Diuturnius enim bellum sustinendum re-

Hhh 3

batur,

(d) CAPITOL. c. 21.

(e) CAPITOLIN. l. c.

batur, cum gentes ab Illyrici limite in Galliam vsque conspirassent aduersus Romanos. Antesignanum & ducem earum EUTROPIVS Regem Marcomarum nominat, pro quo nomine forte restituendum est *Ballo-marus*: is enim Marcomanorum Rex fuit, vt paulo post ex DIONE intelligemus. Confoederati populi apud Capitolinum recensentur *Marcomanni, Narisci, Hermunduri, Quadi, Sueui, Sarmatae, Latringes, Buri, Victouali, Sosisbes, Sicobotes, Roxolani, Bastarnae, Alani, Peucini, Costoboci*. Ex his *Marcomanni* ad Morauum fluuium, *Narisci* ad Nabum, *Hermunduri* iis locis, vbi nunc est Bohemia, pars Franconiae, Lusatia, Misnia & Thuringia, habitabant. *Quadi* a Vistulae ortu vsque ad Danubium progressi erant. *Sueui* inter Albim & Vistulam inueniebantur. Ex iis hoc bello praecipue *Langobardi* & *Semnones* enituerunt. *Latringes* forte ante aliquot tempus a Wodano Saxonum Principe ex insula sua *Latri*, PLINIO memorata, quae deinde Selandia dicta, pulsi ad fines Romanos profugere, & prope Daciam hoc tempore coluerunt, vt ex DIONE (f) patet; qui *Dancringos* erronee eos vocat. *Buri* Daciae iam Traiani aetate vicini, TACITO *Burii* vocati & ad Vistulam in montibus Pomerelliae & Calisensis Palatinatus collocati sunt,

(f) lib. vii

sunt, vbi & PTOLEMAEVUS sedem eorum fixit. De *Vitoulis* iam ante actum. *Sofibes* & *Sicobotes* ignotiores sunt. Mihi legendum videtur *Osi*, *Bessi*, *Cobotes*. *Oforum* iam supra, vbi TACITI Sueviam exposuimus, mentio facta. *Bessorum* gens in Thraciae finibus nota. *Cobotes* forte iidem sunt, quos PTOLEMAEVUS *Cobandos* vocat & Chersonesi Cimbricae incolae facit: quod si verum esset, suspicari quis posset, & hos a Saxonibus pulsos ad Daciae fines confugisse. *Rboxolani* a Rha fluvio orti ad Tyram iam palabantur & vsque ad sinum Finnicum protensi erant. Secus eos *Alani*. *Peucini* vero insulas, quas Ister, Ponto Euxino influens, efficit, incoluerunt. *Vandalos* his addit EVTROIPIVS, quos & CAPITOLINVS alibi inter inimicos Marci refert (g), quibus & *Sarmatas*, *Iazyges* nempe, adiungit. Plures alios populos atque inter hos Gothos, Lygiosque Gothis iam, vt videtur, vnitos a Scriptoribus omitti, non est dubium.

§. LXXII.

Cum Marcus Imperator in Pannoniam cum exercitu venisset, plures barbari spe obtinendi stipendii vel terrarum in partes eius transferunt. Multi statim auxilia pollicebantur, quorum *Dux Battarius* (verius forte

Bellum Marcomanno-Quadicum, Quibus annis id gestum, Memoria eius in nummis. Pluvia prodigiola.

(g) CAPITOL. Marc. c. 17.



forte *Bertarius* nominatus est) annorum duodecim puer; iique pecuniam accipiebant, cum Tarbum quendam, regulum sibi finitimum, Daciam ingressum, argentumque postulantem, ac bellum minantem, nisi acciperet, coercuissent (*b*). Sex quoque milia *Langobardorum* & *Obiorum*, quos *Albios* siue populos ab Albi venientes & *Langobardorum* vicinos fuisse puto, Istrum traiecerunt, in quos Marci Vindicis Praefecti equites & pedites, quorum Dux erat Candidus, irruerunt. Ab his in fugam versi Legatos ad Aelium Bassum, qui Pannoniae praerat, mittunt *Ballomarium* Regem Marcomannorum, vna cum aliis decem vno ex vnaquaque gente electo (*i*). Sic pace iureiurando firmata Legati domum redierunt. *Quadi* praeterea per Legatos a Marco pacem petierunt, & datis multis equis bobusque & tredecim mille captiuis eam consecuti sunt (*k*). Venerunt in auxilium & *Astingi*, Vandalica gens (*l*), quam ab Oceano ad limitem Romanum vix anni spatio peruenisse dicit DEXIPPVS apud IORNANDEM. Idem refert, illos in eo loco mansisse, quem postea Gepidae occuparint, iuxta flumina Marisia, Miliare, Gilpil & Griffia, hoc est,

(*b*) DIO *lib.* LXXI.

(*i*) PETRVS PATRICIVS *in Excerpt. Legat.*

(*k*) DIO *lib.* LXXI. PETRVS PATR. *l. c.*

(*l*) IORNAND. *de Vets. Getic.* p. 1.2.

est, in ea parte Daciae, quam nos Transylvaniam appellamus. *Latringes* ante eos hunc eundem locum occupasse videntur. Vnde cum *Astingi Ducibus Rhao Raptoque*, velut *Costobocorum* regionem occupaturi, accederent, hi, suae regioni metuentes, ipsos nihil mali suspicantes adorti sunt & superarunt. *Astingi* hac clade fracti *Marcum* supplices obtestati sunt, ut pecuniam & agrum ab eo acciperent, si nationibus, tunc bellum cum eo gerentibus, cladem intulissent. Aliqua huius promissi praestitisse certum est (m). *Latringi* pariter Romanis praesto fuere. Sed *Gothini*, quos *DIO Cotinos* vocat, similia promittentes Romanos male tractarunt (n). *Iazyges* tandem pacem postularunt, quae tamen iis denegata, quod infidum genus Imperator nosset & *Quadorum* socios, qui vna cum *Marcomannis* non steterant promissis. Et hi quidem, quo anno incertum, *M. Vindicem* praelio victum occiderunt, cuius & aliorum memoriam tribus statuis Imperator honoravit. In utrosque igitur motum. Cum *Iazygibus* in terra primum, deinde in ipso *Danubio* congelato pugnatum est. Victoria apud Romanos fuit (o). Cum postea transeundus tandem *Danubius* esset, *Alexander* quidam, rerum abditarum scientiam falso praefrens, oraculum divulgavit, quo iussum, ut duos viuos leones in *Danubium* mitterent

variis

(m) DIO lib. LXXI.

(n) DIO l. c. (o) XIPHILINVS ex Diono.



Tab. XXI.


variis cum odoribus & sacris quibusdam ceremoniis, atque ita victoriam apud Romanos fore. Expletis oraculi mandatis, leones quidem in hostium regionem transnatarunt, sed hi canes aut lupos rati, fustibus eos arcuere, & protinus strages consecuta est maxima viginti ferme millibus Romanorum simul extinctis. Haec LUCIANVS in *Pseudomante* nobis conseruauit, sed huius facti memoriam in columna Antoniniana delineatam esse Clarissimus LA CROZE (p) primus annotauit. Tandem tamen lazyges & Marcomanni superati. Maior in Quadis labor. Licet autem Marcus bellicis continuo molestiis fatigaretur, horulas tamen aliquas habuit subsecuias, Philosophus Imperator quibus libros de vita sua componeret. Ipse certe librum primum in *Quadis ad Granuam* & alterum *Carnunti*, vbi hibernare solebat, se absoluisse fatetur. Per tres integros annos, quibus hiberna Carnunti egit, bellum extractum, & tandem, vbi minime rere, finitum est. Seduxerant Quadi exercitum Romanum in difficilia loca, quibus militibus aqua exclusis occumbendum erat. Magi, qui circa Imperatorem erant, quicquid poterant, Diis suis offerebant. Erat inter eos Arnuphis Aegyptius, qui Mercurio Deo, cuius ope alias Marcum confisum non vni nummi testantur, sacra faciebat, & cum subito plueret, hoc ab illo impetrasse dicebatur. Victoria hostium militum refectionem sequeba-

(p) *Miscellan. Berolin, T. 1. pag. 31. sq.*

quebat  
SVBA







quebatu  
faciunt  
thesauro  
Marci la  
XXVII.  
pateram  
IMP. V  
eadem in  
tem est t  
cuius ad  
ac in fut  
la, Gall  
scriptum  
LIG. A  
numifm  
indicata  
XXVIII.  
& victor  
eam an  
burgici  
ti ostend  
AVG. T  
VICT.  
in antic  
cum ca  
SVBAC

quebatur. Hoc DIO refert & nummi eidem fidem faciunt aduersus XIPHILINI criminationem. Est in thesauro Brandenburgico (q) vnus, in quo caput Marci laureatum & M. ANTONINVS AVG. TR. P. XXVII. in postica vero Mercurius dextra protensa pateram, sinistra caduceum tenens, & RELIG. AVG. IMP. VI. COS. III. Ibidem asseruatur alius nummus eadem in antica figura & inscriptione; in postica autem est templum, quatuor columnis sustentatum, in cuius aditu Mercurius etiam cum patera & caduceo, ac in summo fornice, quantum discerni potest, aquila, Gallus Gallinaceus, lupa & equus. His circumscriptum: IMP. VI. COS. III. infra notatum: RELIG. AVG. Gaza Regis Galliae eiusdem generis duo numismata habet a MEDIOBARBO & HARDVINO indicata, sed in quibus annus Tribunitiae potestatis XXVIII. notatur. PAGIVS inde pluuiam salutarem & victoriam Quadicam in annum CLXXIV. refert: sed eam anno CLXXIII. contigisse, vt nummi Brandenburgici indicant, etiam alii ab HARDVINO recensiti ostendunt. Legitur in vno: M. ANTONINVS AVG. TR. P. XXVII. & in postica in corona laurea: VICT. GERM. IMP. VI. COS. III. SC. sub eadem in antica inscriptione alius postica habet trophaeum cum captiuo ad pedes sedente & verba: GERMANIA SVBACTA IMP. VI. COS. III. SC. Rursus eadem

(q) BEGERVS *Thef. Brandenb. Continuat.* p. g. 673.



anticae forma in postica ostendit trophaeum; cui captivus alligatus stat, & ex aduerso Germania sedens luget sub inscriptione: GERMANICO AVG. IMP. VI. COS. III. Sub iisdem characteribus chronicis signati nummi praeferunt etiam RESTITVTORI SARMATIAE & RESTITVTORI ITALIAE nec non ADVENTVS AVG. Ex quibus, vt dixi, concludo, anno CLXXIII. accidisse pluuiam Romano exercitui salutarem, eodem Quados & Sarmatas fuisse victos, & Marcum Imp. rediisse. In hoc enim tempus annus Tribunitiae potestatis XXVII. omnium confessione incidit. Et cum etiam ex nummo a M E D I O B A R B O producto pateat, *profectionem Augusti* aduersus Marcomannos & Quados anno Tribunitiae potestatis XXIV. hoc est Christi CLXX. contigisse, & E V T R O P I V S eae expeditioni triennium insumptum dicat, clarum & hinc est, eam anno CLXXIII. finitam. Quas hic de pluuiam a Christianis miraculose impetrata, de legione fulminatrice & caeteris Christiani scriptores habent, satis excussa sunt ab HERMANNO WITSIO diatribe peculiari & a P A G I O in Critica Annalium Baronii. Pluuiam a Deo propriis precibus impetratam Marcum credidisse praeterea T H E M I S T I V S asserit (r). C L A V D I A N V S poetico more rem sic describit (s):

*Clemens, Marce, redis, cum gentibus undique cincta*  
Exiit

(r) Orat. 15. de Regia virtute ad Theodos. Imp.

(s) de Honorii Consulatu VI. v. 340. sq.

*Exiit Hesperiam paribus fortuna periclis.*  
*Laus ibi nulla Ducum: nam flammeus imber in hostem*  
*Decidit: hunc dorso trepidum flammante ferebat*  
*Ambustus sonipes: hic tabescente solutus*  
*Subsidit galea, liquefactaque fulgure cuspis*  
*Canduit, & subitis fluxere vaporibus enses.*  
*Tunc contenta polo mortalis nescia teli*  
*Pugna fuit: Chaldaea mago seu carmina ritu*  
*Armauere deos: seu, quod reor, omne Tonantis*  
*Obsequium Marci mores potuere mereri.*

§. LXXIII.

Quae victoriam infecuta sunt, DIO THEODOSIA-  
 NVS patefacit. *Quadi* (t) legibus pacis non fterere,  
 nec captiuos omnes reddidere, sed paucos tantum &  
 illos quidem, quibus nec distrahendis nec ad operas  
 aliquas vsus vllus esse poterat. Quod si vegetae quos-  
 dam aetatis restituissent, saltem propinquos eorum  
 domi retinebant, vt & ipsi ad eos vltro transfugerent.  
 Eiecto quoque rege suo Furtio *Ariogefum* propria au-  
 ctoritate Regem sibi constituerant, quem Imperator  
 neque confirmare voluit, neque foedera cum iis reno-  
 uauit, licet quinquaginta captiuorum millia se reddi-  
 tuos pollicerentur. Ariogeso adeo infensus fuit, vt  
 per praeconem edici iusserit, si quis illum viuum ad-  
 duceret, mille aureos, sin occisi caput attulisset, quin-

Pacificatio  
 cum Quadis,  
 Marcomannis  
 & Iazygibus.

lii 3

gentos

(t) DIO lib. LXXI.



gentos accepturum. Captum tamen postea, ut mitissimi ingenii fuit, nullo supplicio affecit, sed Alexandriam solum misit (u). *Marcomanni* per Legatos se imperata eius fecisse significarunt. Unde dimidia finitimae regionis & agri pars ipsis concessa, ut scilicet ad trigesimum & octauum vsque stadium ab Istro sedes eorum ac domicilia distarent. Loca etiam quaedam ac dies commerciorum adsignata; facta praeterea obfides permutandi potestate. Quosdam in Italiam traductos CAPITOLINVS memorat (x). Sociis hoc modo priuati *Iazyges* ad ineundas pacis leges venerunt. Zanticus ipse Antonino supplex factus est, licet antea Banadaspum alterum Regem suum in vincula coniecerant, quod de pace ad ipsum legatos misisset. Iisdem nunc conditionibus, quibus *Marcomanni* & *Quadi*, pacti sunt. Hoc solummodo intererat, quod Imperator partem eorum duplam ab Istro veluti in alias colonias remoueri vellet. Gentem hoc modo sensim penitus excindere mens erat. Formidabiles enim & victi erant, qui centum millia captiuorum reddiderant, cum tamen antea complures iam distracti, alii mortui fuissent, aut aufugissent. Concesserant etiam societatis nomine octo equitum millia, ex quibus ad quinque millia quingentos in Britanniam misit.

## §. LXXIV.

(u) DIO in Excerpt. Peiresc.

(x) CAPITOL. Cap. 22.

§. LXXIV.

Pacandis ita gentibus annus, & quod superat, insumptus est. Sed nec dum omnia affecta erant eo in negotio, cum nuntius de Auidii Cassii in Oriente, cui praefectus erat, rebellione omnia turbaret. Is se Imperatorem nominari fecerat. Ea re Marcus vehementer perterritus filium Commodum anno CLXXV. ex Vrbe ad limitem arcessiri iubet, & toga virili donat, consulatu, Tribunitia potestate & Imperio mox ornandum. *Iazygibus*, ne alienarentur, e pactis conuentis pleraque remissa, praeter ea, quae ad conuentus eorum & commercia spectarent, utque nauibus propriis non vterentur, & ab insulis, quae in Danubio sunt, abstinerent. Concessit etiam ipsis, ut per Daciam commerciorum causa *Roxolanos* adirent, quoties id princeps horum eis permetteret. Neque tamen hi vel *Buri* societatem cum Romanis prius nunc inire voluerunt, quam Marcus eis sancte cauisset, perpetuo se bellum cum hostibus gesturum. Metuebant enim, ne *Quadis* Marco reconciliatis, uti prius quoque factum fuerat, finitimum ipsis bellum relinqueretur. Singulis quoque populis caeteris conditiones separatae concessae. Quidam ius ciuitatis Romanae vel immunitatem, alii perpetuam aut temporalem remissionem tributi vel annonas perennes consecuti sunt (γ). Limite itaque utcumque ordinato in Orientem abiit, sed Cassius iam a Centurione interfectus

Auidii Cassii rebellio. *Iazyges* & caeterae gentes placatae. Commodus fit Imperator. Triumphus Imperatorum de Sarmatis & Germanis. Iterati *Quadorum* motus. Eos componit Marcus & obit. *Narisei* translati.

(γ) D10 lib. LXXI.



etus erat, caputque eius ad Marcum allatum, qui scelus  
 in se commissum in liberos & amicos Cassii *clementia*  
 vindicauit, quae etiam in nummis hoc ipso tempore ce-  
 lebrata est (2). Oriente Graeciaque peragrata anno  
 CLXXVI. in Italiam rediit & Romam venit, vbi Com-  
 modus filius Imperator nominatus & die 22 Decembris  
 cum patre triumphauit. Antequam Commodus Im-  
 perator designaretur, iam nummus cusus est in expe-  
 ditionem eius Germanicam. Est in eo caput Iuuenis &  
 inscriptio: COMMODO CAES. AVG. FIL. GERM.  
 SARM. In postica trophaeum, ad quod captiuus ma-  
 nibus post terga reuinctis & foemina lugens sedent, ei-  
 que additum: DE GERMANIS. Sed hoc anno factus  
 est alius, in quo caput Commodi laureatum & IMP.  
 L. AVREL. COMMODVS AVG. GERM. SARM. In  
 auersa congeries armorum & TR. P. II. COS. P. P. &  
 infra DE GERMANIS. Vtrumque BEGERVS. in *Thefauro*  
*Brandenburgico* delineauit. MEDIOBARBUS alium pro-  
 fert, in quo IMP. CAES. COMMODVS GERM.  
 SARM; in auersa vero parte TR. POT. COS. cernun-  
 turque Marcus Aurelius & Commodus in quadriga,  
 quam trahit miles dextra labarum tenens; in aëre  
 victoria spolia gerens volitat. Qui nummus optimus est  
 testis triumpho de Germanis a patre & filio acti. Mar-  
 cus Imperator Tribunitia potestate XXX. hoc est eo-  
 dem CLXXVI. anno, cudi fecit alium nummum, qui

iii

(2) Vid. HARDVINI *Hist. Aug.* pag. 785



in Mauroceni Thefauro est (a); in huius postica Imperator face comburit spolia, leua cornucopiae gerit, eique inscriptum: PAX AETERNA. Commodus Imperator sub finem anni huius vel sequentis adhuc de Sarmatis & Germanis in nummis gloriatus est. HARDVINVS duos citat, in quorum antica capiti laureato inscriptum: L. AVRELIVS COMMODVS AVG. GERM. SARM. In postica vtriusque trophaeum cum duobus captiuis infra sedentibus, & infra in vno: DE SARM. in altero: DE GERM. Sed statim recrudere turbae in Germania non satis sopitae. Venit nuncius a Quadis & Marcomannis, viginti militum millia, quae in castellis degerent, nec secure pascendi, nec agros colendi, nec alterius rei agendae copiam incolis regionis facere: transfugasque eorum & captiuos complures suscipere, cum ipsi interim secure & dissolutius etiam viuant: factum hinc esse, vt Quadi, castellorum structuras minime ferentes, ad *Semnones* cum omni gente sua mutatis sedibus migrare conatiferint. Postquam igitur res Germanicas, quas *DIO Scythicas*, vulgari istis temporibus loquendi more, vocat, praesentiam suam postulare animaduerneret Marcus, Commodum filio celerius, quam alias vellet, Crispinam Brutii Praesentis filiam matrimonio iunxit, & nuptiis exemplo priuatorum celebratis ad componendos motus Quadorum conuersus est, filio secum sumto (b). Paterno magnae copiae datae, cum quibus itinera, quibus

eis

(a) HARDVIN. *Hist. Aug. pag. 785.* (b) CAPITOLIN. c. 27. DIO *lib. LXXI.* Kkk

eis transeundum erat, obstructa. Ventum ibi ad praelium. Restitere barbari totam diem, tandem vero omnes a Romanis caesi sunt. Marcus decimum Imperator appellatus est (c). *Narisci* etiam vexati, atque ad tria millia hominum ad Romanos transfierunt, qui agros in ditione ipsorum consecuti (d). Si paulo diutius vixisset Marcus, omnes Marcomannos, Hermunduros, Sarmatas & Quados in suam potestatem redegisset, & ex regionibus ipsorum prouincias fecisset. Sed decessit (e) optimus Imperator XVI. Kalend. Aprilis anno CLXXX. Sirmii secundum TERTULLIANVM (f), Vindobonae vero secundum vtrumque Victorem.

## §. LXXV.

Commodi subita pacificatio cum Marcomannis, Commodi triumphus, & reliqua eius & sequentium Imp. acta. Seueri expeditio Britannica & mors.

Omnem is curam educationi Commodi filii impenderat, cui tamen hic neutiquam respondit, in delicias & crudelitatem pronus. Vnde & Urbis appetentior, vix tamdiu in limite Romano retineri potuit, vt ei aliquatenus prouideretur (g). Marcomanni, per continua praelia & agrorum vastationem, nec virorum amplius copiam, nec alimenta habebant. Vnde facile ad internecionem deleri potuissent. Sed Commodus laboris fugiens atque ad vrbanam tranquillitatem properans, Legatis pro pace venientibus, eam ipsis concessit. Condiciones fuere, vt transfugas & captiuos, quos a temporibus patris accepissent, Commodus restituerent, frumentumque certum

(c) DIO lib. LXXI. (d) DIO lib. LXXI.

(e) CAPITOL. c. 27. sq. DIO l. c. &c. (f) Apolog. c. 25.

(g) HERODIANVS lib. I.

tum singulis annis penderent, quod tamen postea eis remisit. Etiam arma quaedam ab ipsis exegit & tredecim millia militum a Quadis, pauciores a Marcomannis: pro quibus tamen permisit, ut singulis annis aliquos darent. Mandavit porro, ut neque saepius, neque pluribus in locis, regionis suae congregarentur: Sed semel duntaxat mense quolibet, ac in vnum locum, centurione quodam Romano praesente: praeter haec prohibuit, ne vel Iazygas vel Buros vel Vandalos bello peterent. His legibus pacem dedit & omnia castella, quae erant in regione ultra limites eis adempta, deseruit. *Buris* quoque pax antea denegata, nunc concessa, quod iam penitus eneruati crederentur. Obsides recepti & plurimi tam ab iis, quam ab aliis, captiui redditi. Omnes alii coacti, ut sacramento promitterent, nunquam se nec sedes, nec pasqua quaesituros in regione sua, Daciae limitibus vicina, ad quintum miliarium. Pars quoque Dacorum, agro suo, dum aliis auxilium ferrent, expulsa a Sabiniano in potestatem redacta est, iisque terrae portio in Dacia promissa. Haec ex *DIONE* scimus. *AVRELIVS VICTOR* & *EVTROPIVS* dicunt, Commodum contra Germanos feliciter pugnasse. Sed ab ipso nihil, omnia per legatos acta *HERODIANVS*, maioris fidei author, affirmat. Quid Romae porro perpetraverit homo luxuria & obscenitate totus deprauatus, nostra nihil attinet. Sufficit monuisse, eum anno *CLXXXI*. ibi de Germanis triumphasse, ut testantur *EVSEBIVS* & eum secuti, nec non &



ipſius Commodi nummus apud PATINVM, in cuius auerſa parte Quadriga triumphalis & circum' verba: TR. P. VI. IMP. III. COS. III. P. P. & infra S. C. Occiſus eſt deperditae vitae homo anno CXCII. eique ſuſſectus P. Heluius Pertinax octoginta ſeptem dierum, & huic Didius Iulianus, cuius fraude Pertinax periit, ſexaginta dierum Imperatores. Hoc extincto L. Septimius Seuerus ab exercitu Germanico & Illyrico apud Carnuntum, Clodius Albinus in Gallia, & Peſcennius Niger in Oriente, Imperatores appellati ſunt. Cum in Nigrum expeditionem ſuſciperet Seuerus, in qua is victus & interfectus eſt, Albinum Caefarem declarauit, quem tamen, quod ſe Imperatorem ferre videretur, poſtea apud Lugdunum debellauit & occidi fecit anno CXCVIII. Ex praeclare in Oriente geſtis nomina *Parthici, Arabici & Adiabeni* ipſi delata, quae tamen reſpiſſe dicitur (*b*). Extant nihilominus ea cum in aliis monumentis, tum in inſcriptione arcus triumphalis Seueri, qui Romae adhuc reſtat & a IOSEPHO MARIA SVARESIO, Epifcopo Vaſionenſi, eleganter delineatus & deſcriptus eſt. Tandem curas ſuas in Britanniam conuertit, vbi barbari tranſito Vallo Romanis fuerant inſeſti. Tranſiit ergo mare & reiectis in montes ſuos hoſtibus, atque ad pacem adactis, Britanniam ſuam muro per tranſuerſam inſulam ducto vtrimque ad finem Oceani muniuit (*i*). Expeditionem hanc Britannicam  
fuſius

(*b*) SPARTIAN. HERODIAN. lib. II. & III. DIO lib. LXXIV. ſq.  
 VICTOR & EVTROP. (*i*) SPARTIAN. c. 18.



fufius describit DIO (k); Seuerus tamen in eadem Eboraci periit anno CCX.

§. LXXVI.

Iam vero seculum intrauimus, quod, si Imperium Romanum respicias, ferreum appellare possis. Quod enim tanto temporis spatio concreuerat, subito principum suorum negligentia simul atque imprudentia mole ruit sua. Imperatorum pene omnium breue regnum & plerumque scelere proprio quaesitum, aut alieno amissum. Mores tantum non omnium deprauati subiectisque funesti. Senatus nulla autoritas: omnia ex militum voluntate acta. Barbari hanc temporis infelicitatem prudenter in commoda sua vertunt, & limitibus superatis in ipsa tandem viscera dominationis Romanae penetrant. *Saxones* ante alios virtute & potentia in septentrione enituerunt. Ipsorum dominatum *Latringos*, *Astingos* aliosque *Vandalos* atque ipsos *Langobardos* fugisse, aut itinere versus meliores terras Romanumque limitem suscepto declinasse, verosimile est. Circa haec enim tempora e Chersoneso & insulis suis eos in Caucos & quidem *Hatheloam*, vt vetus apud WITECHINDVM historicum fert traditio, appulisse credas. Et de accolis maris Germanici hisce intelligenda sunt, quae idem WITECHINDVS refert, de Thuringis ibi a Saxone deceptis. Mari Saxones in nostram hanc regionem venisse eo probabilius est, quod Langobardi adhuc litus Albis tenerent, nec dum omnes patria exierant. Sensim exinde Cauci, Auiones, Reudingi, Fosi, Cherufci, Angriuariique aut victi aut focii in nomen Saxonicum transiere. Tandem gens eadem in Ostphalos, Angriuarios & Westphalos distincta atque ab Albi ad Rhenum extensa, Romanis maritima potentia formidabilis facta est. *Gothi* iam Da-

Infelicitas & ruina Imperii Romani a seculo tertio incipit. Irruptio Saxo- num, Gothorum, Burgundionum, Vandalorum, Langobardorum, Francorum &c. in Imperium.

(k) Lib. LXXVI.



ciae Moesiaque vicini in eam irruerunt: inde in Italiam, Galliam & Hispaniam perrecturi. *Burii* siue, qui iidem, *Burgundi* ( illo enim nomine TACITO, PTOLEMAEO & DIONI venere, hoc vero PLINIO & sibi ipsis ) Marcomanniae, hoc est Moraviae & Bohemiae, veteribus incolis ex diuturno bello priuatae primum se infuderunt, hinc per Sueuos in Gallia sibi sedem quaesuerunt. AMMIANVS MARCELLINVS scribit, *scire Burgundos, se Romanam sobolem esse*; quae opinio a foedere, quo in socios Romanorum asciti a Commodo fuere, deriuanda est. DIO hinc Albim in *Vandalicis montibus* oriri suo tempore recte dicere potuit. Caeteri *Vandali* & *Astingi* per Germaniam, Italiam & Galliam vagati in Hispaniam & tandem in Africam cum detrimento nominis Romani penetrarunt. Insecuti postea *Scyri*, *Turcilingi*, *Heruli*, *Rugii* & quicquid mare Balthicum accolit, atque sub Odoacro Rege Italiam occuparunt, potentissimae etiam Guelficae familiae in Rhaetia Originem daturi. Hos in Italia excepere *Langobardi*, qui a longo iam tempore, vt videmus, limites Romanos nouerant. Reliquere ii patrii Albis litus siue meliorum sedium spe inducti, siue a *Francis*, Cimbrorum veterum reliquiis, ingruentibus coacti: & per Vandalorum, Venedorum siue Antaram, Gepidarum, Burgundionum, Rugorumque olim terras in Italiam penetrarunt, regnumque condiderunt, non nisi a Carolo M. Francorum Rege ipsis eripiendum. Ipsi *Franci* huius, de quo tractauimus seculi medio, Romanis innotuere, dum Albi transmissio & terris ad Bodam, Vnstrutam, Werram, Salamque Franconicum occupatis, iam Rheno vicini facti, omne illius litus sibi subiecere & Gallias incursionibus primum vastarunt, mox sibi integras occuparunt, bona Imperatorum tandem uoluntate

luntate, qui in tanta rerum suarum confusione gaudebant, si modo consensus ipsorum ad diripiendas & occupandas prouincias requireretur. Mouere ultimo a Sturia sua etiam *Thuringi* & in vacuefactas a Francis prouincias venere, supraque eos reliquas quoque Hermundurorum terras ad Danubium usque insedere: a Francis tamen, quorum reliquias male tractauerant, postea mulctati & subacti. *Saxones* Francorum socii tunc partem regionis ipsorum stipendii loco virtute sibi sua acquisierunt. De Sarmatis, Iazygibus, Hunnis, Auaris, Alanis & populis extra Europam Romanis infestis aut perniciosis, iam filio, ea dixisse contentus, quae maiores nostros proprie respiciunt.


§. LXXVII.

Antequam vero tractationi huic finem imponamus, lubet mentionem facere scriptorum quorundam, qui a Marco Imp. ad mortem vsque Seueri inclaruerunt & nobis in euoluendis nostris rebus vsui fuerunt. LVCIANVM Samosatensem superuixisse Marco Aurelio, concludimus ex Pseudomante eius, siue vita Alexandri impostoris, cuius paulo ante meminimus. Scripta Luciani elegantissimo stylo exarata, posteritatis eruditae admirationem meruere. Satyrico sale condita sunt; nihilominus tamen in iis latent quaedam historica, quae alibi frustra quaeras. Auidio Cassio Syriacis legionibus Praefecto, cuius aduersus Marcum rebellionem tetigimus, familiarem fuisse LACROZIVS erudite ostendit (1), qui & *Pantbeam* ipsi celebratam verum esse nomen vxoris Cassii putat. In Toxari plura de rebus Scytharum circa Tanaim habitantium scitu digna recenset. Meminit Leucanoris & Eubioti fratrum Regum Bosporanorum, nec non Eupatoris in eadem regione regnantis. Christiano-

Scriptores  
quidam re-  
censiti. Lucia-  
nus. Pausa-  
nias. Athe-  
nacus. Soli-  
nus.

rum

(1) *Miscell. Berolin. T. I. p. 28.*



rum dogmatum notitiam eum habuisse non obscure apparet. Sed Christianum aliquando fuisse vix crediderim. A canibus dilaceratum *SVIDAS*, sed sine teste, refert. Maledica scribendi ratio forte impulit maleuolos eius, vt hoc eum infortunio periisse fingerent. *PAVSANIAS* decem libris nobis Graeciae descriptionem reliquit. Eodem illum modo res Phoenicias & Syriacas literis mandasse ex *STEPHANO GEOGRAPHO* colligimus. Marci Imperatoris honorificam mentionem facit (*m*), vt & bellorum, quae huic cum Germanis, Sarmatis & caeteris barbaris erant, vnde hoc tempore ipsum vixisse concludas. *ATHENAEI* Deipnosophistarum libris plurimarum antiquitatum Graecarum memoria conseruata est. Commemorantur & quaedam in iis de Scythis & Celtis. Commodi temporibus vixisse, eique superfuiffe, ex eo loco (*n*) apparet, vbi Imperatorem hunc perfringit, quod in curru appositam habuerit clauam Herculeam, substrata sibi pelle Leonis, & Herculem se vocari voluerit. Apud *DIONEM* (*o*) nominatur *IVLIVS SOLON*, qui a Cleandro Commodi ministro dignitatem Senatoriam iactura omnium bonorum suorum redemit, & postea Seueri iussu interemtus est. Hunc *VALESIVS* eundem esse existimat cum *C. IVLIO SOLINO*, cuius descriptionem Orbis sub titulo Polyhistoris habemus. *VOSSIVS* (*p*) hoc solum affirmari posse statuit, vixisse *SOLINVM* post *PLINIVM*, quem excerpfit, atque ante *HIERONYVM*, qui omnium primus eum citat. *DOBWELLVS* (*q*) coniicit, posteriorem esse Antonino Pio Imp. & forte ipsi *CENSORINO*.

(*m*) lib. VIII. (*n*) lib. XII. p. 537. (*o*) lib. LXXII.


(*p*) de Illust. Lat. lib. III. p. 720. sq. (*q*) Cyp. diss. ap. c. 15. p. 24.






obscure appa-  
n. A cibus  
medica scriben-  
rum infortunio  
nobis Graeciae  
oenicias & Sy-  
a o colligimus  
) ut & bel-  
eteris barbaris

ATHENAEI  
a Graecorum  
dam in iis de  
eisque super-  
tunc perfrin-  
coleam, sub-  
it. Apud  
candro Com-  
m bonorum  
est. Hunc  
INO, cuius  
s. vosses  
m post per-  
ni omnium  
riorum esse







Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

# TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Gray	Light Black
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta	White	Dark Gray	Dark Black

## TIFFEN® Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007

A	1	2	3	4	5	6	M	8	9	10	11	12	13	14	15	B	17	18	19
		R	G	B			W		G		K			C	Y		M		

